STUDIO ADDICT
Province of Holy C

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Studio
addictus.

ARTHURUS VERMEERSCH, e S. I.

Doctor iuris, iuris canonici et scientiarum politicarum
Theologiae moralis Professor in Pontificia Universitate Gregoriana

DE CASTITATE

ET DE

VITIIS CONTRARIIS

TRACTATUS DOCTRINALIS ET MORALIS

EDITIO ALTERA, AUCTIOR ET EMENDATIOR

WITHDRAWN
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

ROMAE (19)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
120, Via del Seminario

BRUGIS
CHARLES BEYAERT
Rue Notre-Dame

1921

STUDIO ADDICTUS

IMPRIMATUR

Carolus Miccinelli, S. I., *Praep. Prov. Rom.*

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi, O. P., *S. P. A. Magister*

IMPRIMATUR

Iosephus Palica, *Arch. Philipp. Vicesg.*

Romae - Ex Typographia « Campitelli » - Via Tribuna di Campitelli, 24

DEDICATIO

Opus istud, in defensionem catholicae doctrinae moralis conscriptum, in quo impura memorare cogimur ut pura magis placeant, Illibatae Virgini ex toto pie dicatum volumus. Ac praesidio Mariae Immaculatae freti, iam confidimus fore ut quae, sub Eius auspiciis, sive ad explicanda virtutis castitatis officia et merita, sive ad perpendenda et sananda contraria vitia tradiderimus, aliquam utilitatem afferant iis quibus hae paginae destinatae sunt, idest sacerdotibus, maxime iis qui animas a peccatis retrahere et ad altiora studia provehere ex officio debent. Quod ut pia Mater nobis a dilecto Filio impetret, humiliter precamur!

Romae, in festo purissimi Cordis Mariae,
die 28 iunii 1919.

PRAEFATIO ALTERIUS EDITIONIS

In hac altera editione, quae a pluribus mensibus vulgari debebat, lector pleraque reperiet quae in prima editione scripta sunt. Non nulla tamen, in ea potissimum parte quae res physiologicas tractat, vel addita vel accuratius proposita sunt. Immo ad calcem operis, ante Indices, plura supplementa, maxime rationis scientificae, accesserunt. Quaedam quoque argumenta, in quaestione non facili de gravi omnis luxuriae malitia, aliquantum perpolire studuimus, minime tamen recedentes a nostra positione, qua directam demonstrationem tentamus rei quam probatissimi scriptores veram esse sentiunt, magis tamen auctoritate sua fulciunt quam plene probant, dum ad rationes extrinsecas periculi alucinationum vel abusionum confugiunt. Pluribus autem amicis qui nos suis consiliis et suae scientiae subsidiis non parum iuvarunt gratum affectum hoc loco testari omittere nobis nec licet nec placet.

Romae, in festo Pentecostes,
die 15 maii 1921.

INDEX ANALYTICUS

INTRODUCTIO ANTHROPOLOGICA.

§ 1. Huius introductionis ratio (1) . . . *Pag.* 1
§ 2. Sexualis amor, appetitus, copulatio (2-13) » 1
§ 3. Variae commotionis sexualis causae (14-19) » 13
§ 4. Pudor. Vestes (20-21) . . . . » 16
§ 5. Variae delectationes. Motus venereus (22-28) » 20
§ 6. Vitia instrumenti vel sensus sexualis, seu pathologia sexualis (29) . . . . » 24
I. Vitia structurae (30-31). . . . » 24
II. Neuropathia sexualis (32-34) . . . » 25
III. Psychopathia sexualis (35-39) . . » 27
§ 7. Amicitia et amoris sexualis comparatio (40) » 30
§ 8. Hygiastica seu appetitus sexualis et valetudo (41-46) . . . . . » 31
§ 9. Lues venereae (47-49) . . . . . » 38
§ 10. Operationes chirurgicae (50-53) . . . » 41
§ 11. Aptitudo ad matrimonium et generationem (54-56] . . . . . » 43
§ 12. Quaestio de impotentia et sterilitate (57) » 44
I. De genuina impotentiae ratione
A. Propositio sententiarum (58-60) . » 44
B. Conclusio eiusque probatio (61-64) . » 61
C. Corollaria et Scholia (65-69) . . » 67
D. Breviter resumpta causa (69 bis) . » 70
II. Impotentiae varia genera, causae, exempla (70-75) . . . . . » 72
III. Exempla sterilitatis (76) . . . . » 75
§ 13. Quaestio de matrimonii consummatione (77-87) . . . . . » 76
§ 14. De remedio fecundationis artificialis (88) » 80

PARS PRIOR

DOCTRINALIS, APOLOGETICA ET PAEDAGOGICA

Ratio ordinis (89) . . . . . » 81

SECTIO PRIOR — De virtute castitatis

Caput I. — *Virtutis castitatis consideratio generalis.*

Capitis divisio (90). . . . . *Pag.* 82
Articulus I. Castitatis aestimatio rationalis (91-94) » 83
Articulus II. Castitatis aestimatio christiana (95-98) » 85
Articulus III. Castitatis aestimatio neopagana (99-102) » 90

Caput — II. *De castitate matrimoniali.*

Articulus I. Matrimonii aestimatio rationalis
Ratio ordinis et methodus (103) . . . . » 95
I. De naturali matrimonii instituto (104-108) . . . . . » 98
II. De castitate matrimoniali (109) » 101
Articulus II. Matrimonii aestimatio christiana
Observatio praevia (110) . . . . . » 102
I. De christiano matrimonii instituto (111-112) . . . . . » 102
II. De castitate matrimoniali christianorum (113-114) . . . » 106
Articulus III. Matrimonii aestimatio neopagana
Divisio argumenti (115) . . . . . » 107
§ 1. De naturalistis (116-118) . . » 108
§ 2. De laicistis honestioribus
Ordo dicendi (119) . . . . . » 111
I. De matrimonio civili (120-125) . » 111
II. De divortio civili (126-131) . » 117
III. De excusationibus artificiosae sterilitatis et abortus (132-134) » 127

Caput III. — *De castitate perfectâ seu continentia.*

Articulus I. Continentiae aestimatio rationalis (135-137) » 129
Articulus II. Continentiae aestimatio christiana
Ordo dicendi (138) . . . . . » 132
§ 1. De virginitate catholica
I. De genuina virginitatis catholicae ratione (139-143) . . » 132
II. De virginitatis catholicae laude et pretio (144-149) . . » 136
III. Quaestio conexa de virtute virginitatis (150-153) . . . » 145
§ 2. De speciali praemio christianae virginitatis seu de aureola

I. De aureolis in universum (154-157) *Pag.* 148
II. De aureola virginum (158-161) . . » 150
§ 3. De castitate angelica (162-164) . . » 152
Articulus III. Continentiae aestimatio neopagana (165-167) . . . . . » 154

SECTIO ALTERA — De castitatis cultura.

Istius sectionis opportunitas (168). Ratio ordinis (168. 169) . . . . . » 160

Caput I. — *De praeparatione vitae purae.*

Articulus I. De generaliore praeparationis ratione
Huius praeparationis utilitas et partes (170) » 163
I. Praeparatio corporis (171) . . . » 163
II. Praeparatio sensus (172) . . . » 164
III. Praeparatio mentis (173-174). . . » 166
Articulus II. De speciali castitatis praeparatione.
§ 1. Consilia de recta hominis informatione ad castitatem.
I. Praeparatio corporis (175) . . » 167
II. Praeparatio sensus (176) . . » 168
III. Praeparatio mentis (177-178) . . » 170
§ 2. Quaestiones peculiares
I. De scholis mixtis (179) . . . » 173
II. De utilitate cuiuspiam vaccinationis (180-185) . . . . . » 175
III. De utilitate et methodo revelandi mysteria vitae
Quaestionis notio et ordinatio (186) . » 180
Historicae notiones (187) . . . . » 180
Argumenta afferri solita (188) . . » 182
Argumentorum examen (189) . . » 184
Sententiarum diversitas et concordia (190) . . . . . » 178
Conclusiones (191-201) . . . . » 190

Caput II. — *De vita pura conservanda et confirmanda.*

Articulus I. De puritatis custodia extra statum coniugalem (202-205) . . . . . » 199
Articulus II. De coniugali castitate servanda (206-209) » 201

APPENDIX. — *Quaestiones residuae.*

I. De relativa continentiae servandae difficultate (210) . . . . . *Pag.* 208
II. De publica morum tutela (211) . » 209
III. De meretricum et quarundam concubinarum tolerantia (212. 213) . » 210

CAPUT III. — *De vita pura restituenda, seu de morum emendatione.*

Ratio ordinis. Duplex vitiorum genus (214) » 214
ARTICULUS I. De adulterinis cupiditatibus (215) . . » 214
ARTICULUS II. De onanismo solitario, seu masturbatione (216-220) . . . . . » 215

CONCLUSIO PRIORIS PARTIS.

Venerei appetitus aestimatio. Quo conatus, quo spes nos ferre debent (121). . . » 220

PARS ALTERA

CASUISTICA

Ratio ordinis (222) . . . . . » 223

SECTIO PRIMA. — DE VENEREIS ACTIBUS CONIUGUM.

CAPUT I. - *De completo usu coniugii; seu de copula coniugali perfecta.*

ARTICULUS I. Quisnam completi coniugii usus honestus sit.
Copulae notio, honestas ex obiecto (223) » 224
§ 1. De honestae copulae fine (224-226) » 224
§ 2. De honestae copulae circumstantia
Circumstantiae considerandae (227) . . » 228
I. Circumstantia *quis* (228-237) . . » 228
II. Circumstantia *cur* (238) . . . » 239
III. Circumstantia *quando* (239) . . » 240
IV. Circumstantia *quomodo* (240) . . » 242
V. Circumstantia *quibus auxiliis* (241) . » 246
VI. Circumstantia *ubi* (242) . . . » 247
ARTICULUS II. Quisnam usus coniugii optandus sit (243) » 247
ARTICULUS III. Quisnam usus coniugii debitus sit (244-255) » 248

APPENDIX. — *De consequente cohabitationis officio* (256) » 252

CAPUT II. — *De incompleto coniugii usu:*

ARTICULUS I. De copula onanistica et similibus naturae violationibus (257-270) . . . *Pag.* 254
ARTICULUS II. De aliis actibus mutuis incompletis (271-277) . . . . . » 269

CAPUT III. — *De venereis coniugum actibus non mutuis.*

I. De actu completo separato (278) . . » 273
II. De actibus incompletis, separatis (279-284) » 275

APPENDIX. — *Quaenam de matrimonio civili et de divortio civili practice observanda sint* (285-289) . . . . . » 278

SECTIO ALTERA. — DE SPONSIS.

De mutua consuetudine sponsorum de futuro (290-299) . . . . . » 282

SECTIO TERTIA. — DE USU VENEREO EXTRA MATRIMONIUM.

CAPUT I. — *De usu completo facultatis venereae.*

ARTICULUS I. De usu completo secundum naturam
§ 1. De simplici fornicatione (300-312) . » 288
§ 2. De fornicatione aliis malitiis adaucta
I. De copula adulterina (313) . . » 302
II. De copula sacrilega (314) . . » 304
III. De copula incestuosa (315-317) . . » 306
IV. De copula iniuriosa (318-321) . . » 309
ARTICULUS II. De usu completo facultatis venereae contra naturam.
§ 1. De Pollutione
I. Pollutionis notio (322). . . » 314
II. Pollutionis malitiae demonstratio (323-326) . . . . . » 316
III. Factae demonstrationis corollaria (327-333) . . . . . » 327
IV. Conexa scholia ; praecipue, specificae pollutionis varietates (334-342) » 332
§ 2. De aliis pravitatibus completis contra naturam

I. De Sodomia (343-346) . . . . *Pag.* 335
II. De Bestialitate (347) . . . . » 337
III. De aliis congressibus innaturalibus (348) . . . . . » 337
IV. De comparata peccatorum gravitate et numerica distinctione (349-355) » 338

CAPUT II - *De usu incompleto facultatis venereae extra matrimonium, seu de luxuria imperfecta.*

ARTICULUS I. Notiones communes omnis luxuriae imperfectae (351-355) . . . . . » 339
ARTICULUS II. De actibus incompletis exterioribus (356-364) . . . . . » 347
ARTICULUS III. De actibus interioribus. Eorum divisio (365) . . . . . » 350
I. De actibus interioribus qui carnem excitant (366-367) . . . . » 350
II. De actibus magis intellectualibus (368-371) . . . . . » 352
APPENDIX. — *Sanctiones canonicae* (372) . . . . . » 355

CAPUT III. — *De luxuria indirecta.*

ARTICULUS I. Principia (373-375) . . . . . » 356
ARTICULUS II. Applicationes (376-386) . . . . . » 361

CAPUT IV. — *De actibus impudicis et luxuria larvata.*

ARTICULUS I. Notiones et regulae generales (387-393) . » 368
ARTICULUS II. De actibus impudicis singulatim sumptis.
§ 1. De verbis et scriptis (394-396) . » 376
§ 2. De aspectibus (397-400) . . . » 379
§ 3. De tactibus, osculis etc. (401-407) » 381
§ 4. De comoediis (408-410) . . . . » 385
§ 5. De choreis (411) . . . . . » 387
§ 6. De vestitu (412) . . . . . » 388

CAPUT V. — *De virtute pudicitiae* (413) . . . . » 389

PARERGON. *Quo pacto confessarius se gerere debeat* (414) » 389

SUPPLEMENTA VARIA (415-421 . . . . . » 391

NOTANDA QUAEDAM DE PSYCHOLOGIA SEXUALI
I. Notiones de vita psychica inferiore seu animali (422) . . . . . » 395
II. Elementa psychica actus stricte sexualis (423-426) » 397
III. De instinctu sexuali (427-431) . . . . .

ERRATA ET ADDENDA (432) . . . . . » 403

BIBLIOGRAPHIA . . . . . » 405

INDEX RERUM ALPHABETICUS . . . . . » 413

THESES

THESIS I. — I. *Impotentia coeundi, si perpetua sit, dirimens matrimonii impedimentum efficit* (61) . . . . . Pag. 61

II. *Impotentia generandi, si sola sit, impedimentum dirimens matrimonii non constituit* (61-69) . . . . . » 62

THESIS II. — *Virginitas absoluta et perpetua, in se spectata, communi vitae coniugalis rationi longe praeferenda est ; quatenus autem ad Deum refertur, egregium obsequium continet* (145-149) . . . . . » 137

THESIS III. — *Nulla est specialis virtus virginitatis, cum virginitas castitatem ab intrinseco vel ab extrinseco mere perficiat, ac proin ab ipsa castitate vel a virtute ex cuius motivo virginitas colitur non distinguatur* (150-153) » 146

THESIS IV. — *Natura caelibatu perpetuo minime offenditur* (166) . . . . . » 157

THESIS V. — *Quamvis mulier quae ex fornicatione peperit titulum ut ipsi magis indulgeatur in ipsa maternitate possideat, nec illegitima proles poena proprie dicta plectenda sit, lex tamen communicationis mutuae honoris et ignominiae, fundata in natura et saluberrima, postulat ut mulier ista et proles humiliorem inde locum in civitate obtineant* (167) » 158

THESIS VI. — *Onanisticus coniugii usus intrinsece et graviter malus est* (257-270) . . . » 254

THESIS VII. — *Completa voluptas a coniuge separatim quaesita vel admissa, in utroque sexu, ad malitiam pollutionis, gravem contra iustitiam vel sacramentum malitiam addit* (278) . . . . . Pag. 274

THESIS VIII. — *Secluso gravis pollutionis periculo, actus imperfecti solitarii alii simpliciter honesti sunt, alii saltem graviter inculpari in coniugibus nequeunt* (280-284) . . . » 275

THESIS IX. — *Omnis fornicatio est, etiam sola naturae lege inspecta, peccatum mortale* (304-312) . . . . . » 291

THESIS X. — *Omnis pollutio voluntaria, immo omnis consensus plenus in pollutionem casualem, sive maris sive feminae, intrinseca et gravi malitia inficitur, et a luxuria imperfecta specifice distinguitur* (324-342) . . » 320

THESIS XI. — *Omnis deliberate quaesita vel admissa extra matrimonium delectatio venerea intrinsece et graviter mala est* (353-355) . » 344

THESIS XII. — *Pollutio quae, praeter intentionem, et sine consensu accidit, ei tantum graviter imputatur qui eam cum peccato suo incompletae luxuriae sat proxime conexam praevidit, vel eam tunc imminentem, cessando a luxuria, non impedivit* (374-375) . . . » 357

INTRODUCTIO ANTHROPOLOGICA

§ 1. — *Huius introductionis ratio.*

Cur et qua ratione anthropologicas notiones tradamus.

1. — Praesenti introductione nihil aliud intendimus nisi certiorem et planiorem praeparare adeptionem finis quem in toto opere de castitate et contrariis vitiis prae oculis habemus. Accurate enim cognoscere materiale cuiuspiam virtutis obiectum, id mirifice iuvat hominem ut in virtutis officia penetret. In re autem quae, sicut, castitas et luxuria, plena est scrupulis, distinctae notiones iam ipsae per se plura dubia et animi anxietates vel tollere vel praevertere possunt.

Non expedit tamen ut omnes vel adeo plerique sacerdotes anthropologicas notiones de castitate et luxuria sibi per se et ex libris scientificis haurire cogantur: id enim plerique sine temporis iactura, deceptionis periculo et aliquo verecundiae detrimento praestare non possent. Quocirca onus ipsis levare nobis propositum est. Quare, omissa superflua eruditione, pauca ista scientiae anthropologicae documenta quae moralem nostram tractationem illustrant dilucide, pro viribus, exponere conabimur.

Anthropologicas notiones non tamquam studio nostro exploratas proponimus; sed quales ex peritorum libris et consiliis illas accepimus, eas ad perfectiorem puritatis scientiam et cultum in hac introductione referimus.

(1.)

§ 2. — *Sexualis amor, appetitus, copulatio.*

Adaequata ratio amoris sexualis.

2. — *Amor sexualis, pleniore* aut *angustiore* significatione usurpari potest. Angustiore significatione, idem est quod *libido sexualis* seu *appetitus venereus:* qui usus frequentior est. Ad dignitatem humanam tamen refert ut adaequatam eius rationem, qua ab appetitu venereo distinguitur et, partim saltem, sensus transcendit, hoc loco memoremus et affirmemus.

Plena itaque vi, amor sexualis ingenitam designat inclinationem quae divisionem generis humani in binos sexus consequitur, et studia omnia complectitur quibus alter sexus ad alterum sexum propendet. Inter haec studia autem reperiuntur etiam affectus qui ordini sensibili sunt superiores.

Quo pacto vocari possit instinctus.

Propensiones istae actibus et habitibus confirmantur et perficiuntur. Quia tamen, in organica et psychologica hominis constitutione fundatae nobis a nativitate insunt neque primum actibus acquiruntur, ad instinctum, metaphorico sensu usurpatum, ascribi possunt.

Metaphorico enim usu, inclinationes quae ex nulla deliberatione manant et speciei nostrae communes sunt *instinctivae* dicuntur.

Instinctus propria ratio.

3. — Proprie enim *instinctus* designat mysteriosum istud principium actionum, saepe mirarum, quas modo constanti et uniformi animalia eiusdem speciei sine praevia experientia aut disciplina peragunt. Actus isti, ut ait S. Thomas (1), « ordinantur ad finem ex naturali inclinatione magis quam ex apprehensione » Attenta eius utilitate, instinctus definitur a R. P. Monaco (2): « inclinatio quaedam ab ipso naturae factore animis indita, qua animalia valeant facilius praecavere mala ac noxia et prosequi ea quae bona et utilia sunt ».

Quid autem re vera sit instinctus, valde disputatur, neque adhuc adaequata declaratio inventa est, teste Em. Cardinali Mercier (3). Iam communiter ac merito ipsi biologistae reiciunt explicationem mere mechanicam, secundum quam Spencer hanc sim-

---

(1) *De anima*, l. 3, lect. 5. — (2) *Praelectiones metaphysicae speciales*, pars II, n. 224. — (3) *La Psychologie*, p. 251.

plicem instinctus descriptionem tradebat: *Est actio reflexa complexa* (1).

Scholastici philosophi instinctum in facultate cognitiva, seu vi sensibili iudicativa quam *aestimativam* vocant reponunt. Porro iudicia ista sensibilia a Card. Mercier esse dicuntur quasi synthetica a priori; ac naturali facultati consociandi quasdam imagines, alias pro alia specie animali, cohaerent (2).

Instinctum esse in infantibus, v. g. sugendi lac admittit ipse S. Thomas (3); adesse etiam in homine adulto, id controvertitur (4).

Amoris sexualis utilitates.

4. — Utcumque res ista se habet, amor seu appetitus sexualis sic plene acceptus, a nobis, contra atque a non paucis fit, non ad solum congressum sexualem refertur seu ordinem habere dicitur.

Providus enim Deus varias qualitates proprias, quae mutuam sympathiam efficerent, utrique sexui indidit. Quare, non solum ad vitam humanam propagandam, sed etiam ad eam melius et iucundius ducendam, immo ad futuram vitam perfectione praesenti praeparandam, vir et mulier alter alteram quaerunt.

Triplicem itaque ponimus intrinsecum finem coniunctionis viri et mulieris: *individualem*, *genericum*, formaliter *socialem*.

Individualis mutuo viri et mulieris ex coniunctis dotibus complemento continetur.

Genericus est in propagatione generis humani.

Formaliter socialis apparet in domestica societate quam vir et uxor, praecipue ad instituendam prolem, sua coniunctione condunt, simul aliis socialibus amicitiis exem-

---

(1) *Principles of Psychology*, I, § 194. — (2) Op. cit., p. 254, — (3) In l. sent. 2, d. 20, q. 2 art. 2, ad 5. — (4) Urràburu, *Institutiones phylosophicae*, Psychologia, L. 1, d. 4, c. 2, art. 6, p. 887. *De instinctu* cf. op. cc. Em. Mercier, Urràburu. Physiologistae disputant utrum ipsum nomen servare expediat necne. Cf. Havelock-Ellis apud Moll, *Handbuch der sexualen Wissenschaften*, p. 173. Ipse appellat tamquam vocis patronum, H. Piéron, *Les problèmes actuels de l'instinct* (Revue Philosophique, oct. 1908); tamquam adversarium vero, G. Bohn, *La naissance de l'intelligence* (Paris, 1909); et antea, *Causes actuelles et causes passées*, in Revue Scientifique, 1901, 1 feb. p. 354.

plum dantes et viam sternentes. Coniugalis enim societas multiplici communitati et foederi inter homines originem dat.

Quocirca, in ipsa S. Scriptura, Eva propter hanc generalem rationem creata dicitur, ut Adam adiutorium sibi simile reperiret (1); S. Thomas hoc a philosopho dictum probat: « Mas et femina coniunguntur in hominibus, non solum propter necessitatem generationis, sicut in aliis animantibus; sed etiam propter domesticam vitam, in qua sunt aliqua opera viri et feminae, et in qua vir est caput mulieris (2) », atque in ipso iure romano matrimonium definitur: « Viri et mulieris coniunctio, individuam consuetudinem vitae continens (3) »: de qua definitione interpretes id observant, finem generationis ne disertis quidem verbis allegari.

Quid, quod ipsi physiologistae, praeter instinctus *individuales*, qui bonum singulorum procurant, alios agnoscunt tum *genericos*, quibus bono speciei humanae consulitur, tum *sociales*, qui ad communitates efficiendas inducunt: nec ipsi negant mutuam cognationem qua alii instinctus alios iuvant et fere penetrant (4).

Adulterina explicatio benevolentiae.

5. — Qui animam spiritualem ab homine abiudicant, laborant in explicando amore *benevolentiae* quem appetitu sexuali mixtum observare coguntur. Ad transformismi placita recurrentes, amorem istum paulatim eductum esse arbitrantur ex ipso appetitu sexuali animalium istorum unde ipsi originem traheremus: a quibusdam instinctibus qui appetitum istum in animalibus comitantur, quibus v. gr. mater prolem patienter alit et curat, pater autem prolem protegit ac tutatur, affectum istum universaliorem generatum esse. Specifica animae humanae nobilitas, i. e. eius natura spiritualis, ab huiusmodi inquisitionibus nos liberat.

Nimia vis posita in appetitu venereo.

6. — Sunt etiam qui in omni fere spontaneo motu et studio hominum, non tantum adultorum sed etiam adu-

---

(1) *Genesis*, 2, 18. — (2) *Summa theol.*, 1 p., q. 2 art. 2, ad 3. — (3) *Institutiones*, I, 9, *De patria potestate*, § 1. — (4) Cf. Féré, *L'instinct sexuel*, p. 5. De ipso appetitu sexuali is haec habet: « L'instinct sexuel a d'abord pour effet l'acte de la conjugaison, peu à peu il se complique: 1° d'instincts relatifs à la poursuite et à l'attraction sexuelle; puis, 2° d'instincts relatifs à l'union permanente et à la protection des jeunes ».

lescentium, immo et infantium, venerei appetitus inchoationes vel signa deprehendere putant. Sic in ludis et pugnis quibus adulescentes delectantur initium et praeparationem functionis generativae denuntiant.

Nimius quoque profecto est celeber auctor « Psycho-analysis » (1) professor FREUD, quamvis ingenio et sagacitate polleat, cum omnem sic dictam « *hysteriam* », atque affines nervorum perturbationes, ab impulsibus sexualibus etiam inconsciis repetendam ducit, atque omnibus infantibus intensam vitam sexualem tribuit, cuius nullum in memoria vestigium superest (2).

Hi etiam nobis videntur non satis memores propriae dignitatis humanae, quam ampliore amoris sexualis notione confiteri voluimus. Contra enim atque entia ratione privata, homo non est totus propter speciem, idest, non ideo tantum vitam accepit ut infans adolesceret, adultus generaret et, generis conservatione firmata, ipse periret. Sed persona est, propter finem personalem seu bonum suum exsistens. Quare, etiamsi id de aliis animantibus valeret, quod tamen valde dubitamus, hominis studia et propensiones in physiologico generationis processu *adaequatam* suam explicationem reperire nequeunt. Adaequatam, inquam; de partiali enim non est cur solliciti simus.

Hactenus de latiore significatione appetitus sexualis. Antequam de angustiore dicamus,, haec pauca de sexualibus hominis partibus recolenda videntur.

7. — Organa *virilia* quae generationi inserviunt sunt: *Virilia organa generationis.*

1. Ambo *testes* seu *testiculi*, in quibus *nemaspermata* seu *zoospermata* (*spermatozoïdes*) elaborantur. Zoospermata quasi capite et cauda constare atque instar animalium se movere videntur. Non tamen animalia sed mere cellulae esse existimantur. *Testiculi.*

Testes isti a nativitate in infantis scroto continentur. Ante nativitatem, in abdomine reconduntur. Accidit interdum ut alteruter vel uterque in scrotum non descenderint: tunc, in ventre vel canali inguinali manent minusculi, et habetur sic dicta *ectopia testium*.

---

(1) Id est methodi explorandi quae latent in subconscientia, — (2) Cf. GEMELLI, p. 9-17 « *Non moechaberis* », ubi plures fontes de hac re indicantur.

Liquor a testibus profectus longe maxima parte seu fere ex toto istis nemaspermatibus constat, quibus minima quantitas liquida superadditur. Id autem quod medici vocant *sperma* seu semen virile, continet, praeter ista nemaspermata, liquores distillatos seu secretos per alias glandulas, ita ut mixtum liquidum quod fluere et eiaculari possit obtineatur (1). Itaque *sperma* stricte dictum definiri possit liquidum in quo nemaspermata natant. Deficientibus nemaspermatibus, remanet latius dictum sperma seu semen virile.

Non sola autem nemaspermata, exteriori eiaculationi destinata, his testibus conficiuntur; sed glandulae istae simul fontes sunt distillationis seu secretionis interioris, quae sanguine miscetur et cui signa virilitatis (barba, pili in pubi, vox masculina) et vis alendi appetitum sexualem tribuuntur.

Externa porro testium secretio per plures (10-15) canaliculos qui *canales* seu *coni efferentes* vocantur defertur ad *epididyma*, ubi terminantur.

Epididyma autem est canalis saepius replicatus ita ut, sub pelle exteriore, quasi interior testium tunica esse videatur. Per hanc viam eadem externa secretio ad utrumque *vas deferens* seu *canalem deferentem* deducitur.

Canales deferentes.

2. Bini *canales deferentes* seu (*vasa deferentia*), qui a testibus initium habent et per abdomen et prostatam in urethram, tamquam *canales eiaculatorii*, confluunt.

Vesiculae seminales.

3. *Binae vesiculae seminales*, quae, inter intestinum rectum et vesicam urinariam collocatae, olim putabantur esse receptacula nemaspermatum, ita ut semen emissum ex iis proxime fluere diceretur (2). Unde ipsum nomen desumptum est. Ac per servata ibi nemaspermata explicari arbitrabantur quomodo, post ablatos testiculos, facultas generandi aliquo tempore superesse posset. Verum hodie potius tamquam organum cuiuspiam *secretionis* considerantur (3). Quae secretio simul cum secretione ex *extremo vase deferente*, ex *prostata* et fortasse ex glandulis Littre et Cowper fluxum ex testibus comitatur.

---

(1) Cf. Antonelli, *Medicina pastoralis*, I, 187. — (2) Sic adhuc perhibentur a D.re Antonelli, *Medicina pastoralis*, I, p. 142, n. 190, et a D.re R. P. Gemelli, in opere « *Non moechaberis* ». — (3) « Die Samenblasen stellen nicht, wie man früher annahm, ein Réservoir zum Aufbewahrung des Samens dar ». Cf. Zunz und Loewy; *Lehrbuch der Physiologie des Menschen*, 1906 (P. 721).

Hoc non impedit, quin saepe in dictis vesiculis reperiantur nemaspermata. Sintne autem mortua an vivant, id ambigitur. Verum viventia multa in epididymate (*épididyme*) inveniuntur, ita ut ex epididymate pro fecundatione artificiali extrahi possint.

Prostata.

4. *Prostata*, quae est glandula sub vesica urinaria et vesiculis seminalibus in abdomine recondita, per quam ductus iaculatorii et urethra transeunt.

Glandulae Cowper

5. *Binae glandulae Cowper*, quae, sub prostata sitae, etiam in urethram confluunt.

Urethra.

6. *Urethra*, seu *canalis urethralis*, qui pars inferior est membri virilis et tum sperma tum urinam emittit.

Penis.

7. *Membrum virile* (*penis*, *virga*, *mentula*, *veretrum*), quod duobus coniunctis *corporibus cavernosis*, sub quibus urethra est, constituitur. Cum sanguine oppletur, erigitur.

Extremam membri partem occupat *glans* valde excitabilis, quae *praeputio* (quod glandi minime adhaeret) operitur. Sub praeputio, ad radicem seu coronam glandis, ex glandulis sebosis et cellulis quae ab epithelio glandis continuo decidunt, colligitur sic dictum *smegma praeputii*, quod apud plures interdum amovendum est, ne foetidum fiat vel etiam ad masturbationem impellat.

Muliebria organa generationis.

8. — *Organa muliebria* generationis sunt:

Vulva.

1. *Vulva*, quo nomine veniunt exteriores partes genitalium mulieris: *magna labia* (*grandes lèvres*), quae sunt binae plicae pellis exterioris; *parva labia* seu *nymphae*, idest binae minores plicae sitae inter labia magna, ubi smegma eiusdem rationis ac smegma praeputii, frequenter auferendum, producitur; *clitoris* seu minimus penis sine urethra, quod est instrumentum voluptatis et delectabiliter erigitur; *meatus urinarius* seu os per quod emittitur urina.

Vagina.

2. *Vagina*, quae est organum copulae in femina, recipiendo membro virili destinatum. Formam habet cylindricam, tribus constat involucris, quibus semper clausa est. Eius ostium apud virgines regulariter operitur membrana quae dimidiam lunam figura imitari solet, ita etiam ut non totum ostium obducat.

In vagina sunt *glandulae* dictae a BARTOLINI, quae in aestu valde vehementi, liquorem emittunt fere sicut viri

in seminatione. Liquore isto perfusa vagina aptior est copulae et per eum quoque voluptas contactus augetur.

Per vaginam emittuntur secretiones uterinae et menstrua, et egreditur fetus. Et cum sita sit inter vesiculam urinariam et rectum intestinum, ita ut inter meatum urinarium et anum aperiatur, intellegitur dictum ab AUGUSTINO: « Natus sum inter stercus et urinam ».

Uterus. 3. *Uterus* seu *matrix*, quae, parvae lagenae figura satis similis, parte inferiori, quae collum dicitur in vagina quasi inseritur, dum pars superior, seu corpus uteri, formam triangularem habet. In medio collo, cuius pars interior *musus tincae* (*museau de tanche*) appellatur, est parvum os quo uterus cum vagina communicat.

Tubae fallopianae 4. *Tubae fallopianae* (*trompes de Fallop*) seu *oviductus*, quae sunt bini canales, fere 10-12 centimetris longi, qui communicant cum utero per sic dictum *ostium uterinum*.

Ovaria. 5. *Ovaria*, quae sunt quasi testiculi muliebres. Binae enim glandulae sunt, ad dexteram et ad sinistram uteri, quibus ova conficiuntur.

Ovulatio. Quamvis oviductus ovariis non adhaereant, tempore quo ovula matura ex sic dictis vesiculis GRAAF ab ovariis decidunt, ovariis applicantur per partem quae, instar extremae tubae, conchae non est dissimilis, ut ovula recipiant et versus uterum ducant. Tempus istud fere singulis mensibus recurrit.

Gestatio extrauterina. Fit tamen, ob varias causas, ut ovulum fecundatum in oviductu vel in ipso ovario haereat, aut, tuba non exceptum, in ventrem decidat, ibique quasi in utero evolvatur. Habetur tunc *gestatio extra-uterina*, quae, matri periculosa, modicam spem dat fetus vivi edendi.

Mammae. 6. *Mammae*, seu *ubera*, quae lacti producendo et dando destinata sunt.

Loca voluptatis. 9. — Quae organa sunt generationis non sunt simul omni sua extensione, sedes voluptatis venereae. Nec sedes huiusmodi confundenda est cum loco unde excitatio (etiam manualis) proficisci potest (Cf. n. 17). Apud mulierem, partes quibus venereo appetitui satisfit sunt clitoris, vagina usque ad uterum et quadantenus papillae mamillarum, dum apud virum est membrum virile, maxime glans

qua terminatur. Quare aestimant maiorem esse mulieris quam viri veneream satisfactionem (1).

Fecundationis essentialia elementa.

10. — Porro, elementa essentialia fecundationis sunt sperma quo *nemaspermata* continentur, et *ovulum* femineum. Fecundatio enim postulat ut quodpiam zoosperma ovulum penetret in ipso ovario vei antequam, decisum ex ovario, per alterutrum oviductum in uterum pervenerit. Cum autem lento gradu procedat, ovulum septem circiter diebus (immo 10-15 diebus, ut alii volunt) opus habere videtur ut breve istud iter conficiat. Zoosperma autem aliquot horarum spatio in oviductum ingreditur, ubi per plures dies vivere et ovulum expectare potest: per plures dies, idest per septem vel octo, unde mira organorum utriusque sexus concordia apparet.

Attento illo dierum spatio, sunt, v. g. medicus CAPELLMANN, qui affirment improbabilem esse fecundationem nisi quae paucis diebus (3. 4) menstruum fluxum praecesserit, aut quae intra quattuordecim dies a coepto illo fluxo facta sit (2), sed cum ovulatio seu ovuli decisio non semper simul cum menstruo fluxu habeatur, et, praeter principalem seu ordinariam ovulationem, alia secundaria vel accidentalis, v. g. ex aestu carnali in ipsa copula, oriri possit, regula ista exceptionibus obnoxia esse convincitur (3).

D.r FOEKISTON, qui tabellam confecit qua, statisticis rationibus innixus, suam cuique diei probabilitatem fecundationis assignat, 23° die post quam menstruus fluxus cessavit, minimam adesse declarat probabilitatem, quam 62am (1/62) partem maxime esse aestimat.

Undenam appetitus carnalis proxime fiat actuosus.

11. — Age porro, angustiore significatione appetitus sexualis esse intellegitur propensio qua homo in persona alterius sexus socium et adiutorem amat et quaerit operationis carnalis quam natura propter generationem principaliter instituit. Namque ipsa utriusque sexus coniunctio propter generationem primario exsistit.

Propensio autem ad carnale commercium undenam proxime in actum transit; seu, quod perinde est, quid

(1) De his notionibus cf. ANTONELLI, *Medicina pastoralis*, t. 1. c. 12, n. 183-200.

(2) CAPELLMANN, *Medicina pastoralis* (ed. 11, seu 4ª latina, p. 139). — (3) Cf. ALBERTONI, *Fisiologia*, p. 946.

hominem proxime impellit ad copulam, per se generativam, efficiendam ?

Olim, non pauci existimabant hominem immediate excitari cupidine vel necessitate congestum semen effundendi, fere sicut e plena vesica et plenis visceribus cupido eadem evacuandi exoritur. Sic MONTAIGNE dicebat, et etiam hodie FÉRÉ (1). Sed explicatio ista de libidinis vehementia rationem reddere nequit ; praeterea in femina semper, frequenter vero in viro deficere videtur, cum femina, in aestu carnali semen regulariter non effundat ; vir autem, teste experientia, libidine sine ullo plenitudinis sensu, frequenter agitetur. Fit potius ut excitata libido semen congerat et sensum pleni vasculi procuret.

Re autem vera, exsistentia istius appetitus cum glandulis sexualibus principaliter cohaeret : eius autem vehementia et excitatio variis causis et occasionibus tribuendae sunt. Aliae sunt involuntariae et materiales, aliae voluntariae et morales; aliae a nativitate, aliae a facto posteriore, culpando vel non, homini insunt. De causis quae, praeter physicam corporis constitutionem, carnalem appetitum commovent mox infra dicetur.

Physiologicus processus commotionis sexualis completae.

12. — *Carnalis aestus* binas partes intime connexas complecti solet : *concitationem* organorum eorumque *collapsum*. Homo qui veneri indulget, suo appetitu venereo, quem hic normalem supponimus, prius impellitur ad quaerendam in physica et psychica coniunctione cum persona alterius sexus concitationem organicam, quam ad orgasmum usque perducit. Orgasmum autem proxime excipit collapsus organorum generationi inservientium. Physica autem coniunctio seu carnalis copula, haec est, ut vir turgidum penem in uxoris vaginam introducat, et, in ipsa aestus resolutione, semen ibidem emittat. Quod semen ita emittitur et recipitur ut tendat ad penetrationem ovuli feminei si quod maturum ex ovariis deciderit. Coniunctio sexualis fini generationis humanae hoc modo utilis est.

Quomodo in constitutione organica et in aestu carnali uterque sexus similes sint.

13. — Quia ad morale argumentum dilucidandum id iuvat, operae pretium est hoc loco distinctas utriusque sexus partes in carnali copulatione ex medicorum seu phy-

(1) » L'appétit sexuel a à sa base une sensation de plénitude, une sorte de besoin d'évacuation ». *L'instinct sexuel*, p. 6.

siologistarum ratione efferre, simulque ostendere quam pares vir et mulier, in functione generativa, a Creatore effecti sint.

1. Quod ad *constitutionem organicam*, seu remotam copulationis praeparationem : In sexualibus partibus tum viri tum mulieris observatur systema erectionis capax (*appareil érectile*) quod, in aestu carnali, sanguine oppletur et dilatatur. Simili enim modo organa muliebria et virilia nervis praedita sunt ; vagina, uterus, non secus ac penis, multis venis sparsa sunt, in quibus sanguis contineri et manere potest. *In organica constitutione.*

2. Quod ad *aestus carnalis* processum : *In aestus carnalis processu.*

In utroque sexu ab *inflatione* partium genitalium initium sumit.

Prodire dein solet in viro sic dicta *distillatio*, i. e. ante ipsam seminis expulsionem, liquoris tenuioris productio ex glandulis quae in penem influunt et a LITTRE et a COWPER nomen habent. Distillatio ista alio nomine vocatur *urethrorrhoea ex libidine*.

In muliere autem solent tunc glandulae quae a BARTOLINI dicuntur vaginam quasi abundanti distillationi madidam facere. Haec distillatio ab antiquis pro muliebri seminatione habebatur. Ad ipsam generationem necessaria non est ; prodest autem mulieri, quatenus eius nervi sic madefacti minus excitatione venerea afficiantur.

Effusio ista nomine *pollutionis femineae* interdum designatur. Raro exterius, sed potius in cavitatem uteri diffluit. Tunc autem ipse fluxus saepe non advertitur, quamvis voluptatem afferat. Quare pleraeque feminae tantum ex libidinosa satietate pollutae diiudicari possunt. Ac iam aliquo tempore ante pubertatem pollutionis istius capaces sunt. Cf. NOLDIN, *De Sexto*, n. 30.

Succedit tunc rhytmica membri virilis agitatio, cui rhytmicae contractiones laterum vaginae respondere videntur.

In emisso subinde virili semine nemaspermata natant, quaerentes, per plures dies (7. 8) ovulum femineum, quod ipsum, ex ovario ante decisum, lento gradu nemaspermatibus obvium descendit.

Muliebris porro vagina, dum ab orgasmo relaxatur, quasi sugendo in se trahit liquorem spermaticum, hoc modo

obsecundans motui nemaspermatum quae, sicut dictum est, interiores vaginae et uteri partes appetere videntur.

Suctu isto et quasi attractione vaginae explicatur quoque quomodo semen ad ostium vaginae depositum fecundationi locum dare potuerit.

In phaenomenis secundariis.

3. Quod ad *phaenomena secundaria*, quae perfectum genitalium usum comitantur :

In utroque sexu, durante aestu, observatur anhelitus crebrior et interruptus, fortior ac frequentior cordis palpitatio, sudor, secretio glandularum et alia huiusmodi.

In termino.

4. Quod ad subiectivum *exitus affectum*,

Ambo sexus satietatem voluptuosam et pacem quandam ac quietem experiuntur: utrique parti, generali modo, bene est (*sensation de bien-être général*).

Itaque, re vera, carnali coniunctione, vir et mulier ex duobus unum facti sunt; unam duabus similibus partibus actionem effecerunt, sicut quasi unum organum ex utroque corpore compositum est.

§ 3. *Variae commotionis sexualis causae.*

Tria quae ad normalem excitationem concurrunt.

14. — Illud primo observandum est, in normali sexualis appetitus excitatione seu actione, non solas *partes genitales*, sed etiam *nervosa medullae spinalis* et *cerebri* centra partem habere (1). Quare, ut appetitus iste omnem suum actum obtineat, oportet ut evoluta, intacta et congruente communicatione coniuncta sint tria ista : organa sexualia, centra medullae spinalis et centra cerebri (2).

Commotionis venereae causa psychologica, seu in animo.

15. — *Amor*, etiam ordinis superioris quem quis erga aliam personam fovet, commotionem carnalem adducere vel iuvare potest, mediante generali dispositione quam talis affectus inducere solet. Cf. dicenda infra, n. **24-26**.

Contra autem, aversio animi omni excitationi libidinosae viam praecludere potest, ita ut etiam physicus conatus frustraneus evadat.

---

(1) Hoc iam tradebatur aetate S. Ioannis Chrysostomi, quippe qui scribat : « Alii ex cerebro, ex lumbis orgasmum oriri dicunt ». Homil. 62 alias 63 ib Mathaeum (M. P. G. 57, 600). — (2) Cf. Havelock-Ellis, apud Moll, *Handbuch*, etc. p. 189, s.

Causa in sensu interno.

16. — Quantum *sensus internus* seu *phantasia* valeat ad venereum appetitum vel excitandum, vel moderandum, vel sedandum, omnes perspectum habemus. Pro varia ratione qua phantasia affecta est, eadem exterior contrectatio inefficax vel efficacissima erit ad sensum venereum commovendum.

Vi porro qua, in his rebus, celebrum pollet, explicant etiam quomodo infantes, senes, castrati, quamvis propriis organis plus vel minus destituti sint, libidinosos affectus experiantur.

Causa in sensibus exterioribus.

17. — I. *Ceteri* autem *sensus* appetitui sexuali etiam directe cooperantur, si unum excipias sensum *gustus*. Is, proprio muneri alendi corporis addictus, in sensum venereum nihil *immediate* agit. Quamquam ciborum quantitas et qualitas corpus physice ad excitationes venereas disponere possunt. Ita fit ut libidinosae personae quaedam pharmaca (v. g. « *hispanische Fliege* », tamarinthus) sibi comparent ad copiam excitationis genesicae augendam. Minor sane sed non semper contemnenda est vis quorundam ciborum, qualis apium sativum (*céléri*), asparagus (*asperge*).

Quo pacto gustus cooperetur, ubi de variis pharmacis.

Et quamvis nemo hodie fidat sic dictis « monachorum liquori » et « syrupo castitatis », scitu utile est pharmaca exstare quae temperandae libidini apta sunt, vel quae iuvant ut spontaneae emissiones, quales interdum a natura requiruntur, facilius fiant. Sic sine periculo emi et usurpari possunt globuli ex « lupulino » confecti ; sic, indicante medico, hyoscina et bromurum inefficacia putanda non sunt. Nec in hac re prudens hypnotismi usus damnandus est. Recens satis commendatur *adalina* ad curandos masturbatores (1).

Quid efficiat tactus,

II. Age porro, ut de singulis sensibus pauca tradamus :

1. *Tactus* et contrectatio plurimum possunt, quando vel in organis sexualibus vel etiam in vicinis quae nervosam affinitatem (*une innervation connexe*) possident (2), exer-

---

(1) Cf. de isto argumento R. P. Gemelli, *Non moechaberis*, c. 5, p. 145-166. Quamvis vim camphorae non neget, falsum tamen dicit Salernitanum proverbium : « Camphora per nares castrat odore mares ». — (2) Sic ipse anus. Cf. Féré, *L'instinct sexuel*, p. 913.

centur. Quamquam solus commotionem veneream immediate adducere nequit. Cf. infra, n. 22.

Immo, etiam in partibus magis distantibus, *centra secundaria* observantur, ubi tactus superficiei concitationem veneream inducere vel augere potest. Huiusmodi sunt meatus mucosi corporis (v. gr. labia) qui sedes sunt tactus valde subtilis. Harum partium contractu sive mutuo sive cum partibus genitalibus, appetitus valde acuitur. Quare oscula in labia, minus pudica sunt osculis quae in genas imprimuntur.

Mulieri autem plura quam viro centra secundaria exsistunt.

visus, 2. *Visus* simul principalis et magis spiritualis est hominis sensus. Visu porro personae formosae, praesertim si gratia motus, v. gr. in saltatione, accedat, vir multo magis quam mulier allicitur et capitur. Mulier enim magis robore quam venustate attrahitur.

Ne ideo tamen existimes dici posse personam quo in se seu absolute pulchrior sit, eo maiorem habere facultatem convertendi in se affectum sexualem. Namque propriae illecebrae in quibusdam formis corporis inesse videntur; et peculiaris duorum convenientia etiam attendenda est.

auditus, 3. *Audita* voce virili, mulier magis afficitur quam ipsa sua voce feminea (quae vix a puerili differt) viro sexualiter placet.

Cantus autem et melodia nobiliores potius affectus cient, quamvis etiam quodam musicae genere corpus ad lasciviam disponi possit.

olfactus, 4. *Olfactus* demum, quo non pauca animalia maxime reguntur, satis parum *plerisque* hominibus efficax esse solet, ita ut odor corporis affectum potius avertat. Vim tamen quandam seductionis unguentis et quidem iucunde gravibus (*forts*) non deesse, mulieres perpetuo usu testantur.

Hanc sensuum participationem non ignorans, iam auctor IV saec., verisimilius Basilius *Ancyr.* (1), fuse tractat de modo quo singuli sensus a virgine custodiendi sint.

(1) *De vera virginitatis integritate*, n. 5 (M. P. G. 30, 669-809). Cfr. Cavallera, *Rev. d'Hist. ecclés.* 1905, p. 5-14.

Plura quae numerando percurrimus, puta oscula, amplexus, aliis effectibus pietatis, amoris spiritualis, significandis vel alendis apta sunt. Aequivoci itaque isti actus dicendi sunt, quorum significatio et vis ex intentione et adiunctis definiri debet. In qua re etiam ab alucinatione homini valde cavendum est, ne colore pietatis vel spiritualis affectus demonstrationes et actus obducat quae sensualitati vel libidini carnali tribui revera debent. Quo minus obviam se offert honesta explicatio, eo magis suspectam causam res habet. *Aequivoca significatio plurium actuum.*

18. — Ipsi generi vivendi sua non deest vis. Atque ii qui anthropologicis rebus student observant in exculta vita qua utimur, propter minorem corporis laborem, accedente lautiore cibo et luxus mollitie, appetitum sexualem multo magis quam in vita barbarorum intendi, ita ut quasi sempe, ad actum promptus sit. Simul tamen mens magis exculta pluribus sollicitudinibus ac curis a libidine distrahitur et fortiore imperio caecos sensuum impetus domare docetur. *Causa in ipso cultu seu genere vitae.*

19. — Ineunte vernali temperie et autumnali frigore, propensio venerea augescere cernitur. Itaque tempus quod quadragesimali ieiunio ab Ecclesia deputatur ad insolentiam carnis cohibendam apte selectum est. *Causa in caeli temperie.*

Immo plures suspicantur menstruum esse cyclum in quo appetitus venereus crescit et decrescit vario gradu, ita ut bis summum attingat (1).

§ 4. *Pudor. Vestes.*

20. — I. Hoc loco non agimus de morali pudicitiae virtute, sed de naturali pudoris affectu et sensu, cuius anthropologistae analysim instituunt, philosophi vero et theologi altiores rationes quaerunt. *Pudoris notio,*

Istud in comperto est. Appetitus venereus simul ruborem quendam parit et quandam beatitudinem promittit, ita ut de homine dici possit: eum pudet manifestare, immo quadantenus facere, quod carnaliter maxime delectat. Erubescit unde laetatur! Qui affectus, prima specie satis mirus, ad nobilitatem naturae humanae pertinere convin-

(1) Cf. Ellis apud Moll, p. 183-184.

citur, ita ut in eum qui pudorem deposuerit contemptus incurrat. *Pudor* itaque describi potest *intima quaedam animi haesitatio ac reluctantia, quae appetitui venereo difficultatem quandam superandam opponit, unde fit ut minus aperte et minus prompte eidem concedatur* (1).

Eandem, aetate praesertim adulescentiae, sic pulchre depingit JOUBERT (2): « La pudeur est on ne sait quelle peur attachée à notre sensibilité, qui fait que l'âme, comme la fleur qui est son image, se replie et se recèle en elle-même, tant qu'elle est délicate et tendre, à la moindre apparence de ce qui pourrait la blesser par des impressions trop vives ou des clartés prématurées ».

Re enim vera, pudor, potius quam contrarietatem, frenum dicit ne inconsiderate procedatur; carnalem libidinem minime exstinguit aut minuit, sed modum quendam et regulam ei imponit.

Quibus elementis spontaneus affectus seu instinctus pudoris constituatur seu componatur, ex mutuis sexus relationibus depromi potissimum debet, cum pudor ad ordinem sexualis coniunctionis pertineat.

anthropologica investigatio.

Anthropologica porro pudoris investigatio haec tunc revelat:

1. Coniunctio sexualis mutuam corporum traditionem requirit: itaque in repugnantia pudoris quaedam proprietatis individualis defensio et custodia deprehenditur.

2. Partes sexuales parum in se decorae sunt et organis humillimarum functionum proximae reperiuntur. Quare, in prima earum exhibitione, quae sexuali commercio postulatur, quaedam iactura existimationis et illecebrarum timenda est. Hinc naturalis *timiditas* in pudore locum aliquem obtinet.

3. Propria sui existimatio hominem etiam impellit ne se cuilibet tamquam vilem mercem tradat, sed dignum amatorem seligat. Pudor itaque curam quandam dignitatis propriae continet.

4. Et cum vilescat quidquid omnibus obvium est, opposita prius difficultas etiam studium manifestat augendi rei dein concessae pretium.

---

(1) Sic etiam BUCCHAN et ELLIS apud MOLL repugnantiam sexualem pudore primitus significari pucant. — (2) *Pensées*, p, 80-83.

Pudor naturalis demonstratur.

Itaque instinctus conservationis, timiditas, cura dignitatis propriae, appetitus famae et honoris, in sensu pudoris apparent; quae cum naturalia sint seu ingenita, pudor inde resultans etiam naturalis dicendus est.

Causae pudoris ex S. Thoma.

S. Thomas (1) binas has alteras in mente seu superiore hominis parte causas pudoris demonstrat: alteram, utriusque sexus communem, id est, vehementiam qua aestus voluptatis mentem occupat atque absorbere solet; alteram, propriam virilis sexus, id est manifestam illam carnis insolentiam quae ad imperium rationis imperfecte tantum oboedit, ita ut vel inviti varios motus carnis experiamur.

Rationem istam S. Augustinus his verbis iam reddebat: « Hinc et nudi erant et non confundebantur (primi parentes). Animam quippe rationalem naturali verecundia nunc pudet, quod in carne, in cuius servitutem ius potestatis accepit, nescio qua infirmitate efficere non potest ut se nolente non moveantur et se volente moveantur. Quae propter hoc in quovis casto merito appellantur pudenda, quod adversus dominam mentem, quasi suae sint potestatis, sicut libitum est, excitantur, idque solum iuris in his habent frena virtutis ut ad immundas et illicitas corruptiones ea pervenire non sinant (2) ».

Cur pudor maior sit in mulier.

Cum autem, in explendo appetitu sexuali, mulier partes passivas exerceat, dum vir potius aggressoris personam sustinet, mulier magis quam vir ad pudorem proclivis est, et, deposito pudore, speciale sui sexus ornamentum ac decus amittit. Ipsa natura modo quo verenda mulieris intra labia recondit eam ad maiorem verecundiam invitare videtur.

Pudoris utilitates.

Hae statim se produnt utilitates pudoris. Efficit ut relationes sexuales magis *caute* ineantur, quod ad felicitatem mutuam et bonum sociale hominis non parum confert; per selectionem personarum favet meliori generis humani multiplicationi; docet hominem quandam sui victoriam, unde fortior ipse evadit; dignitati hominis consulit.

Vestium origo,

21. — II. Scriptura Sacra primam *vestium* originem verecundiae ascribit (3). Unde pulcherrime dictum a S. Augustino : « Qui vestitus gratia non habebat in nudo cor-

(1) 2, 2, q. 131, art. 4. — (2) *De peccatorum meritis et remissione* l. 2, c. 22, (M. 44, 172. 173). — (3) Cf. *Genesim*, 3, 10-12,

pore quod puderet, spoliatus gratia sensit quod operire deberet (1). »

Anthropologiae autem studiosi de ista origine disputant. Nec pauci hodie, valde gratuito, negant eam ex pudore repetendam esse. Hoc eorum placitum satis cohaeret cum negatione animae spiritualis, quae immediate a Deo creata sit. Nullum enim affectum ordinis moralis tamquam primitivum habent.

Utilitas moralis.

Iidem tamen subsidium quod vestes verecundiae afferunt minime in controversiam vocant.

Ac re quidem vera, vestes illecebras sexuales per se minuunt. Et naturalis sensus pudoris postulare videtur, ut saltem partes stricte sexuales vestibus tegantur. Sane, immediata vis alliciendi maior inest in extensa nuditate quam in speciali istarum partium exhibitione: haec potius horrorem inicit. Verum obscenitas, ipsa audacia impudica, ad libidinem quasi psychologice invitare videtur, dum cura tegendi corporis partes dignitatem humanam et frenum appetitui imponendum inculcat et praedicat, et libidinem sic indirecte cohibet.

Quaenam probandae, improbandae sint.

Vestes tamen etiam illecebras augere possunt, cum elegantia sua venustatem supplent, vel cum oculos in organa sexualia vel corporis formas convertunt.

Porro, in aestimanda vestium qualitate, non sola vis directae seductionis consideranda est, verum etiam formalis significatio audaciae vel modestiae; in quam significationem adiuncta multa possunt. Atque improbandae sunt vestes quae, in concretis adiunctis, audaciam protervam manifestant, dum eas probabimus quae modestiae sensum rationabili modo produnt.

Multum hic usus potest, qui alius apud excultas gentes, alius apud barbaros est, atque etiam inter gentes excultas veram, quamvis minorem, varietatem habet.

---

(1) *Contra Iulianum Pelagianum*, l. 4, c. 16, n. 82 (M. 44, 781).

§ 5. — *Variae delectationes. Motus venereus.*

Quid delectatio, gaudium.

22. — *Delectationes speciales.* Sensibilis fruitio, secundum se, *delectationis* nomine magis presse appellatur, dum *gaudii* nomen delectationi quae rationem consequitur et etiam de re sensibili percipi potest, melius reservatur (1).

Variae species.

Utilibus actibus providus Deus subiectivam satisfactionem coniungere solet, quae ad actionem exercendam suaviter invitat.

Inde receptum istud apud theologos: *delectatio propter operationem.*

Delectatio sensibilis, venerea.

Est itaque sua cuique sensui delectatio: visui, auditui, tactui, gustui, appetitui carnali. Priores autem delectationes *pure sensibiles* dicuntur, dum postrema *venerea* appellatur et propriam in partibus sexualibus sedem habet.

Observes, hoc loco, sensum venereum in cutis superficie sedem non habere, nec magis quam gustum, ad tactum quempiam reduci posse. Potius, affluente sanguine in organa sexualia, reflexo modo quasi ultro in actum transit post corporales seu mentales excitationes.

Quare, sublatis his partibus, venerea delectatio proprie sentiri iam non potest. Locus tamen superest eius affectui, phantasticae eius imagini et voluptati.

Mixta seu sensibilis carnalis:

23. — *Delectationes mixtae.* Plurimum, ut supra n. 16. 17 vidimus, singuli sensus (excepto gustu) valent ad veneream commotionem excitandam. Sic ergo facile fit, propter obiecti naturam, vel agentis intentionem aut moralem eius dispositionem, ut obiectum placeat qua visum, auditum, contrectatum, odoratum, et simul, saepe, mediante phantasia seu consociatione idearum, venerem excitare incipiat. Homo experitur tunc delectationem quae *mixta* dici potest, quatenus, praeter alium sensum, appetitus venereus ibi interveniat. Quae delectatio *sensibilis carnalis* inde merito appellatur.

sensibilis generalior.

24. — *Delectatio sensibilis generalior.* Praeter distinctam istam aliorum sensuum cum aliquo speciali sensu conspirationem, mira naturae humanae concordia id efficit, ut

(1) S. Thomae, 1, 2, q. 31 art. 3.

corpus totum proprias singulorum sensuum operationes et delectationes harmonica quadam dispositione participet. Dixeris esse quandam singulorum sensuum per reliquum corpus diffusionem.

Quare physiologiae studiosi, praeter speciales singulorum sensuum sensationes, generalem quandam ad singulas corporis sensationes attemperationem agnoscunt, seu minus definitam et generaliorem sensationem (*sensations somatiques générales, viscérales et cinesthésiques*). Cum omni enim humana cogitatione seu intellectuali repraesentatione, habetur id quod gallice appellant *un ton affectif* ou *indice émotionnel*. Affectio ista variis immutationibus corporalibus constat, quarum peculiaris forma et intensitas a natura rei repraesentatae partim pendet. Hae fere sunt istae immutationes: palpitatio cordis magis vel minus fortis et frequens; varia localis pressio (*pression*) sanguinis (*par vasomotion*), anhelitus magis vel minus amplus et frequens; intensior aut remissior tonus musculi (*ton musculaire*); varia per corpus distributio potentiae electricae; varia nervorum affectio et actio (*différences d'innervation*), etc.

De qua corporis immutatione ambo haec praeterea notare iuvat.

« *Coenesthesia* ». 25. — 1. Ista corporis cooperatio operationem specificam comitari, atque etiam, v. g. si haec praevisa et exspectata sit, eam antecedere potest. Antecedens autem specificam sensationem praeparat.

Sic observamus omnes quo pacto fame, abundantiore salivae productione, satisfactio gustus praeparetur. Sic etiam ad pulchri spectaculi contemplationem, ad suavem concentum audiendum, corpus idoneo habitu se disponit. Et in re nostra, nonne sola spe carnalis commercii homines venereis tendentiis veluti abripiuntur, ita ut nihil aliud agere vel meditari queant? Immo, non paucis id accidit ut si, propter iustam etiam causam, v. gr. curandi vel lavandi corporis, insolitum quidpiam facere, immo videre vel legere oporteat, iam ante, vel inviti, et morae impatientes et paene toti ad rem affecti, inclinationes venereas sentiant et demonstrent. Delectationem quidem veneream nondum fortasse experiuntur,

ab ea alieni manebunt, sed veneream « coenesthesiam » gravem patiuntur.

Physiologica lex consociationis.

2. Simili et affini, non stricte identica (*une coenesthésie analogue, non pas strictement identique*) corporis habitudine et affectione amor proprie spiritualis et amor carnalis praeparantur et tamquam a sympathico comite adiuvantur. Est itaque utrique affectui fere communis quaedam generalior corporis affectio et attemperatio.

Obtinet tunc *physiologica* ista *consociationis lex:* Qui duo affectus similem repercussionem in corpore habent, possunt ipsa repercussione excitari, sicut etiam altera alteram repercussionem inducere potest. Unde non est tam mirandum quod homo, vir praesertim, dum spiritualem immo religiosum, affectum fovet, quosdam motus carnis, invitus patitur, quales etiam sancti interdum in oratione experti sunt.

Delectatio sensibilis media

26. — Quae cum ita sint, generalis ista corporis dispositio, quatenus suavis sit, locum dat *delectationi* quae: *a*) Obiecto minus definita est, et sic generale nomen delectationis *sensibilis* meretur; *b*) Pro varia mentis intentione et depicta in animo imagine, ad carnalem delectationem proxime ducere vel ab hac per se alienam manere debet. Quare, secundum se, *media* dici potest, et, pro varia intentione et cogitatione, eadem *carnalis sensibilis* vel *sensibilis spiritualis* merito vocabitur. *c*) Quae tamen, secundum se, carnali delectationi magis propinqua et affinis demonstratur. Quare, nisi mens eam positive sursum secum trahat, per se potius sexuali libidini viam parat: qui deliberate eidem propter se inhaereat, mox carnem commotam experietur.

Hinc fit ut medici et physiologistae generalem istam delectationem ad appetitum sexualem simpliciter referant. Theologis autem ista delectatio sensibilis est *media* illa delectatio in qua describenda vel explicanda interdum laborare videntur.

Quomodo Palmieri sensibiles delectationes distinguat.

27. — Audiatur de ista re PALMIERI, apud BALLERINI (1). « Non displicet tamen distinctio delectationis sensibilis, quae alia est a venerea, in *pure sensibilem*, in *spiritualem* et in *carnalem sensibi-*

(1) *Opus theol.* tom. 2, n. 961.

lem. Prima est quam parit ipsa aptitudo obiecti ad sensum. Altera est interior, quae ex affectu honesto oritur, puta erga matrem, immo etiam erga Deum, cum quadam commotione sanguinis vel spirituum circa cor, ad quam excitandam, etiamsi visus et tactus subinde concurrant, sola tamem quaedam vehemens cogitatio vel apprehensio sufficit. Tertia est, cum eadem commotione, ex affectu minus honesto, quamvis non venereo, determinata plerumque ob pulchritudinem seu venustatem quae in aliqua persona placet; soletque percipi cum tactu tum solo visu et frequenter sola cogitatione repetente obiectum; quae cogitatio, licet in se non obscena, idonea tamen est munire paulatim viam ad veneream commotionem. Hanc auctor (BUSEMBAUM) vocat sensualitatem. »

Qua duplici ratione delectatio dicatur sensibilis carnalis.

In qua sua descriptione, PALMIERI satis confundere videtur delectationem *generaliorem* seu mediam, quae, propter connaturalem tendentiam, *sensibilis carnalis* dici potest, et *specialem* quae, quia mixta est sensibili et carnali fruitione, etiam *sensibilis carnalis* appellatur. Quid autem « commotio sanguinis circa cor, etc. » repraesentet, ex ampliore nostra coenesthesiae descriptione colligere potes. Est pars quaedam notabilis generalioris istius status affectivi.

Duplicis itaque rationis est delectatio *sensibilis carnalis*: id est, *mixta* et *generalior*. In mixta habetur iam delectatio carnalis sed non sola; in altera, delectatio carnalis proxime per se instat.

Quid delectatio venerea?

28. — *Delectatio venerea* est *propria generationis inchoatae vel perfectae delectatio.*

Quid motus venereus.

Motus venereus est *physica corporis immutatio, quae delectationem istam affert.*

Definitionem istam praeferimus magis communi, qua motus venereus esse describitur *delectabilis immutatio exteriorum partium sexualium.* Haec definitio enim statim has observationes appellat, non nimis attendendum esse ad hoc ut ipsa ista immutatio tamquam delectabilis percipiatur. Si quis ex phantastica repraesentatione et immutationem partium sexualium et delectationem a pure sensibili distinctam obtineat, ne dubitet quin motum venereum subeat vel veneream delectationem experiatur.

Contra autem, si propria delectatio deficiat, simplex membri virilis erectio nondum motus stricte carnalis seu venereus dicendus erit. Experientia porro testatur, saepe accidere ut penis, ob causas a sexuali appetitu disiunctas vel eidem affines, in longitudinem erigatur. Magis autem quam ea quae a centro cerebri pendet, mechanica erectio a venerea commotione distat.

Quae autem ab imagine sexuali vel affectu sexuali proficiscitur, etiamsi in se nondum delectabilis sit, delectationi venereae proxima est.

Itaque, *in viro*, motus venerei erunt delectabilis erectio penis et eiusdem agitatio (qua seminis effusio praeparatur); *in femina* autem, delectabilis erectio clitoridis et vaginae contractio.

§ 6. — *Vitia instrumenti vel sensus sexualis* : *seu Pathologia sexualis.*

Argumenti divisio.

29. — Quia plenus functionis sexualis usus intacta postulat tum organa sexualia, tum centra nervorum, tum ipsas sexuales propensiones, pathologia sexualis tum ad ipsam organorum fabricam, tum ad nervorum statum, tum ad psychicum affectum pertinet. Hinc *vitia structurae*, *neuropathiam sexualem* et *psychopathiam sexualem* distinximus.

I. — *Vitia structurae.*

Defectus in viro.

30. – Haec potissimum a nobis commemoranda videntur.

1. *In viro :*

Penis deest vel omnis, vel, dum 8-10 centim. habere solet, adeo exiguus est ut vix tactu percipiatur, aut, contra, est nimis longus (ad 30 centimetra), aut nimis amplus.

Meatus penis non in ima glandula, sed in superiore vel inferiore parte canalis aperitur (*Epi* vel *hypospadia*).

Testes vel desunt (*anorchidia*); vel ambo aut alteruter latent, v. g. in abdomine vel canali inguinali (*cryptorchidia*), vel, quasi non nutriti, minuti tantum adsunt (*atrophia testium*).

Phimosi, propter nimis angustum praeputium, glandula detegi nequit. *Paraphimosis* habetur, cum praeputium, detecta glandula, coronam ita stringit, ut iam protrahi nequeat.

In muliere.

2. *In muliere.*

Vagina deest vel meatum nullum, saltem exteriorem, aut nimis artum habet.

Hymen nimis firmus est, ita ut penetrari nequeat.

Uterus deest vel occlusus est.

Ovaria desunt.

Suntne hermaphroditae ?

31. — Hoc loco quaeri potest, utrum necne *hermaphroditae* exsistant ?

In vita sua uterina, fetus, per aliquod tempus, feminea organa simul cum masculinis possidet, ita ut vere

bisexualis dicendus sit. Postea autem alterutra organa non iam evolvuntur, et sexus unus praevalet.

Adultus autem homo qui sit plene et vere hermaphrodita, idest, qui utriusque sexus notas ita coniungit ut utriusque partes exercere queat, et sic alterutrius sexus optionem habeat, ad inania commenta hodie amandatur. Sunt tamen homines qui in ipsis partibus sexualibus vel in reliquo corpore, aut etiam in animae propensionibus, simul cum proprio sexu, signa vel vestigia alterius ferunt. Hinc *androgyni*, viri sunt cum notis quibusdam mulierum; *gynandrae* sunt feminae cum notis virorum. Habentur etiam qui magis neutrius sexus sunt, ita ut de vero sexu dubitetur, et interdum errores commissi sint. Cf. A. S. S. t. 21, p. 480-501, causa Ferentina, 1888, ubi putata uxor ad sexum masculinum ab optimis medicis ascripta est.

II. — *Neuropathia sexualis.*

Pollutiones irregulares.

32. — I. *Pollutiones* nimis *frequentes* vel nimis *laboriosae*. — In viro regulariter, sine ulla voluntatis cooperatione, occurrunt in somno pollutiones quae, quando non nimis frequentes sunt, valetudini nihil nocent. Frequentia porro varia est pro aetate, pro corporis temperie, pro vitae genere: quod bis vel ter in mense occurrant, prorsus normale est; quod paucis diebus continuis repetantur, interposito dein longiore intervallo, nihil mirum aestimandum est; nec hebdomaria pollutio est formidanda.

In somno autem generatim, ne dicam semper, cum excitata phantasia et corporali voluptate producuntur.

Homines tamen sunt qui easdem nimis frequentes noctu vel ob levem causam in die aut cum capitis gravedine experiuntur.

Alii etiam nimia pollutionum difficultate vere torquentur.

Spermatorrhaea.

Alii demum laborant sic dicta *spermatorrhaea*, idest, sine orgasmo et iaculatione, semen (saepe cum urina vel etiam in levando ventre) emittunt.

Haec, nisi ex vitio ortum ducant, variis morbis, prae-

cipue systematis nervosi tribuenda sunt. (Cf. GEMELLI, *Non moechàberis*. p. 68).

Priapismus.

33. — II. *Priapismus* designat permanentem, sine libidinosa commotione, membri virilis erectionem.

Neurasthenia sexualis.

34. — III. *Neurasthenia sexualis*, in genere, nimis facilem excitationem cum sensu defatigationis et debilitatis coniungere solet. Eius notio diversimode traditur. Sexualis dici potest, quatenus statum vel excitationem sexualem varie perturbat.

Omissis causis involuntariis, qualis ipsa corporis debilitatio vel hereditas, erethismus iste nervosus excessibus venereis, praesertim frequenti masturbatione, innaturali coitu, maxime coitu interrupto, non autem abstinentia sexuali gigni vel gravior reddi potest (1).

In viro vel erectionem solam vel iaculationem vel utramque impedit, vel inchoatam tantum sinit esse erectionem cum seminis profluvio.

Inducit etiam nimis frequentes pollutiones nocturnas, quae capitis gravedinem et animi deiectionem post se linquunt (2).

Levis causa etiam sufficit ut aegroti diurnas pollutiones habeant; vel laborent spermatorrhaea.

Aliquando penis dolores, sine causa exteriore, habent, vel calorem et pruritum experiuntur; se emittendo semine repletos sentiunt, promptos ad commotionem carnalem; nec falsa ipsorum fames actu venereo sedatur.

Huc etiam referre possumus nimis diuturnam, cum sensu voluptatis (qua nota a priapismo distinguitur), penis erectionem.

Neurasthenia in muliere.

Neurasthenia sexualis minus in *muliere* explorata est. Simili modo nimis facilis excitationis, frequentioris pollutionis manifestatur.

III. — *Psychopathia sexualis.*

Psychopathiae sexualis notio,

35. — Nomine *psychopathiae sexuàlis* multa vitia numerantur quae ipsum appetitum sexualem afficere videntur. Itaque:

Origo,

Origine vitia ista non ita raro sunt ingenita, idest a

(1) ELLIS et MOLL, *op. cit.*, p. 699. — (2) Ibidem, p. 697 ss.

parentibus accepta; sed interdum quoque debentur sive propriis peccatis, sive etiam accidentali et inculpato facto.

Forma varia. Multiplici autem *forma* et *ratione* variant. Ut ordine quodam potissima numeremus:

36. — Primo genere vitia complectimur quae subiectivam appetitus vim perversam produnt. Sunt autem:

Paradoxismus. *Paradoximus*, cum appetitus insolita aetate furere incipit; sive nimis praecox fuerit: paradoxismus *infantilis*, ante pubertatem et praesertim ante evoluta organa; sive nimis serus fuerit: paradoxismus *senilis*.

Anesthesia. *Anesthesia vel hyposthesia*, cum appetitus vel nullus est vel nimis debilis demonstratur: quod vitium frequentius apud mulieres occurrit.

Hyperesthesia. *Hyperesthesia*, quae nimiam signat appetitus vim. Insatiabilis furor viri, *satyriasis*, feminae vero, *nymphomania* dicitur.

Cum nimio appetitu saepe cohaeret abusus masturbationis, qui tamen saepe sine perverso appetitu mores inficit.

Ad hyperesthesiam referre etiam possumus vitium eorum qui ob leviorem causam concitantur; vel qui (saepe ex depravatis moribus) omni fere occasione et tempore de rebus turpibus cogitant et verba faciunt. Erotismum istum damnat etiam Forel, *La question sexuelle*, p. 127-128.

Paresthesia. Inversio, 37. — Altero genere vitia complectimur quibus homo inclinat ut, spreto obiecto naturali, aliud affectet. Istud *paresthesiae* seu perversionis genus proprie *inversio* dicitur.

Narcismus. Hi, vel proprio tantum corpore delectantur (hi rari sunt), et vocantur *narcistae*.

Vel proprii sexus amatores sunt: appellantur *homosexuales* (1) *vel tribades*, prout de viris vel de feminis agitur. Viri dicuntur etiam *graeco* amori dediti; feminae, amore *lesbeo* seu *sapphico* affectae.

Sodomia. Commune nomen *sodomiae* vel etiam *uranismi* in hoc vitium cadit.

Qui autem cum pueris libidinem explere student, *paede-*

(1) Sunt, v. g. Dr. Gemelli, qui nomen *homosexualitatem* ad benigniores formas istius perversionis applicantes, *paederastiam* vocant affectum qui ad sodomiam usque pertingit.

rastae proprie vocantur ; ipsi autem adulescentes qui turpitudinem in se admittunt *molles* (*mignons*) stricte vocantur.

Vel ad animalia afficiuntur, et appetitum *bestialem* habent. *Bestialitas.*

38. — Tertio genere, quod etiam est *paresthesiae*, comprehendimus insolitas rationes quae vel libidini explendae sufficiunt, vel media sunt extraordinaria appetitum normalem vel irregularem excitandi. *Vitiosa excitabilitas.*

Ad has vitii rationes ascribimus :

Symbolismum, qui quasi symbolis utitur ad libidinem explendam. Idest, potius quam personam, signum vel indicium, mire interdum selectum, quaerit. *Symbolismus.*

Sic *Fetichismus*, qui in capillis feminae secandis et asservandis, in contemplandis infantium cruribus vel aliena impuritate, vel in quibusdam rebus (v. g. calceis) possidendis, libidinosam delectationem invenit et in ea quiescit, nihil plus desiderans. *Fetichismus.*

Sic etiam *Exhibitionismus*, qui impellit ad obscena alteri sexui exhibenda. *Exhibitionismus.*

Ad simile genus ascribimus *Sadismum*, qui crudelitatem quandam cum voluptate coniungit; *Masochismum*, qui sadismo quasi contrarius, humiliationes et proprios dolores affectat (1). Dicitur interdum *algolagnia passiva* seu *lubricitas dolorosa* (2). *Sadismus.* *Masochismus.*

Redit huc fetichismus alterius rationis, quo qui laborat certis rebus visis vel contrectatis opus habet ad appetitum sexualem commovendum. Affinis ille est qui solo olfactu concitatur. *Fetichismus alterius rationis.*

Contrario quasi vitio laborat qui tactu sedatur quo alii commoverentur (3).

39. — NB. 1. Vitanda hic confusio est. Saepe enim vel masturbatio exercetur vel persona eiusdem sexus aut etiam animal quaeritur, quia occasio alterius sexus non *Vitanda confusio.*

---

(1) *Sadismus* dictus est a famoso marchione DE SADE, qui ei indulsit et proprias turpitudines descripsit ; *Masochismi* nomen invenit KRAFT-EBBING, quia scriptor SACHER-MASOCH vitium istud descripserat. — (2) GEMELLI, *Non moechaberis*, p. 236. — (3) De his, cf. KRAFT-EBBING, *Psychopathia sexualis* ; et MOLL, p. 192. 197. 198. 605-607.

habetur. Nulla tunc appetitus corruptio his vitiis continetur vel manifestatur.

Appetitus multiplex.

2. Non desunt vitiosi qui homosexuales appetitus cum ordinariis coniungunt. Quare fornicatio a paederastia non liberat.

§ 7. — *Amicitiae et amoris sexualis comparatio.*

Comparationis occasio et utilitas.

40. — Amor passione sexuali productus personas diversi sexus regulariter coniungit, et ad copulationem per se dirigitur. Accidit tamen interdum quasi separatio quaedam qua, deposita vel omissa actus sexualis voluntate, duae personae eiusdem vel etiam diversi sexus altera alteram affectu qui coniugum similis est prosequuntur.

Saepe in collegiis et puellarum conservatoriis, affectus isti nimis teneri adulescentes duos vel duas puellas coniungunt. De flammis istis utiliter quaeritur quo pacto amor huiusmodi a nobili amicitiae affectu dignosci possit (1).

Amor dicit mutuam duarum personarum possessionem, qua ex duabus quasi una fieri videtur. Quare alios excludit, zelotypia facile laborat; ius quoddam stabilitatis et fidelitatis vindicat; et, propter moralem personarum confusionem, dum alteri benevolum se exhibet, alter simul se ipse amare videtur, fere sicut parentes causam et utilitates filiorum tamquam proprias procurant. Quare amor dictus est « *un égoïsme à deux* ».

Amicitia, e contra, causas separatas esse sinit; nec alios, paucos tamen et selectos, amicitiae socios repellit, nec ius quoddam perseverantiae, a naturali effectu constantiae distinctum, sibi esse putat vel allegat; benevolentiam autem puriorem, magis amore proprio solutam amico exhibet.

Respectus aetatis multo minor est in *amicitia* quam in *amore*.

Amor, cum per se inter personas diversi sexus exsistere debeat, diversam potius quam similem indolem quae-

(1) De isto argumento conferri potest: *Le amicizie di collegio*, ab Obici et Marchesini.

rit : inter duos oriri solet quorum alter fortior alteri debiliori, molliori dominatur.

Physicam convenientiam *amor* postulat, dum physicae dotes *amicitiae* nec necessariae sunt, nec sufficere possunt.

Amicitia ex qualitatibus moralibus gradatim perspectis exoritur, dum *amor* interdum e causa subita nec praevisa, quasi ex tactu fulminis erumpitur.

Dum *amicitia* unum eundemque placidum tenorem servat, *amor* sollicitus atque anxius est ; affectus declarationes iterum atque iterum petit ; varias vices suspicionum, discidiorum, dein restitutae pacis habet (1); conspectum, amplexus, oscula, contactus affectat ; clam agere, secreta voce dicere, mysteriosis velis se obtegere eidem placet. Observant etiam *amantem*, non autem *amicum*, pronum esse ut litteris vel potius litterulis affectum reddat et ubique nomen amatae personae scribat.

Denique de *amore* qui nullam nuptiis viam parat, tamquam de re minus honesta, minus congrua, scrupulus quidam, quem variis excusationibus, interdum valde subtilibus, amantes dissipare conantur, concipitur, dum *amicitia* serena fronte et quieta conscientia fovetur.

§ 8. — *Hygiastica* (*Hygiène sexuelle*).

Dicendi ratio et utilitas.

41. — Variis documentis quae, potissimo sed non exclusivo valetudinis respectu prudenter collecta, hoc loco referimus, plures moribus damnosos errores amputare vel refellere, et observando ordinis morali consulere in primis proponimus. Speramus praeterea fore ut utilium consiliorum copiam non uni sacerdoti daturi simus.

Varia de actu coniugali consilia.

Actus coniugalis non nimis frequens, a personis sanis exercitus, valetudini magis prodest quam obest. Qui vero vel aegritudine vel intemperantia nervos male affectos habent, damna, interdum gravia, inde pati possunt (2). Amor enim, idest aestus sexualis, dictus est *epilepsia brevis*.

---

(1) Cf. Cicero, *ad Atticum*, 2, 24, 1 ; *Tusculanes*, 4, 35, 75. — (2) Ellis, apud Moll, 7. 181. Cf. praesertim Féré, p. 319.

Ad ipsam vitae communis felicitatem anthropologistae valde interesse dicunt, ut maritus non feroci sed, sicut hominem decet, suavi potius modo ad uxorem accedere incipiat, ac dein suo iure discrete utatur (1).

Uxor rursus, ut viro placeat, facilis potius et prompta sit in debito reddendo.

Frequentia.

Quotiens autem, post priorum hebdomadarum fervorem, expedit ut coniuges actum coniugalem exerceant? Lutherus celebrem regulam hominibus valentioris aetatis praestituebat, ut congressus bis vel ter in hebdomada regulariter haberentur. Valentior autem aetas inter 25 et 40 annos florere dicitur. Quam Lutheri normam plures adhuc medici probant.

Alii autem prudentius negant generalem regulam tradi posse, sed propriam experientiam, vires quae variant consulendas esse. Artificiales excitationes vitandae sunt; potius sponte ortae cupidini obtemperandum est (*Boire à sa soif*). Qui vero ex usu coniugii satis diu se senserit debiliorem et perturbatac valetudinis, reipsa ad maiorem moderationem invitatur (2).

Caute de his rebus legendi sunt medici et anthropologistae, qui, principiorum saepe ignari et incuriosi, incompleta experientia vel inductione decepti, praecepta vel consilia quandoque enormiter prava, fronte serena, dant, quae dein accuratior observatio etiam sub respectu mere scientifico redarguere cogitur. Sed Deo provido magis fidamus, ut persuasum nobis sit, infinitam sapientiam latere in ordine naturali, ita ut sancta huius ordinis observatio non tantum animae singulorum, sed etiam eorum corpori, ac praeterea familiae et societati maxime per se salutaris habenda sit.

Cum uxore gravida vel lactante.

Sic, cum non desint qui optandum dicunt ut uxore gravida immo et lactante vir abstineat (3), alii moderatum coniugii usum per idem tempus personis sanis minime noxium immo commendandum putant. « Une douce étreinte,

---

(1) Moll, p. 446. 447. — (2) Cf. Féré, c. 10. — (3) Immo illud exigere videtur Gemelli, *Non moechaberis*, p. 65. Res tamen ista parum favet recto coniugii usui et ipsi monogamiae.

de temps à autre (pendant la grossesse) lui (à l'épouse) rendra le calme et la gaîté, en lui prouvant qu'elle n'est pas dédaignée. — Il est bon d'ajouter que la gestation, par l'état d'irritation où se trouve l'appareil génital, n'est pas sans provoquer parfois des désirs érotiques qu'il est très légitime de satisfaire... L'homme n'a pas davantage à s'éloigner de sa femme pendant la lactation. La nature le commande si peu, qu'elle donne un éclat nouveau, une plénitude de formes et un surcroît de fraîcheur à la femme assez intelligente pour avoir la coquetterie de nourrir...: On croit à tort que l'excitation produite par l'union sexuelle suffit pour donner au lait des qualités nuisibles à l'enfant. C'est, au contraire, l'interdiction complète du plaisir vénérien qui a souvent pour effet de faire diminuer la quantité du lait (1). »

Multiplex utilitas.

Illud demum observandum est: sicut ipse amoris affectus ad intimam copulationis coniunctionem impellit, ita rursus usus coniugii affectum amoris firmat et auget. Triplicem, itaque, copulatio provinciam gerit, multiplicandi homines, medendi incontinentiae, mutuum coniugum amorem fovendi.

Vita casta et continens nocetne valetudini?

42. — Vitam autem *castam et continentem* nullo pacto *per se* valetudini obesse, tot testantur qui inter medicos et physiologistas maximum nomen habent, ut pauci qui aliter sentiunt neglegi possint; qui vero salutis corporalis nomine continentiam damnent vel consilia immoralia (ut nimis saepe fit) dent, ex ipsa vera scientia reprehendendi sint. Satis nobis sit duos peritissimos scriptores afferre quos nullus religiosus scrupulus ad minorem sinceritatem adducere potuit. Ipsi non tantum dicunt quid sentiant, sed etiam de doctorum sententiis referunt: Féré, *L'Instinct sexuel*, p. 25 ss. et potissimum, p. 315, ss., et Moll, *Handbuch der Sexualwissenschaften*, p. 887, ss.

Auctoritates.

Is, etiam in casibus rarioribus ubi, propter nervosam personarum condicionem, continentiam per accidens damnosam esse arbitratur, medicum approbare nequit qui ideo illicitum veneris usum suadeat. Praeter enim moralem considerationem, quam in hac re neglegi non posse

(1) Dr. Bourgas, *Le droit à l'amour pour la femme*, Paris, s. d.

fatetur, maiora damna ex illicito commercio timenda esse affirmat. « Accidere quidem posse ut medicus ab vetita voluptate quaerenda praepropere non avertat et importuna monitione abstineat ; casus tamen istos tam raros esse ut regulam fundare nequeant. »

Prior autem scribit : « Dans la discussion qui eut lieu à la Société de médecine de Lyon, à propos du livre de Dufieux, qui faisait l'apologie du célibat religieux, ses adversaires n'ont rien trouvé à objecter à la négation des maladies attribuées à la continence.

« Mantegazza, qui ne se fait pas remarquer parmi les apôtres de la continence, ne lui reconnaît cependant aucun inconvénient. Les physiologistes, au contraire, lui ont trouvé des avantages... La continence réalise une réserve de forces... Elle est généralement favorable à l'activité psychique, aussi bien qu'à l'activité physique.

« La continence somatique ne peut être nuisible que si elle coïncide avec une excitation psychique. L'impuissance n'est pas le produit de l'abstinence, mais bien souvent de l'abus... Il n'est pas nécessaire de s'appuyer sur les religions, pour mettre en évidence les mérites moraux de la chasteté en général, et, en particulier, de la chasteté en dehors du mariage. Il nous suffit de prendre en considération exclusive la morale utilitaire... A ce point de vue on peut affirmer sans hésitation, que le défaut de chasteté est immoral (p. 116 ss.). »

Ipse Forel (p. 251) haec habet : « L'homme qui, pour une raison ou pour une autre, ne peut se procurer un coït normal, devrait se contenter de pollutions nocturnes, et la femme de rêves voluptueux, tous deux s'abstenant d'excitations actives et volontaires. » Dr. Löwenfeld (1) argumentum sic concludit : « Homo normalis qui abusu sexuali suam vim resistendi libidini non fecit minorem, si vitam ducat satis activam et hygienicam, potest in abstinentia sine notabili molestia perseverare ; quo magis autem ipse eandem consequenter, in omnibus adiunctis, colat, eo facilius continentiam per se servabit. » — Omnino dein carpit medicos qui, ubi copia utilis matrimonii desit,

(1) *Sexualleben und Nervenleiden*, p. 54.

fornicationem cum meretrice suadent ad praevertenda vel avertenda damna continentiae. « Istud iuveni sufficere non potest; libidem excitabit, nedum illam sedare queat ».

In altera *Conférence internationale pour la prophylaxie de la syphilis et des maladies vénériennes*, Bruxellis, 1902, medici magni nominis suffragio unanimi hanc conclusionem probarunt : « Il faut surtout enseigner à la jeunesse masculine que, non seulement la chasteté et la continence ne sont pas nuisibles, mais encore que ces vertus sont des plus recommandables au point de vue médical ».

Rei explicatio.

Nec ratio obscura est. Spontaneae expulsiones per somnum satis praecavent ne vir castus organa semine nimis oppleta habeat ; rursus autem experientia testatur, id organorum sexualium quasi proprium esse, ut potentiam suam sine usu servent. « De la puberté jusqu'à la vieillesse, les testicules continuent à secréter le sperme sans stimulation et ne perdent pas plus leur fonction, que l'ovaire, de la puberté à la ménopause, que l'utérus, que les mamelles, qui peuvent rester au repos pendant de longues années, sans perdre la faculté de répondre à l'appel. Ceux qui sont capables de chasteté psychique peuvent garder la continence sans avoir rien à craindre pour leurs testicules et pour leur fécondité ; et ils n'ont rien à craindre non plus pour leur santé, qui ne dépend pas de la satisfaction de l'instinct sexuel. Et le sentiment ne court pas plus de risques que les organes ; l'amour ne meurt jamais de besoin, il meurt souvent d'indigestion.... Beale, professeur au collège royal de Londres, dit qu'on ne saurait trop répéter que l'abstinence, la pureté la plus absolue, sont parfaitement compatibles avec les lois physiologiques et morales (1). »

Accidentale detrimentum in feminis

In solo femineo sexu (de quo quaestio haec multo minus moveri consuevit) diuturna uteri quies istud incommodum afferre potest, ut tumores interni (*fibromiomes*) frequentius producantur.

De consiliis in hac re dandis.

Quamvis vita honesta omnibus commendanda sit; consilium tamen continentiae perfectae omnibus positive dandum non est. In qua re istud bene notandum est, ad ra-

(1) Féré, p. 25 ss.

tiones psychologicas seu morales vires et tendentias magis quam ad stricte physicas attendendum esse, ut quibusdam matrimonium suadeas. Nec ipsum matrimonium vitiosis temere consulendum est.

Quid de matrimoniis consanguineorum,

43. — 1. *In matrimoniis consanguineorum*, haec vis inest, ut peculiares notae (*les caractères propres*) in prole magis ac magis confirmentur. Itaque, prout agitur de familia omnino sana vel de familia quae vitiis quibusdam infecta est, coniugia ista, sub hoc respectu, innocua aut noxia habenda erunt.

Profecto, si per plures generationes coniugia inter solos consanguineos celebrarentur, periculum degeneratae prolis negandum non foret; sed elementa extranea satis superque assumuntur, ut incommodum istud formidandum non sit (BUSHAN, apud MOLL, p. 908-915; FOREL, p. 179. 180).

hominum eiusdem vel diversi coloris, gentis, dicendum est?

2. Optandum dicunt ut non nimia diversitate coniuges separentur. Quare coniugia inter homines eiusdem cutis et coloris mixtis physiologice praeferenda sunt.

3. Conubiis inter personas eiusdem gentis (*race*) typus nationalis firmabitur; coniugiis inter varias gentes, defectus seu vitia alicuius gentis propria corrigi poterunt.

Masturbationis modi,

44. — *Masturbatio* seu onanismus solitarius, quod commune utriusque sexus frequentissimum vitium est, exteriore tactu seu contactu, fricatione, compressis cruribus, suspectis flagellationibus (v. g. in partibus excitabilibus ope urticarum), denique ipsis phantasmatibus obscenis procurari potest. Distingui itaque potest masturbatio *manualis*, quae actione externa, et *spiritualis* seu mentalis, quae vi phantasiae obtinentur.

Non ita raro, qui vitio isti indulgent, praesertim feminae, varias res, iuvando intento aptas, in corpus introducunt; sicut etiam nonnulli masturbatores acu vel cultello penem laedunt.

variae rationes,

Vitium istud saepe ad supplendam delectationem actus normalis exercetur; interdum etiam inversum appetitum sexualem prodit vel inducit; nec ita raro dubiae significationis esse potest. Ad aestimandam intimam vitii indolem, phantastica imagine quae actum comitari solet iuvari possumus.

damna.

Quamvis longe minora damna hodie quam olim illi vitio

imputari consueverint, numquam tamen tamquam res parvi momenti despici potest.

Deficienti enim morali amoris mutui satisfactione, usus veneris solitarius, in se sumptus, corporis vires magis quam normalis copulatio exhaurit (1). Praeterea ex actibus qui facillime repetuntur, consuetudo gignitur et propensio usque crescens, quae damnosos nervis excessus parat. Damna ista, in subiecto male nervis affecto, ingentia esse possunt; atque appetitum sexualem interdum ita perturbant, ut physica commotio ab amoris affectu separetur, et hominem habeas facile aestuantem et simul impotentem ad normalem copulationem.

In quibusdam consuetudinariis observatur etiam debilitatio mentalis, praesertim in memoria.

Maxime autem damnosa est, ut exhaustiva, masturbatio psychologica seu mentalis.

Effectus autem *psychologici* vitium istud frequentius comitantur vel sequuntur : arrogantia, melancholia, affectatio solitudinis, demum et maxime neurasthenia.

Ad quos effectus pariendos non leviter conferunt : conscientia cladis voluntati inflictae, turpitudinis nota qua, in communi existimatione, consuetudinarius inuritur (2) ; remorsus conscientiae, anxietates religiosae, atque ipsa subiectiva persuasio vel formido vitae deminutae et ante tempus exhaustae.

Ad summam, damna pathologica magis psychici quam stricte corporalis ordinis sunt.

Damnorum causae

Damnorum autem causae sunt : nativa corporis infirmitas nimia frequentia excessus, humiliatio voluntatis post frustraneam luctam, respectus humanus, religiosa peccati conscientia, subiectivus detrimentorum timor.

Quid neomalthusianae artes.

45. — *Neomalthusianae* artes (3) sunt varii modi quibus

(1) Hoc admittit ipse Forel, p. 250. - De damnis incontinentiae confer etiam Gemelli, *Non moechaberis*, p. 85-91. — (2) Moralem adulescentis deminutionem post primum peccatum Gemelli, *Non moechaberis*, p. 93, sic pulchre describit : « Suam putat culpam omnibus notam ; imaginatur quod pater et mater ipsum more solito osculando et amplectendo, quid novi deprehendant, veritatemque in eius veluti fronte legant. » — (3) De theoria, infra, in ipso tractatu agetur.

coniuges sterilem sibi actum coniugalem procurare conantur.

Eius variae artes. Potissimae artes sunt:

1. *Coitus interruptus*;

2. *Mechanicae* artes impediendi ne semen virile uterum penetrare queat.

Instrumentum quod, in hunc finem, vir adhibet, dicitur *condom*, quo sive membrum virile totum sive sola glandula obtegitur. Conficitur autem ex cummi elastica (*caoutchouc*), ex piscis vesica vel ex intestino animalis, v. g. ovis (*peau de baudruche*). Cum autem doleant, ob interpositum involucrum, ipsam voluptatem minui, industria humana instrumenta ita perficere conatur, ut sensum voluptatis fere plenum esse sinant.

3. *Lotio vaginalis* (interior), qua, post copulationem, abluta vagina, semen expellitur. Lotio in finem sterilitatis facta, non raro substantiis antisepticis efficacior redditur.

Quia ablutiones vaginales alia causa interdum honestantur, notamus intervallum post quod effectum antecedentis copulationis impedire iam non possunt, secundum alios esse sex, secundum alios duodecim horarum.

Ante aliquot annos, ablutiones istae saepe commendabantur et quasi munditiae genus exercebantur. Hodie fortuna rei inclinare coepit. Difficile enim ita a privatis fiunt ut regulae perfectae asepsiae observentur. Quare magis nocent saepe quam levamen afferunt. Propterea, sine speciali causa et consilio medici adhibendae non sunt.

Ablutiones istae sedulo distinguendae sunt ab *uterinis* lotionibus, quae plerumque non fiunt sine auxilio personae peritae; quamquam non nullae feminae sibi etiam in hac re consulere noverint.

4. *Sparsio* per vaginam *substantiae chemicae* qua sperma occidatur.

5. *Dispositio* intra vaginam membranae satis subtilis instar *pseudovaginae*, in qua semen emittitur. Haec dein simul cun semine extrahitur. — Ratio ista recentior est.

6. Minus recens est usus immittendi varias res in imam vaginam ad occludendum os uteri: puta spongiam, gossypium, fila lini. Instrumentum autem quod femina in huius modi finem adhibet vocatur *pessarium*.

Variae istae artes vel separatim exercentur, vel plures

coniunguntur, quo fecunditas certius impediatur. Sic suadent, ut, cum usus fit pessarii, vagina etiam abluatur.

Fraudum efficacia et damna.

46. — Age porro, plena securitas a formidata generatione nullo artificio obtinetur. Gravissimae autem auctoritates omnia habent tamquam valetudini coniugum eorumque felicitati contraria.

« Les risques des rapports sexuels au point de vue de la fécondation ne peuvent être évités sans être compensés par d'autres risques. En réalité, il n'y a pas de réserve sexuelle qui ne laisse courir aucun risque, il n'y a pas de moyen préventif assuré de la fécondation, » Sic FÉRÉ, *L'instinct sexuel*, p. 321-323, « Quotiescumque vel diu vel brevi tempore generanda prole abstinendum videtur, medicus optime aget veram continentiam commendando. Omnes enim cautiones quibus voluptas sexualis, impedita generatione, procuratur, non possunt sine damno plus vel minus gravi exerceri; pleraeque etiam parum tutae sunt. » Sic GRUBER, in opere *Krankheiten und Ehe*. « Ars et modus antinaturalis relationis sexualis, sicut interruptus coitus, usus condom, et similium instrumentorum... longe magis nocent quam frequens sed normalis usus coniugii. » Sic praeclari investigatores americani perturbationum nervorum, BEARD et ROCKWELL. (Cit. apud MOLL, p. 954-955.)

Detrimenta quae damnandus iste excessus secum affert fuse et praeclare exponuntur apud ANTONELLI, *Medicina pastoralis*, II, nn. 236. 237. Cfr. quoque CAPELLMANN, p. 303.

Damna quae nervi patiuntur explicantur tum incompleta satietate quae ex his artibus alteri vel utrique coniugi, simul cum ardenti libidine procuratur; tum inutili orgasmo qui, deposita prolis sollicitudine, nimia frequentia procuratur; tum mutuae existimationis imminutione ob conscientiam peccati atque impuri egoismi cui ceditur.

« Les relations frauduleuses laissent tristes ceux qui y sont adonnés; elles ne vont pas sans une ombre de remords; tandis que les rapports loyalement effectués entretiennent la bonne humeur. L'homme... donne... sa mesure en tant que moralité... La femme, contrainte à participer à des actes frauduleux hors nature, se sent grandement atteinte dans sa dignité... L'amour est tué par le dégoût, et l'adultère est proche. » (BOURGAS, *Le droit à l'amour*, etc. p. 107-110.)

Contra, ex ipsa fecunditate, concordia coniugum firmior fit et intimior. Cf. in *Honnêteté conjugale*, dissertationem

Dr. DESPLATS, p. 39, ss. 65 italice redditam ab adv. MARCONSINI, in *Matrimonio e Maltusianismo*.

Inter istas damnandas artes, interruptus coitus magis damnosus pronuntiatur (1), atque etiam condom uxori valde nocet (2); valetudini directe minus nocent ablutiones vel artes chemicae. Maiorem a prole securitatem condom dare videtur.

Proles autem quae praeter expectationem nascitur saepe infirmior est.

Maxime autem felicitati coniugum obstat abusus iste in principio matrimonii exercitus.

Procuratio sterilitatis temporariae

Fit interdum ut remedia celebrentur ad sterilitatem per aliquot dies procurandam. Sed talia exsistere non videntur: pharmaça ista aut abortiva sunt, aut ad fraudes circulatorum pertinent. Temporalis sterilitas ligatis oviductus canalibus obtineri tamen potest.

§ 9. — *Lues venereae*

Tres potissimum numerantur lues venereae, quae contagio personae infectae propagantur.

Blenorrhagia.

47. — I. *Blenorrhagia* (*gonorrée*; *chaude-pisse*, et, si chronica facta sit, *goutte militaire*) debetur microbio *gonocoque*, quo urethra purulenta ratione inflammatur. Vicina organa in utroque sexu, facile inficiuntur, ita ut morbus generalis evadat. Morbus iste sanari quidem satis brevi tempore sed non sine dolore potest (v. g. electrolytica methodo Dr. VIRGHI); et, quamvis stricte hereditarius non sit, infanti, in ipsa nativitate, facile traditur. Gravissima damna corpori afferre potest.

Uxori cui communicatur frequens causa est perpetuae sterilitatis. Infecta proles nascitur misera, saepe caeca.

Syphilis. Nomen, genus tabis,

48. — II. *Syphilis*, quae, quia inter copias Galliarum dum CAROLUS VIII Neapolim obsidebat (1490) saeviit, etiam *morbus gallicus* (italice *celtico*) appellatur, est lues venerea propriissime dicta; et quia facile totum corpus invadit multisque modis corrumpit, pro tabe universali habetur.

genesis,

Recens, post studia SCHAUDINN (1905) et METCHNIKOFF (1906) microbio, cui postis ista debetur, nomen proprium datum est: *Treponema pallidum* (*spirocheta pallida*).

(1) Cf. FÉRÉ, p. 322. - (2) Cf. ANTONELLI, *Medicina pastoralis*, n. 237.

Porro triplex veluti stadium in morbi istius processu observatur, ita ut distinguatur syphilis primaria, secundaria, tertiaria.

Praecedit periodus aliqua *incubationis*, per duas, tres, quattuor hebdomadas, in quibus virus latet. Apparet tunc *ulcus durum* (*chan re dur*) de quo haec habet ANTONELLI (1) : « In loco infectionis apparet *parva vesicula*, quae facile rumpitur ob atritum et paulatim extenditur. Hoc ulcus primum indicium est syphilidis, et potest oriri in praeputio, in ore urethrae et quocumque loco virus acceptum fuit. Paulo post, vasa lymphatica membri obdurescunt et glandulae inguinum tumefiunt. »

Post novam praeparationem seu incubationem, et luctam inter treponema pallidum et leucocytas, quae decem ad undecim hebdomadas durat, succedit alterum stadium, in quo syphilis ex locali evadit generalis : in totum corpus erumpit ; praeter varias perturbationes interiores, pellis parvis maculis rubris inficitur. In quo stadio syphilis maxime contagiosa est. Et sic per tres, quattuor annos centagiosa manet.

In tertio demum stadio, phaenomena minus universalia sunt, sed graviora pro victima. Notemus tabem dorsalem (*ataxie locomotrice*). In illa periodo, periculum contagii multo minus est, nisi phaenomena secundariae phasis recurrunt. Porro syphilis tertiaria difficillime sanatur, ac fortasse insanabilis dicenda est.

Omne damnorum, interdum horribilium, genus morbus iste affert, et fere sub omni morbi specie seu apparentia latere potest (2).

damna et contagium,

Qui autem non perfecte sanatus (saltem ante syphilidem tertiariam) matrimonium contraxerit, innocentem coniugem maximo contagii periculo opponit, ac consequenter (3) fetum; qui vel abortivus erit, vel mortuus edetur, vel nascetur idiota, caecus, surdus-mutus, aut aliis huius modi infirmitatibus affectus.

Cum iam infectus sit, nihil prohibet quin lac a matre infecta sumat, sed nutrici sanae committi non potest, non magis quam nutrix infecta permittenda est infantem sanum lactare.

propagatio,

Utinam pestis ista rara esset ! Sed, si fides sit TIMES, ianuario 1919, in Anglia universa, duae ex centum personae infectae sunt,

---

(1) *Medicina pastoralis*, t. 2. n, 780. — (2) « Si può dire che non esiste malattia o stadio di essa che la infezione luetica non *possa almeno temporaneamente simulare.* » Dr. PONTANO, *Sul valore clinico della reazione di Wassermann*, Il POLICLINICO, sezione pratica, 1915, p. 42. — (3) Per matrem enim, non per patrem proles inficitur. Cf. Dr. CARLE, citatum a Dr. PICCARDI, *La profilassi della sifilide con gli arseno-benzoli*, Il POLICLINICO, sezione pratica, 1917, p. 454.

quotannis plura millia infantium propter hereditariam tabem moriuntur antequam primum aetatis annum compleverint; ex caecis et dementibus Angliae ultra dimidiam partem propter syphilidem oculis vel rationis usu orbati sunt. Parisiis, a. 1912, viri infecti aestimabantur quindecim ex centum; ac plura millia singulis annis morti succumbebant. In Italia, ut refert R. D. Dr Gemelli, quotannis 16000 personae, hac lue infectae, in nosocomia recipiuntur; anno 1900, ultra 82000 fuere qui in locis distributionis (*dispensarii celtici*) remedia postularint (1). Et quot alii malum occulto ferunt!

Recentia inventa Recentia tamen studia et progressus artis medicae ex toto ignorare nobis non licet.

Itaque:

Ad detegendum, 1. Ad *detegendam* syphilidem, valde conducit sic dicta probatio Wassermann (2) (Wr.).

curandum, 2. Ad *curandum* ipsum *morbum*, efficaciora remedia quam ex mercurio (antea usurpato) quaesita sunt ex arsenico in « *arsenobenzols* »; quamquam nihil prohibet utrumque remediorum genus simul adhibere. Citemus *Salvarsan*, seu 606, quod Ehrlich (anno 1909) reperit et dein perfecit nomine Néo-Salvarsan, seu 914; *Galyl* seu 1116 (3), quod anno 1915 prodit.

Ex remediis istis, teste Dr. Piccardi (4), habetur maior probabilitas curae perfectae, curae promptioris, generalioris et magis stabilis efficaciae, ita ut multo brevior evadat periodus contagiosa, cura in omni stadio morbi utilis sit, atque ulterior tabis progressus seu evolutio amputetur.

Quare, quamvis medici adhuc negent matrimonium tuto contrahi posse ante quam quattuor vel quinque anni ab observata lue elapsi fuerint, progredientis artis medicae ratio habenda est. Ac moralis theologus prudentius abstinebit exscribendis aestimationibus quae in dies variare possunt; sed consilium dabit ut medicus probus, expertus, et in medicis studiis assiduus, consultum adeatur.

impediendum morbum. 3. Ad *praeveniendum luis contagium*, unguenta reperta sunt (5), quibus qui membrum ungat mox ante coitum vel statim postea,

---

(1) *Non moechaberis*, p. 90. — (2) *Epreuve de Wassermann, Reazione di Wr.* Medium a DD. Wassermann, Neisser et Bruek inventum est. — (3) Numeri isti indicant summam experimentorum quae inventioni necessaria fuerunt. — (4) Il Policlinico, sezione pratica 1917. pp. 448-455. *La profilassi della sifilide con gli arsenobenzoli.* (5) D.res Metchnikoff et Roux ex *Instituto Pasteur* hanc formulam praescripserunt: « Calomel: 33 p. c.; Lanoline: 57 p. c.; Vaseline: 10 p. c. ».

a contagio immunis reddatur. Immunitatem certam esse ferunt si usus coitum antecesserit; minus certam vero si intra spatium unius vel alterius horae post infectionem successerit.

Carcinoma molle.

49. — III. — *Carcinoma molle* (*chancre mou*) magis loco (partibus sexualibus) circumscribitur, et benignius est; sed magis raro occurrit.

§ 10. — *Operationes chirurgicae.*

Variae operationes in virilem sexum.

Scalpelli usus qui magis ad rem nostram pertinent sunt potissimum apud *virum* :

Circumcisio.

50. — *Circumcisio*, quae praeputium nimis angustum (phimosis) praecidit, valde utilis est ad tollendam nimiam irritationem ex variis rebus sub cute paulatim congestis profectam. Phimosi saepe imputandae sunt minus bonae puerorum consuetudines.

Castratio. Eius effectus.

51. — *Castratio* essentialiter in ablatione utriusque testis consistit.

Interdum, ut apud Turcas, iis qui in « harem » inserviunt ipse penis aufertur. Hi dicebantur *carsamatia*. Effectus vero decurtationis variant pro aetate qua facta est.

Qui ante septimum aetatis annum castrantur, corpus servant physice valde mutatum; impotentes sunt ad copulam perficiendam, et plerumque, non tamen semper, a libidine sexuali immunes manent. Moraliter quoque non parum inde sunt affecti, nec virilem animum habere solent. Aetate autem adulta, mutilatio ista in externam corporis speciem parum influit; diu saltem (si penis servatus sit) copulationis copiam esse sinit. Nec libido operatione ista sopitur. Ipsa S. Scriptura affectum libidinosum spadonum testatur, dum dicit « concupiscentia spadonis devirginabit iuvenculam » (1), impatientem eorum impotentiam, dum addit : » Videns oculis et ingemiscens, sicut spado complectens virginem et suspirans (2) ». Utrumque etiam poeta TERENTIUS refert hoc versu : « Ast pol ego amatores audieram mulierum esse eos maxumos. Sed nihil potesse (3) ».

Castrati pueri etiam secundariis signis virilitatis destituuntur : barba, pilis, voce masculina.

---

(1) *Ecclesiastic.* 20, 2. — (2) Ibidem, 30, 21. — (3) In Enn. act. 4, scen. 3.

Quocirca, cum ante aetatem adultam de stabili depravatione sexuali vix constare possit, cum operatio aliunde graviter nociva sit, et ipsa efficacia in appetitum venereum sit incerta, castratio tamquam remedium perversi appetitus commendari nequit (1).

Cum propter morbum facienda est; medici solent fictos testes supplere, ne castratus visibili signo impotentiae nimis afligatur.

Vasectomia

52.—*Vasectomia* seu *Deferentectomia* resecat, supra ambos testiculos, vas deferens, quo sperma proprie dictum ad canalem urethralem perducitur. Cum sola externa testis secretio tollatur, appetitus sexualis manet, ita ut facultas coitus minime cesset; sed deficientibus nemaspermatibus, copulatio necessario sterilis evadit.

Sunt, praesertim in America, qui operationem istam efficacissimam praedicant, ad temperandam nimis aestuantem libidinem; ac simul declarant fieri haud difficulter posse ut canalis deinceps restituatur. Sed vera efficaciae demonstratio adhuc desideratur (2); atque alii medici prorsus negant disiunctas vasis partes facile denuo bene coniungi posse. Cf. R. P. Ferreres. *De vasectomia duplici*, etc.

In muliebrem sexum,

53. — In *muliere* porro, praeter

Dilatatio ostii,

1. Operationes quasdam quae huc spectant ut os vaginae dilatetur vel aperiatur, aut contra, ut coitu dilatata labia contrahantur, et virginitas apparenter, etiam refecto *hymene*, restituatur, memorandam habemus:

Castratio,

2. *Castrationem*, qua ovaria auferuntur. Observes autem de perfecta utriusque ovarii excisione, adhibita saltem certa operandi ratione, omnino constare posse.

« Porro »,

3. Interdum, cum ovariis ipse uterus exciditur, quae operatio, a medico, eius auctore, *Porro* vocatur.

Circumcisio,

N. B. Apud incultos populos fiunt interdum incisiones in exterioribus partium sexualium labiis quae, quia *circumcisionem* virilem imitantur, eodem circumcisionis nomine appellantur.

Laparatomia,

4. Generali *Laparotomiae* nomine operationes quibus venter aperitur designantur.

Ovariorum collisio vel colligatio,

5. Ad sterilitatem obtinendam, quidam medici ovaria

---

(1) Cf. Féré, op. c. p. 9-11; Forel, op. c. p. 24. Moll, op. c. pp. 154. 156. 157. 673. — (2) Propter ea quae supra de duplici secretione notavimus, imminutio libidinis sexualis, si qua sit, occulta quadam testium immutatione explicanda foret.

mere collidunt (*froissent*), vel oviductum ligant, ita ut cum utero communicare iam non possit.

6. Contra, ut fetus vivus edi possit alia atque uteri via, praesto est *operatio caesarea* (sectio ventris in longitudinem); dum *Operatio caesarea*

7. *Symphisiotomia* ipsum spatium quo per vaginae ostium fetus egredi possit, ampliatur. *Symphisiotomia,*

8. Pars *clitoridis* interdum satis utiliter ad minuendam libidinem abscindi potest. *Deminutio clitoridis.*

§ 11. — *Aptitudo ad matrimonium et generationem.*

54. — *Pubertas* signat *in viro* elaborationem nemaspermatum in testibus. Qui testes simul conficiunt essentiale fecunditati elementum, seu sperma stricte acceptum, et internam habent secretionem, cuius liquor, sanguine mixtus, appetitum sexualem fovet; et, ut vidimus, secundarias virilitatis inducit notas: barbam, pilos in pubi, mutatam vocem. *Quid pubertas?*

In *muliere*, pubertas habetur a tempore ovulationis, quae fluxu menstruo (fere in singulos 28 dies), maturi ovuli decisionem sequente, revelari consuevit.

55. — Plene tamen matrimonio maturus non est vir, nec plene nubilis mulier censenda est, ante quam plene adoleverint, seu robur perfecte assecuti sint. *Maturitas pro matrimonio?*

Optandum itaque est *per se*, ut, in nostris regionibus, filia non nubat nisi vigesimum aetatis annum superaverit; filius autem nisi qui vigesimum tertium annum superaverit.

Quare etiam Codex canonicus, c. 88, aetatem qua quis pubes censetur, seu completum annum quartum decimum pro viris, duodecimum pro feminis, ab aetate qua valide matrimonium facere potest sapienter distinguit. Canon porro 1067 aetatem sexdecim annorum in viris, et quattuordecim annorum completorum in feminis postulat ad ipsam nuptiarum validitatem. Ut patet, dispensationes regionibus calidioribus v. g. africanis, frequenter concedendae erunt, praesertim cum iam non valeat exceptio « nisi malitia suppleverit aetatem ».

Aptitudo ad generandum, quamdiu duret.

56. — « In muliere, sic R P. Gemelli (1), ovulatio cessat 28° vel 30° anno a pubertate : quo tempore, ovaria et organa annexa involutionis processum subeunt ; menstruus desinit fluxus et deinceps integer quoque organismus processui involutionis subicitur. »

Aetas qua mulier sic mutatur inter 45um et 50um comprehendi consuevit ; et *critica* vocatur, quia mulier pericula valetudinis superanda tunc habet. Observes tamen perfectam ovariorum degenerationem (qua facta, conceptio impossibilis evadit) non haberi nisi aliquot annis (2-4) post quam fluxus menstruus cessavit. — Practice, vix ulla mulier post quinquaginta annos completos aetatis concipere potest. Sed consuetus ordo naturae est, ut paucis saltem annis post suppressum fluxum menstruum, ovaria functione sua destituta sint.

Vir autem nemaspermata viventia probabiliter usque ad sexaginta annos conficit. Postea probabilitas decrescit et aetate 80 annorum fit minima.

Cf. Lawson, Tait, Peuch citati a Luciani, *Fisiologia*, t. 2, p. 770. Mangiagalli, *Ann. di ostetr. e ginecol.* 1895.

§ 12. — *Quaestio de impotentia et sterilitate.*

Quaestionis opportunitas et locus.

57. — Introductionem istam absolvimus quaestione quae, recens satis disputata, valorem matrimonii et conexa iura et officia nimis afficit quam ut a theologo morali ignorari possit. Quare etiam in morali tractatu de castitate et matrimonio locum obtinet, quamvis proprie ad elementa anthropologica pertineat quae moralem tractationem fundant ac praeparant.

I. — *De genuina impotentiae ratione.*

A. *Propositio sententiarum.*

Quae duplex impotentia distinguenda sit.

58. — **Olim et hodie recepta distinctio.** Ut a communi praesentis et superioris aetatis placito exordiamur, antiquitus iam et nostris etiam diebus duplex impotentia ordinis sexualis distinguitur : impotentia *coeundi* et impotentia

(1) *Non moechaberis*, p. 20.

generandi. Quare gravis falsitatis suspicio in opinionem incurrit quae distinctionem istam tollit vel apparenter tantum servat.

Age vero, impotentia quae valido matrimonio obstat, in iure et apud optimos auctores *impotentia coeundi* vocatur, eique nomen impotentiae magis proprie reservatur.

Ita fit in omnibus capitibus C. XXXIII, q. 1, Decreti Gratiani, qui, ceterum, in dictis suis, quaerit de *impossibilitate officii*, (i. e. reddendi debitum). Ita etiam in capitibus tituli XV libri quarti Decretalium qui inscribitur: *De frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi*. In aliis autem Corporis Iuris libris, argumentum iam non attingitur.

Ut iam auctores appellemus, TANCREDUS, in celebri *Summa de matrimonio*, haec habet: « Inter alia impedimenta matrimonii, *impossibilitas coeundi* maximum obtinet locum ». — Quae eadem verba occurrunt apud auctorem Decretalium, S. RAYMUNDUM, in eius *Summa*. — S. THOMAS (1) essentialem dicit potentiam *ad copulam carnalem*. — « Impotentia coeundi naturalis, ait S. BONAVENTURA... si *perpetua*, tunc impedit contrahendum et dirimit contractum (matrimonium).., quia... necesse est consentire in mutuam corporum potestatem; hic autem consensus nullus est, nec talis obligatio in eo qui non habet *posse* exercendi actum illum (2).

« Duodecimum impedimentum, ait CAIETANUS, in *Summula*, est *impotentia coeundi*. » LAYMANN his disertis verbis utitur (3): « Impotentia alia est ad prolem generandam, quae sterilitas dicitur; et haec, si sola sit, nullum matrimonio impedimentum affert. Alia vero est impotentia ad copulam carnalem, de qua haec assertio sit: Impotentia perpetua ad copulam perfectam dirimit matrimonium subsequens. » Ex auctoribus coaetaneis afferemus Lovaniensem, FEIJE (4), qui haec habet: « Impotentia coeundi copula perfecta... debet distingui ab impotentia generandi seu sterilitate: illa obstat, haec vero non obstat valori matrimonii ». Ill. DD. FREISEN (5), DE BECKER (6), Em. C. GASPARRI (7) simili omnino modo loquuntur, ita ut R. P. OIETTI (8) tamquam certa proponere potuerit haec duo: « Impotentia coeundi antecedens et perpetua iure ipso na-

---

(1) Suppl. 3ae P., q. 58, art. 1. — (2) In l. IV Sent. art. 2, q. 1, conclusio et ad 1. — (3) *Theol. mor.* l. 5. tr. 1, parte 4, c. 11, n. 1. — (4) *De impedimentis*, etc. n. 538. — (5) *Geschichte des Kanonischen Eherechtes* (30, 7, p. 330). — (6) *De Sponsalibus et Matrimonio*, p, 165-169. — (7) *De matrimonio*, n. 573. — (8) *Synopsis*, n. 2389.

turae... matrimonium dirimit... Impotentia generandi, quae sterilitas est, matrimonium non irritat ».

N. B. Ingenita coeundi impotentia in viro, vocatur etiam *frigiditas*.

Dubium de castratis solutum a Sixto V. Inde nova formula impotentiae

59. — **Origo confusionis et obscuritatis.** Ius romanum matrimonium concedebat *spadoni*, seu illi qui naturali infirmitate copulae incapax erat, negabat autem ei qui hominum manu castratus erat : « In castrato matrimonium non est » (L. 23, 1, D. 23, 3 ; Cf. l. 26, D. 28, 2 , l. 14, D. 4, 2).

Sic factum est, ut de iis qui utroque teste carerent, in ipsa Ecclesia disputaretur utrum necne matrimonium validum contrahere possent. LEDESMA (1) referit istam controversiam, quam SIXTUS V diremit celebri Motu Proprio *Quod frequenter*, 27 iun. 1587, ad apostolicum in Hispaniarum regnis Nuntium, quo simul narrat plures eunuchos esse qui « se potentes ad coeundum iactitantes, nuptias celebraverant ». Pontifex porro iubet ut matrimonia illa non solum in posterum prohibeantur, verum etiam ut ante facta nulla declarentur : quod persuasionem nullitatis ex iure naturae satis aperte prodere videtur.

Ut eunuchis argumentum eriperent quod ex consueta impotentiae et sterilitatis definitione hauserant, plures auctores, *post actum istud Sixti V*, *non autem ante*, quod probe est notandum, coepere, ut matrimonium valeret, exigere potentiam ad copulam « perfectam, i. e. cum missione veri seminis in vas muliebre (2) » ; vel etiam « ad copulam aptam generationi ». Sic v. gr. GONZALES TELLES (3) et S. ALPHONSUS (4) ad locum BUSEMBAUM, ubi hic dicit : « Matrimonium consistit in mutua traditione corporum physice aptorum ad generationem ».

Itaque huius modi verba, quae hodie frequenter usurpantur, a Motu Proprio SIXTI V originem trahunt, atque adhibita sunt a scriptoribus, ut ipsa ratione dicendi eunuchos matrimonio excluderent.

Verum simul novam rationem intellegendi impotentiam

---

(1) *De magno sacramento matrimonii*, q. 58, art. 1. — (2) LAYMANN, l. c. n. 3. — (3) *In decret.* l. 4, t. 15, n. 9. — (4) L. 6, tr. 6, n. 195.

induxerunt; quasi *formalis* ratio cur eunuchi uxorem valide ducere nequeant, ex inaptitudine ad generandum repetenda sit.

Dubium antiquum de femina quae seminare nequeat;

Re sic concepta, consequenter haec altera quaestio mota est, utrum necne regula ista in feminam transferenda esset. Quod, mediante saeculo XVII°, affirmabat BUSEMBAUM, his verbis, quae simul suppositionem facti prudenter reservabant: « Impotentia in femina (esse censetur) quando vel seminare non potest (si verum est semen feminarum requiri ad generationem) ». Tunc enim temporis, menstrua ovuli productio et emissio ignorabantur, et pro seminatione habebatur abundans illa distillatio (cf. n. 3) quam mulier in copula carnali experiri solet. De hac igitur seminatione ambigebatur utrum ad generationem requireretur an, sicut non pauci existimabant, semen virile generationi satis esset.

praesens de muliere ovariis orbata

Omissa iam ista antiquata ratione, saeculo XIX° exeunte et nostro saeculo, sub hac nova forma quaestio rediit: Cum praestatio ovuli prorsus necessaria sit ut homo generare possit, nonne mulier quae ovariis caret, vel cui ovaria sunt excisa impotens dicenda est potius quam sterilis? Quod, ni fallimur, BUSEMBAUM logica necessitate concedendum esse existimasset; et plerique hodie concessissent, nisi sapientia S. Sedis rescripta diversam responsionem suaderent.

Responsa S. Sedis.

Quattuor enim de ista re exstant responsa S. Officii. Primo, 3 feb. 1887, dein 23 iulii 1890, declaravit impediendum non esse matrimonium mulieris cui utrumque ovarium et uterus ablata erant; tertio, 31 iul. 1895, interrogatum de muliere cui excisa ovaria fuerant, responsum suum alterum confirmavit (1). Demum, a. 1902, simile dedit responsum: istud tamen postquam a medico postulaverat qua ratione ovaria excidisset, et is responderat de *perfecta* organorum *carentia* non certo *constare* (2).

Dein S. C. de *Sacramentis* similem speciem eodem modo solvit (2 apr. 1909). Porro, de isto postremo casu notasse iuvabit, ad praecludendum effugium, teste R. P. FER-

(1) *Coll. P. F.* n. 1907. — (2) Apud WERNZ, *Ius. Decr.* t. 4 n. 345, nota 34.

RERES (1), plenam uteri et utriusque ovarii excisionem, ex medici opinione, in casu indubiam fuisse ; nec Congregatio de illa re sollicita fuit. Praeterea, ut optime observat R. P. FERRERES (2), quod res conclusa fuerit non iam per S. Officium, sed per S. C. de Sacramentis et quidem in simplici « Congressu » non autem in plenaria Congregatione, id demonstrat solutionem planam visam esse.

60. — **Sententiae.** Triplex de impotentia et sterilitate sententia hodie proposita est.

De impotentia et sterilitate sententia prima.

1. Alii, severiores, contendunt matrimonium non iis tantum impervium esse qui copulam perficere non possunt, sed iis etiam, sive masculini sive feminei sexus fuerint, qui, propter physicum organorum defectum, certa ac perpetua incapacitate generandi laborent. Audiatur R. D ANTONELLI, qui sententiam istam tum separatis opusculis tum in laudando ceterum libro *Medicina pastoralis*, acerrime et multis argumentis propugnat. « Impotentia est absoluta et *necessaria* inhabilitas ad prolem obtinendam, ob carentiam organorum generationis essentialium, vel ob eorum atrophiam vel ob quemcumque alium defectum qui reddit copulam vel impossibilem vel ex **natura sua necessario** infecundam (t. 2, n. 537). »

Sententiae istius patroni et adversarii,

Sententia ista, saltem quatenus in aliqua sua applicatione matrimonio excludit mulieres quae ovaria vel utero carent aut privatae sunt, non paucos eosque egregios patronos nacta est. Pro illa enim allegari possunt BUCCERONI (3), Ill. D. ROSSET (4), SANTI-LEITNER (5), LEHMKUHL (6), NOLDIN (7), WERNZ (8), quibus tamen contradicunt non minus probati canonistae vel theologi, ESCHBACH (9) ; Em.

---

(1) RAZON Y FE, t. 26, n. 1, p. 101, vel opusculum *De vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae*, n. 253-260. — (2) In laudato opusculo, n, 250-251. — (3) *Institutiones Theol. mor.* t. 4, n. 958, cum nota p. 487-490. — (4) *De matrimonio*, t. 3, n. 1408 ss. — (5) *Prael. iur. can.* l. 4, t. 15 n. 1, nota. — (6) *Theol. mor.* t. 2, n. 975. — (7) *De Sacramentis*, n. 577. — (8) *Ius Decr.* l. 4, n. 345, nota 34. — (9) *Disp. phys. theol.* d. 2, p. 2, c. 3. *De novo quodam sterilitatis conceptu.*

C. Gasparri (1); D'Annibale (2); Laurentius (3); Sebastianelli (4); De Smet (5).

His porro potissimis *argumentis* defenditur:

1. Matrimonium et concubitus humanus essentialem ordinem habent ad generationem: qui ordo in casu proposito haberi nequit.

2. Ad validum matrimonium, copula *de se apta* ad generationem requiritur. Sed copula cum muliere cui desunt ovaria vel uterus ad generationem inepta est.

3. Non minus ex parte mulieris quam ex parte viri requirendum est. Atqui vir, ut sit potens, debet veram seminationem facere. Ergo mulier, ut sit potens, debet per suum ovulum ad commixtionem sanguinum concurrere posse.

4. Consensui contrahentium subici debet obiectum quod saltem praesumi possit substantialiter aptum ad generationem. Atqui mulier sine utero vel ovariis talis non est. *Ergo.*

5. Si coniugia ista licerent, abscissiones consulto fierent ut matrimonium a prolis periculo immune contraheretur; — nec iam ratio videretur cur congressus contra naturam prohiberentur (sic Dr. Antonelli, *De conceptu impotentiae*, p. 110. 111).

6. S. Congr. Concilii quater invalidum declaravit matrimonium cum muliere quae utero privata erat: in *Salernitana*, 9 aug. 1862; 21 mart.-27 iun. 1863; in *Verulana*, 24 ian.-22 iun. 1871; in *Albinganensi*, 17 aug.-7 sept. 1895; in *Monasteriensi*, 18 mart.-16 dec. 1899. (Cfr. *Thesaurus Resol. S. C. Concilii*, t. 121. 122. 130. 154. 158). « Quae (sententiae) ait Wernz (6), ex sese maiorem habent auctoritatem, cum a Cardinalibus non ferantur nisi praehabitis *certis* probationibus *factorum* et *iuris* sive *canonici* sive *divini* ».

Confutatio. Nihilominus, omissa nunc directa et intrinseca argumentatione, quae infra proponetur, a sententia ista iam propter rationes ab extrinseco petitas recedendum videtur. Etenim:

1. Receptam a saeculis formalem rationem impedimenti impotentiae ipsa corrumpit. Classici auctores impotentiam generandi ab impotentia coeundi sedulo distinguebant; hanc, non autem illam valori obstare dicebant. « Mulier, sic S. Bonaventura (7), non potest separari a viro propter defectum potentiae generandi, sed potentiae coeundi ». Ad verba autem ista explicanda frustra ad auctores posteriores recurritur, praecipue ad Pichler (8), qui exeunte saec. XVII°

(1) *De Matrimonio*, n. 510-515. — (2) *Summula*, t. 3, n. 413, nota 9. — (3) *Instit. iur. can.* n. 619. — (4) *Prael. iur. can. De Rebus*, n. 65. — (5) *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 278. — (6) L. c. — (7) In l. 4 S. D. 34. Dub. 2 circa litt. Magistri. — (8) Id facit Cl. Antonelli, *Pro conceptu impotentiae*, etc. n. 31.

vixit, praesertim cum propter decretum Sixti V novum loquendi modum, sicut ante monuimus, adoptarint. Improbata autem sententia non solum in incapacitate faciendi opus quod secundum se ad generationem ordinatur, sed in ipsa inhabilitate ad generandum veram radicem agnoscit dirimentis impedimenti. Cf. supra datam definitionem D.rs Antonelli. Et quamvis alii, v. g. Wernz, classicam definitionem servent, re vera tamen in inaptitudine ad generandum causam formalem ponunt cur mulier excisa impotens dicenda sit.

2. Ad declinanda quaedam sententiae istius consectaria, notio *praesumptionis* pervertenda est. Etenim, ne impotentem declarare cogantur mulierem quae ultra 50 annos nata est, patroni istius sententiae confugiunt ad praesumptionem capacitatis generandi, qua mulier omnis aetatis, sine ulla alia probatione, matrimonium inire permitteretur.

Verum, cum non agatur hic de arbitraria positivi iuris praesumptione, sed de naturali, id praesumendum est quod *plerumque* seu *per se* habetur. Iam vero ab aetate circiter 45 annorum processus fit involutionis qui desinit in naturalem atrophiam vel inertiam ovariorum (cfr. n. 56). Quare anno 1885, in tota civitate Berolinensi, ne una quidem mulier reperiri potuit quae quinquagenaria nupsisset et prolem haberet vel habuisset (1). Nonne ergo *naturalis* praesumptio est contra potentiam; nonne proinde potentia generandi (si ad valorem matrimonii necessaria esset) demonstranda foret, sicut, sub iure ante Codicem, impuberes, ut valide nuberent, probare debebant malitiam quae aetatem supplebat. « In his feminis, ut optime scribit R. P. Oietti (2), deberet praesumi impotentia; quare ad permittendum harum mulierum matrimonium deberet probari praesumptionem in casu non procedere. »

Nec ad *dubiam* impotentiam quacum matrimonium permittitur, confugi potest. Etenim ut dubitanti contrahere liceat, inquisitio ad dubium deponendum praecessisse debet, quae ipsum saltem *probabiliter* aptum demonstret. « Qui de sua impotentia dubitat, matrimonium inire nequit, ante quam de re diligenter investigavit atque dubium saltem probabililiter deposuit. » Sic S. Alphonsus, l. 6, n. 902. Verum a muliere etiam sexagenaria nihil huiusmodi postulatur.

Dicesne cum quodam impotentiam vetulae esse accidentalem? Potius maxime naturalis vocanda est, dum magis per accidens est ut mulier privetur ovariis. Et quorsum hic ista distinctio? Quae per accidens impotens est, per accidens matrimonium facere nequit.

---

(1) Cfr. Moll, *Handbuch*, etc. — (2) *Synopsis*, n. 2417.

Quid, quod, ex ipsa S. Scriptura, conceptio uxoris senioris tamquam miraculosa effertur his notissimis Angeli verbis: « Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis sextus est illi quae vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum » (1).

3. Durante *certa* impotentia essentiali ad matrimonium, *logice*, ut concludit Bucceroni (2), copula prohibenda foret. Tempore autem praegnationis, impotentia novae generationis *moraliter* certa est. Ergo, durante praegnatione, usus coniugii a patronis istius sententiae logice prohibendus foret: quod tamen nemo antea prohibuit. Consectarium fatetur Palmieri (3).

N. B. In re morali, dubium leve neglegitur. Quare ipsa mors prioris coniugis moraliter tantum constare debet.

4. Sententia ista cum quinque responsis S. Sedis, supra citatis, aegre componi posse videtur.

Tentata autem effugia potius praeiudicium eidem sententiae contrarium generant.

Alii enim dicunt sic responsum esse quia, cum causa nondum dirempta sit, S. Officium existimavit impedimentum non esse nisi probabile. « Si satis probabile est impedimentum dirimens non exsistere, non constat a muliere fieri rem lege divina et naturali prohibitam, si matrimonium ineat eoque utatur; quod si non constat, licebit ei matrimonium inire ». In opere *De mulieris excisae impotentia* (appendix) Antonelli verba ista mutuatur a P. Lehmkuhl scripta in articulo *Ecclesiastical Review*, 1902.

Transeat ista explicatio. Quamvis enim Palmieri (4), cum pluribus et cum ipso P. Lehmkuhl in sua Theologia morali (5) scripserit: « Si quod dubium est, sit impedimentum iuris naturalis aut divini, patet non licere contrahere cum tali dubio; matrimonium enim semper maneret dubium, nec possent coniuges bona fide petere et reddere debitum; et sacramentum exponeretur periculo nullitatis »; quamvis plures id de dubia impotentia valere affirmarint (cfr Rosset, n. 1437), nihilominus praevaluit in ipso c. 1068 novi Codicis sententia quae matrimonium tunc permittit. Sacramenta enim propter homines, et bonum commune postulat ne, sine aperta necessitate, homines perpetuam continentiam inviti, sine causa voluntaria, observare cogantur. Verum qui sic respondent simul fatentur sententiam ipsis adversam visam esse solide probabilem; et inefficaces esse pro sua opinione sententias S. Congregationis Concilii quas ipsi afferunt.

---

(1) Ev. S. Luc. 1, 36. — (2) *Institutiones theol. mor.*, t. 4, n. 1065. — (3) *Opus theol.*, t. 6, n. 865, nota. — (4) *Opus theol.* t. 6, n. 600. Cfr. etiam S. Alph. l. 6, n. 902. — (5) T. 2, n. 956.

STUDIO ADDICTUS

N. B. Cum agitur de impotentia cuius *factum* dubium est aliter insolubile, haec altera ratio afferri potest cur, monita altera parte, matrimonium permittatur, quia tunc ipsa coniugii experientia fit medium diluendi dubitationem. Cfr. etiam ROSSET, n. 3037.

Alii reponunt: Ita responsum est, quia non plane constabat ovaria penitus excisa esse. Quo responso patroni istius sententiae denuo recepta principia et consuetas regulas miro modo deserunt. Etenim: Essentialis matrimonio potentia saltem probabiliter adesse debet (1); impedimentum non est dubium nisi dubium sit prudens (2); nisi merito dubitetur (3).

Constans ceterum est lex moralis, quam, in l. c. et in quaestione de impotentia, S. ALPHONSUS memorat, ut dubium obliget ad explorationem, ad diligens examen.

Age porro, in quinque casibus solutis, S. Officium de operationis modo semel tantum interrogavit; et simplici assertione unius medici contentum fuit. Ergo, nisi dixeris a S. Congregatione receptas prudentiae regulas neglectas esse, fieri non potest ut propter dubium facti, non serio examinatum, gravissimas causas istas diremerit. Praeterea, in ultimo casu proposito, teste P. FERRERES qui authenticas medici-chirurgi litteras allegat, ablatio totalis uteri et utriusque ovarii certa erat.

Quae vero ad tuendam istam sententiam afferunt, non adeo difficile solvuntur.

Ad 1. Cum dicunt matrimonium et copulam a natura essentialem ordinem habere ad generationem, vel loquuntur de institutione matrimonii, vel de matrimoniis quae institutionem consequuntur. Si loquuntur de institutione, concedi potest ordinem ad generationem adeo esse essentialem, ut sine illa relatione matrimonium non fuisset institutum; quamvis, in ipsa Genesi, Eva magis ut coadiutrix quam ut futura mater prolis, Adamo data legatur (cfr. Gen. II, 18).

Finis tamen iste non est unicus, etsi manet principalis. Si vero agitur de singulis matrimoniis, nego ordinem istum esse essentialem aliter atque in *materiali sua inchoatione*, quae habetur in omni copula facta secundum naturam. Materialem voce generationis inchoationem, copulam praecise sumptam, abstrahendo ab ulteriore relatione quam ad generationem habet per se, sed non semper. Sed quia, praeter finem primarium alii fines sunt matrimonii, copula, quando ulterior relatio ad generationem desideratur, in aliquo fine secundario honeste terminatur. Hoc negari non potest

---

(1) S. ALPHONSUS, l. c. — (2) WERNZ, *Ius Decretal.*, l. 4, n. 216, VIII. — (3) BALLERINI-PALMIERI, t. 6, n. 887.

nisi probes, primarium matrimonii finem esse talem qui in singulis applicationibus obtinendus vel quaerendus sit. Sed hoc nemo contendet; receptas enim conclusiones de usu matrimonii funditus subverteret. — Instabunt quidem exigendo ut finis primarius saltem sit possibilis. Sed cur, in singulis applicationibus possibilis esse debeat finis qui non est in singulis obtinendus vel quaerendus, de hac re exspectamus efficacem probationem, quae desideratur.

Ac modus diversus quo antiqui solvunt difficultatem petitam ex matrimonio quod senes contrahere possunt demonstrat ipsos recentiorum placitis nullatenus patrocinari.

Ut matrimonium senibus permittant, recentiores appellant raros casus fecunditatis, ac dein de praesumpta capacitate generandi, de dubia incapacitate, ea ratione disserunt quam supra improbavimus.

Contra, antiqui, S. Thomas, S. Bonaventura, simpliciter admittunt hanc senum incapacitatem. Senibus, ut ait S. Thomas, « conceditur matrimonium secundum quod est in remedium, quamvis *non competat* iis secundum quod est in officium naturae » (1). « Ad illud quod obicitur de bono prolis quod propter hoc matrimonium institutum est, dicendum quod non tantum propter hoc, sed etiam in remedium et in signum : et ideo, quamvis non sit ibi hoc bonum, possunt tamen esse alia bona » (2). Quibus verbis S. Bonaventura plenius nobis rem proponit et magis secundum veritatem. Alia bona quae in matrimonio insunt honesti fines sunt matrimonii. Atque in primis, seclusa etiam concupiscentiae consideratione, occurrit mutuum illud complementum et adiutorium quod coniuges in unione sua reperiunt, qua etiam christiani significant unionem Christi cum Ecclesia. Ipso autem coniugii usu amor ille firmatur.

Ad solam potentiam coeundi attendum esse probat quoque proposita a S. Thoma (3), a S. Bonaventura (4) et recepta a Glossa interpretatio verborum mulieris : « Volo esse mater, volo filios procreare », quae leguntur tum in c. *Requisisti*, 2, C. XXXIII, Q. 1, etc. *Accepisti*, 1. *De frigidis*, etc. (IV. 15). Mulier, sic ipsi, prop-

---

(1) Suppl. 3 P. q. 58, art. 1 ad 3. — (2) In l. 4 S. D. 31, art. 1, q. 3 in fine. Quocirca etiam frustra a D.re Antonelli obicitur remedium concupiscentiae non esse bonum matrimonii naturale, cum sine peccato originali non fuisset. Frustra, inquam, tum quia in statu naturae non elevatae exstitisset, tum quia satis est ut re vera nunc in matrimonio insit, tum quia etiam sine fecundidate manet bonum in omni statu naturae coniunctum matrimonio, idest bonum unionis et perfectionis mutuae. — (3) In l. 4 S. D. 34, in expositione textus. — (4) Ibidem, in dub. 2.

cer verecundiam his verbis usa est ad significandum illud: « volo cognosci a viro ». « Mulier enim, sic S. BONAVENTURA, non potest separari a viro propter defectum *generandi* sed potentiae *coeundi* ».

Ad 2. Formula qua requiritur copula *per se* apta ad generationem, difficultatem faceret, nisi, sicut supra monuimus, historice explicaretur intentione negandi eunuchis matrimonium post decretum SIXTI V. Hac occasione, in hunc finem, addita sunt verba « per se apta ad generationem ». Proponi ergo non possunt quasi contineant principium generali argumentandi in hac re. Cf. etiam R. P. OIETTI, *Synopsis*, n. 2395. Ceterum, cum ovulatio non sit pars copulae; ad hominem responderi possit etiam cum muliere excisa *ipsam copulam* de se aptam manere ad generationem, quae tantum ex posteriore ovulationis defectu impeditur,

Ad 3am difficultatem, qua urgetur parallelismus quidam inter virum et mulierem, observamus, in nostra explicatione decreti SIXTI V, paritatem viri et mulieris concedi vel transmitti posse. Ideo enim eunuchos impotentes dicimus, quia perpetuam copulae facultatem non habent.

Qui vero, cum communiore opinione, stricte dictam seminationem ex parte viri exigunt, hic aliquam difficultatem experiuntur, Magis consequenter adversarii dicere videntur, cum essentialia ad generationem ab utraque parte postulant. Ipsis tamen responderi potest probationem maioris: « Non minus ex parte mulieris quam ex parte viri requirendum est », desiderari, praesertim cum vir et mulier diversimode interveniant, et solus viri interventus afficiat ipsam copulam, propter quam mutua coniugum traditio facta est.

Ad 4. Necessitatem obiecti quod substantialiter aptum ad generationem *praesumi* possit, ac proin maiorem nego, nisi illam intellegas aptitudinem quam habet quicumque copulam exercere potest. Difficultas nimis probaret, cum aptitudo ad generationem in muliere quae quinquaginta annos superaverit iam praesumi non possit.

Ad 5. Frequentiam malitiosae mutilationis natura impedivit, ut etiam observat R. P. OIETTI, n. 2424, tum gravi istius mutilationis prohibitione, tum horrore satis communi scalpelli. Praeterea, abusus iste minus timendus est ante matrimonium quam post contractum matrimonium (1). Semel autem factis legitimis nuptiis, plerique adversarii nostri usum coniugii mulieri excisae permittunt.

---

(1) Idest, quando propter partus pericula medicus usum matrimonii interdicit, tunc coniuges et medicus tentantur consilio parandi ablatione ovariorum innocuas copulationes. Quod non semel iam factum esse novimus.

Ratio autem cur etiam tunc «congressus contra naturam» prohibeatur, praecise est quia naturae adversatur. Ut postea magis declarabitur, minus de fine quam de ordine naturae servando solliciti esse debemus. Copula recte facta eorum qui generare nequeunt, servat, ut ait R. D. De Smet (1), obiectivam suam ad finem ordinationem quatenus est actus qui generice ad istum finem ordinatur, quamvis non ordinetur in individuo; et, etiam in individuo, servat ordinem ad fines secundarios: copula est actus coniugalis (2).

Sitne autem difficultate ista, quae licentiam istam perniciosam fore contendit, satis consultum reverentiae S. Sedis, quae iam quinquies illam concessit, id alii viderint.

Ad 6. Quae afferuntur sententiae S. Congr. Concilii recentibus responsis S. Officii et S. C. de Sacramentis apparenter tantum contrariae sunt. In quattuor enim causis mulier etiam utero privabatur. Unde nihil attinent mulierem in qua sola ovaria desiderantur. Praeterea in prima causa (Salernitana) aberat ipsa vagina; in altera (Verulana) vagina erat nimis brevis et durissima, imperforata membrana occludebatur; in tertia (Albinganensi) maxima vaginae pars deleta erat; in quarta (Monasteriensi) vagina erat abnormalis, insufficiens ad coitum perficiendum. Ipsis ergo vitiis vaginae, quae ad copulam necessaria est, sententiae nullitatis commode explicari possunt. Cf. Ferreres, *De vasectomia duplici, necnon de matrimonio mulieris excisae*, n. 269-273.

N. B. In libello *De mulieris exisae impotentia*, p. 162, Dr Antonelli notat ipsam copulam mulieris quae *utero* careat non esse nisi imperfectam. Haec ratio magis seria esse possit dubitandi de potentia mulieris cui non sola ovaria sed etiam ipse uterus sublatus est. Attamen frigiditas mulieris in copula, ne ipsam quidem consummationem matrimonii impedit. Et antiquitus iam scribebatur: «Frigiditas quae facit virum impotentem, non faceret mulierem impotentem (3)».

Altera sententia.

2. Patroni alterius sententiae, praeter facultatem copulae per se aptae ad generationem, nullam aliam potentiam essentialem esse contendunt.

Atque hi quidem rationem impedimenti impotentiae formaliter servant qualis per plura saecula in Ecclesia proposita est, ac perfecte cum responsis S. Sedis in dicendo congruunt. Porro, cum mulieris ovulatio a copulatione

(1) *De sponsalibus*, etc. n. 278. — (2) Oietti, *Synopsis*, n. 2411. — (3) Ferreres, op. c. n. 209 et 240.

prorsus distincta et independens sit, facile etiam ostendunt quo modo in muliere excisa, si modo vaginam habeat, copula per se apta ad generationem haberi possit.

Huius sententiae difficultas, nisi formulam mutes.

Num tamen valde consequenter dicere videntur, dum copulam per se aptam generationi exigunt et mulierem dispensant ab habendis ovulis quae, non minus quam sperma virile, generationi necessaria sunt? Id satis dubitamus. Contra, quando duo elementa ad generationem requiruntur, vel utrumque vel neutrum ad valorem matrimonii exigendum videtur. Cur, denique tandem, manifesta generandi impotentia fuerit in solo viro impedimentum matrimonii? Id ex priore sententia, quae sic magis sibi constare videtur, alteri non immerito obicitur. Respondent quidem hoc inter virum et mulierem interesse, quod impotentia viri manifesto organi exterioris defectu cognoscitur, dum ovaria per se in corpore latent; et quod emissio seminis se habet ex parte copulae, a qua ovulatio prorsus independens est (1). Etsi respensum istud non omni efficacia destitutum putamus, subtile tamen et longe quaesitum esse nonne fatendum est?

Vera ratio cur castrati valide uxorem ducere nequeant.

Sed alia, meliore, ut putamus, ratione, difficultas ista removeri potest. Formulam istam qua, post Sixti V edictum, copula per se apta generationi requiritur, parum felicem arbitramur, eamque obscuritati et difficultati in praesenti causa occasionem dedisse suspicamur.

Quod eunuchi uxorem valide ducere nequeant: id, post Sixtum V, omnino constat et nullus theologus catholicus negabit. Conclusionem istam S. Pontifex duplici argumento firmat: quia eunuchi verum semen emittere non possunt; et quia ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebrae et incentiva libidinis oriuntur ».

Priori potius rationi adhaerentes, plerique theologi eam ita intellexerunt ut in viro exigerent, tamquam validi matrimonii condicionem, necessariam capacitatem effundendi semen prolificum, i. e. veram potentiam generandi. Postularunt enim, ut verbis communiter receptis utamur, capacitatem « copulae per se aptae ad generationem »: *formaliter* ergo relationem ad generationem requirere coeperunt. Hoc nobis, ut sincere animum pandamus, valde difficile videtur, tum quia sic receditur a sententia quae

(1) Ferreres, op. cit. n. 209 et 240.

ante SIXTUM V apud auctores classicos recepta erat, – quae solam potentiam coeundi ad validum matrimonium exigebat, – tum quia logica consequentia coacti deberent tunc, ut nobis videtur, etiam in muliere elementum essentiale generationi exigere et, sub hoc respectu, in sententiam novam, Drs ANTONELLI, pedibus ire ; tum quia plures causae cur copula inepta sit ad generandum nos ita facto latent, ut non pauca matrimonia mere putativa exsistere logice fatendum ipsis sit ; tum quia personis quas sic impotentes affirmant usum matrimonii permittunt, dummodo impotentia coniugio iam valido supervenerit.

Propterea, cum semper maior quam in conclusione libertas opinandi sit in perpendendis et proponendis argumentis, et versemur in argumento de quo, ut ait Card. GASPARRI, « graves adsunt hinc inde difficultates », et theoria adhuc sub iudice est, licebit nobis et fructuosum arbitramur, potius alteri rationi, quam Sixtus V ex inutilitate talium coniugiorum desumebat, et magis cum suo decreto conectebat, modeste inhaerere, et communiorem hodie sententiam, ratione formaliter paulo diversa tueri hoc modo : Eunuchis deest non sola secretio externa nemaspermatum quae in testiculis elaborantur, sed etiam interna quae, ut vidimus n. 7, signa virilitatis, vim alendi appetitum sexualem procurant, et per se perpetuam coeundi potentiam tribuit.

Abscissione itaque utriusque testiculi eunuchus in ipsa sua virilitate et potentia ipsius copulae radicaliter vitiatur. Sane, contra atque ille qui eunuchus nascitur vel infans castratus est, qui aetate adulta mutilatus est, per aliquod tempus copulae quidem capax manet, immo, propter servata nemaspermata, fecundas aliquot copulas exercere potest.

Verum precaria ista viriditas comparanda est cum foliis quae eradicata arbor per aliquod tempus producit, et sensu communi nihilominus pro mortua habetur. Vestigia ista potentiae non sufficiunt ut eunuchus possit obiectum matrimonii essentiale, seu corpus vere aptum copulae tradere, maxime si necessariam coniugii perpetuitatem consideres. Inde « ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit », ut aiebat SIXTUS V ; sed propter

decrescentem ab initio et dein suppressam copulae facultatem, matrimonia ista nulli fini, nec primario nec secundario, vere inserviunt.

Itaque, quia matrimonium indissolubile et perpetuum per se perpetuam corporum traditionem ad copulam carnalem postulat, ideo, nostra sententia, eunuchi formaliter incapaces sunt validi consensus matrimonialis. Sententia ista his commodis confirmatur. *a*) Accurate servat antiquissimam rationem impedimenti impotentiae, quam totam ponit in impotentia coeundi. *b*) Perfecte quadrat ad responsa S. Sedis de matrimoniis mulierum quibus ovaria ablata sunt. Nec confugere debemus ad miras hypotheses excisionis fortasse incompletae, etc. *c*) Facillime explicat matrimonia senibus utriusque sexus permissa. *d*) Non minus facile explicat usum matrimonii permissum iis qui non fundunt nisi semen aspermaticum vel qui post coniugium mutilati sunt. *e*) Capacitas ad verum matrimonium efficiendum nullatenus pendet a factis quae latere solent. *f*) Perfecte secum constat. Cum ne in viro quidem *formaliter* exigat elementum ipsi generationi necessarium, patroni recentioris opinionis D.rs ANTONELLI arbitrariam inter casum viri eunuchi et mulieris excisae distinctionem nobis opponere nullatenus possunt.

Nec dicatur sic introduci novum impedimentum matrimonii quod non foret impotentiae antecedentis sed subsequentis et futurae. Namque antecedens dicenda est impotentia propter factam mutilationem quae radicitus tollit potentiam copulae qualis in matrimonio exigitur (1). Ceterum nemo ex adversariis e numero impotentium demere audebit eunuchos ita recenter sectos ut copulae fecundae precario capaces maneant.

Sicut ii qui copulae potentes futuri prospiciuntur, iam possunt, spectato iure naturae, ante praesentem copulationis potentiam, uxorem valide ducere, sic, contra, qui ob praesentem iam et certam causam prospiciuntur co-

---

(1) Immo, si fides sit ESBACH, *De novo quodam sterilitatis conceptu* p. 57 sq., probante FERRERES, *De vasectomia duplici*, etc. numero 36, eunuchi ipsam copulam numquam in ratione copulae perfectam servant.

pulae perpetuo impotentes futuri, iam nunc, spectato iure naturae, matrimonii incapaces dicendi sunt.

Ne plane insolitam explicationem dedisse videamur, iam saec. XIII° Goffredus de Trano in *Summa* similem dedisse videtur his verbis: Secti matrimonium contrahere non possunt, nec valet contractum, quia, *ex quo cognoscere uxores non possunt*, pueris assimulantur (1)». Ac R. D. Esbach etiam pontificii decreti hanc affert rationem, quia, castrati nequeunt post aliquod tempus « satiativae venereae delectationis apicem » attingere (*Disp. phys, theol.* p. 196, Cf. p, 150).

Tertia sententia cumargumentis.

3. Novam, nec specie vel utilitate destitutam, viam solvendi difficilem quaestionem tentavit R. P. Arendt S. I. in opusculo cui titulus: *Relectio analytica super controversia de impotentia feminae ad generandum*. Hanc, ut patet, tentavit, ita animo comparatus, ut, donec authentica rei definitio data non esset, veritatem quidem illustrare conaretur, responsis tamen SS. CC. practice adhaereret.

Itaque, *a*) Ipse classicam *definitionem* impedimenti impotentiae retinet, i. e. impotentiam coeundi. Non ideo tamen capaces matrimonii dicit quotquot mulieres copulam naturaliter perficere possunt. Cum enim sterilitas in aliis ex perturbatione functionali, in aliis vero ex organico defectu oriatur, has non simpliciter dixerit steriles, sed impotentes generationis. Quare sterilitatem in nulla impotentia ponit, sed eam habet pro re facti, quod presumitur non oriri ex defectu substantiali. Ubi tamen impotentia generandi « evaserit per se cognoscibilis ante contractum matrimonialem », a muliere abiudicat copiam valide in matrimonium consentiendi. Generatio enim, sic ipse, est *finis operis*, in quem, quando stricte impossibilis est, consensus mulieris ferre nequit. Et sic laudatus auctor, sed alia ratione, pervenit ed eandem conclusionem ac R. D. Antonelli. Uxori tamen quae post matrimonium recisa fuerit, usum matrimonii ad fines secundarios permittit.

Sententiae istius difficultas et confutatio.

Suo ratiocinandi genere R. P. Arendt modum imitatur quo S. Tromas, Laymann et alii ipsum impotentiae impedimentum

(1) Apud Oietti, *Synopsis*, n. 2397, p. 233.

statuunt. Sed hoc discrimine separantur, quod qui copulae incapax est, ipsum opus coniugale promittere nequit, dum ille qui sola generandi impotentia laborat ipsum opus promittere et praestare potest. Nec opus istud coniugale omni fine intrinseco caret. Quamvis enim propter generationem primario institutum sit, natura tamen sua, mutuum coniugum amorem firmat, temperat concupiscentiam. Positiva autem cooperatio ad primarium institutionis finem in omni matrimonio non requiritur; immo nec serio offerri potest, ut cum duo senes nuptias inter se iungunt. Quare etiam ficticia esset ista necessitas consentiendi in generationem, ex qua R. P. argumentum desumit.

Profecto, ad vitandam alterius partis deceptionem, mulier orbata ovariis gravissima obligatione tenetur manifestandi istud vitium, si occultum fuerit, quemadmodum quodlibet aliud grave et damnosum corporis vitium pandere debet. Praeterea, dum S. THOMAS ex physica congrediendi impotentia defectum obiecti contractus et inde vitium consensus colligit, laudatus auctor deesse obiectum asseverat ubi potentia non desideratur.

Fatemur quoque a nobis capi non posse quomodo laudatus auctor postulet relationem *veram* seu *realem ad ipsam generationem* in omni valido matrimonio, ac proinde exigit ut fundamentum ex quo provenit matrimonio ratio coniunctionis, *reapse* inveniatur in utroque termino relativo; et quo pacto tamen valida declaret matrimonia in quibus fundamentum istud re vera desideretur, dummodo defectus manserit incognitus. Quod trascendentale est in matrimonio, quod ad eius essentiam pertinet, nulla ignorantia suppleri potest. Difficultatem quidem auctor persensit eamque dissipare conatur, sed efficacia eius explicationis nos fugit.

Recurrunt praeterea alia quae primae sententiae obiecimus; ipsa quoque aegerrime componitur cum responsis S. Sedis, quae, nulla facta distinctione potentiae et consensus, nuptias mulieri recisae simpliciter permittunt, et cum indubia facultate contrahendi nuptias etiam in maxime provecta aetate, quousque, ut ait SANCHEZ (L. 7, D. 103, n. 8) non fuerint omnino incapaces copulae. Quod autem ista Ecclesiae praxis nitatur in ipsa possibilitate generationis, id demonstrandum foret.

B. *Conclusio eiusque probatio*

Conclusiones.

61. — Doctrinam itaque classicis auctoribus magis consentaneam et magis cum factis certis cohaerentem proponere putamus hac conclusionis formula :

Thesis I.

Conclusio prior, de impotentia coeundi.

I. Impotentia coeundi, si perpetua sit, dirimens matrimonii impedimentum efficit.

Quid copula postulet.

Notabile istud prius observandum est, ad veram copulam non esse satis ut membrum virile vaginam aliquo modo penetraverit, sed opus praeterea esse ut in vase muliebri orgasmus in seminis effusionem desinat. Potentia itaque coeundi capacitatem istius effusionis supponit. Sin minus, vera carnalis commixtio deficeret. Sed cum semen humanum partim ex testibus, partim ex vesiculis seminalibus, partim ex glandula prostatae in urethram confluat, id dubitari potest et controvertitur, utrum necne satis sit ut vesiculae seminales et prostata suas partes expleverint. Cf. Moll, p. 702, ss.

Conclusionis probatio.

Conclusionem autem sic efficimus.

In omnium existimatione et prima specie, matrimonium perspicitur esse institutum in quo duae personae, ratione homine digna, se alter alteri coniungunt tamquam principia actionis quae per se est generativa. Et quia stabilis tantum coniunctio homine digna est et sola primario naturae fini seu debitae hominum multiplicationi aptatur, matrimonium mutuam continet corporum *traditionem* ad operationem istam exercendam. In quo ergo copia istius operationis in perpetuum deficiat, ipsum contractus matrimonialis obiectum desideratur, ita ut conatus istius pactionis frustraneus tantum esse possit.

Idem ampliore ista consideratione confirmari potest. Vir et mulier, separatim sumpti, homines sunt quadantenus imperfecti et incompleti, sed ita constituti ut quod alteri deest alter propriis qualitatibus supplere queat. Id ipsi medici in physiologicis rebus assidui testantur. « Que sont l'homme et la femme pris isolément ? Des êtres imparfaits. L'être social et physiologique complet est le *couple*

formé de deux individus dissemblabes, dont les facultés, les aptitudes, aussi bien que les organes sexuels sont complémentaires l'un de l'autre ». Sic optime D.r Bourgas (1).

Quo igitur fert inclinatio amoris sexualis ? Quid uterque sponsorum per se quaerit ? Quaerit se altero complere, perficere, cum altero unum facere, cum ipso confundi. Sicut autem corpus est principium divisionis et pluralitatis in uno genere humano, ita fit principium coniunctionis et confusionis duorum in matrimonio. Quo pacto ? Per corporalem mixtionem quae concupitae unitatis quasi symbolum est et materialis expressio. Unde rursus, ipsa generaliori completionis voluntate vir et mulier impelluntur ut alter alteri se tradat ad actionem qua duo una caro fiunt. Deficiente itaque istius actionis copia, sola superest amicitia inter animas, quae nullum postulat naturale institutum. Cur enim tale condatur, ratio nulla boni communis assignari potest.

Quare cui perpetua copia veri commercii sexualis desit, nullus accessus ad naturale matrimonii institutum panditur.

Argumentum conclusionis hac etiam forma, quae placet Laymann (2) post ipsum S. Thoma (3) efferri potest. Cum immediatum obiectum matrimonii sit mutua corporum traditio ad actum coniugalem, uterque coniux se obligant ad copulationem admittendam, altero rationabiliter id petente. Quare etiam actus iste debitum coniugale dicitur. Sed qui copulae huius prorsus incapax est, huiusmodi obligationem valide suscipere minime potest. « Impossibilium nulla obligatio est » [L. 185, D. De R. I. (50, 17)].

Conclusio altera. De impotentia generandi.

62. — II. Impotentia generandi, si sola sit, impedimentum dirimens matrimonii non constituit.

Ratio brevis est, quia generatio neque immediatum obiectum neque finis unicus aut necessarius est omnis matrimonii. Quare, sine promissione generandi exsistere potest, ita ut qui promissionis istius incapax sit, non ideo incapax matrimonii dicendus sit.

---

(1) *Le droit à l'amour pour la femme*, p. 191. Conferri etiam potest Kant, *Rechtslehre. Das Eherecht*, § 24. — (2) L. 5. tr. 1, p. 4, c. 11, n. 1. — (3) Suppl. 3, P. q. 58, art. 1.

1. Generatio non est immediatum obiectum matrimonii. *Eius probatio.* Obiectum enim istud est mutua corporum traditio ad actionem quae, quamvis per se tendat ad generandum, saepe tamen, etiam a coniugibus qui generare possunt, sine ista efficacia exercetur, et aliam utilitatem habet mutuum amorem fovendi. Atque ea copia a natura suppeditatur, ut ipsa natura ad quaerendum in ea aliud bonum, non contra sed praeter generationem, homines invitasse videatur. Natura enim soli homini perpetuum appetitum sexualem dedit.

Cuius vis cum vehementissima sit, nisi dixeris nimiam mali tentationem ad intentionem naturae pertinere, alterutrum inde colligere debemus : vel vir destinatione polygamus est, vel etiam ad steriles copulationes habendas matrimonio iunctus est. Virum autem non esse destinatione polygamum iam inde apparet, quod viri et feminae aequali fere numero exstant. In ipsis regionibus ubi polygamia saevit, excessus feminarum, qui ad nimis exhaustas virorum vires referendus videtur, vigesimam partem hominum non superat.

Praeterea, causae quibus fecunditas impeditur ita per se occultae sunt, ut ipso mysterio moneamur ad illam fecundationis facultatem nobis formaliter respiciendum non esse.

Per haec non negamus a natura ob hunc primarium finem matrimonium esse institutum, ut debitae generis humani propagationi consulatur (1). Quem finem esse primarium, iam inde apparet, quod speciei bonum respiciat, bonum autem speciei omni bono privato praesentis ordinis praeferendum sit.

Quare etiam quidquam contra primarium istum finem positive agere aut tentare coniuges vetantur.

2. Sed **finis iste unicus non est.** Etenim, ipsa ratio qua personae diversi sexus altera alteram complent iam alterum indicat finem matrimonii immediatum et independentem a prolis generatione. S. Thomas etiam hunc tertium

(1) In hac re Kant catholicis consentit. Cf. *Rechtslehre. Das Eherecht.*

addit, in praesenti ordine, finem secundarium sed immediatum, medendi honesto modo nimiae concupiscentiae.

Exstant ergo alia bona propter quae coniuges nuptias legitime appetere possunt (Cf. etiam OIETTI, *Synopsis*, n. 2418; DE SMET, *De Sponsalibus*, etc., n. 278).

3. **Generatio non est finis necessarius omnis matrimonii.** Etenim iam per se primarius finis instituti non est necessario primarius finis singulorum in quibus institutum istud reperitur.

Si nunc naturalis hominum propensiones consideres, uxor filios cupere solet, sed vir prolis futurae minus avidus demonstratur.

Moralis autem obligatio persequendi hunc finem nulla est, cum sine illa obligatione ei satis cautum sit, et matrimonia ob alios fines contracta sociali utilitate non destituantur. Re quidem vera, ad finem primarium parum refert ut singula coniugia prolem generent vel etiam generare possint, dummodo contra finem generationis nihil positive moliantur.

Vera matrimonii notio.

Itaque, quod probe notandum est, nam principale quodpiam est quod non paucos hodie fugisse videtur, matrimonium non immediate propter liberos habendos ita initur ut, seclusa generatione, obiecto careat nec amabile sit, sed tale est institutum, quo mediante, *natura* propagationi humani generis sapienter providit, ita tamen ut in intima et individua duorum se complentium unione, immediatam rationem habeat cur sit. Ac libido sexualis aliquo modo comparari potest cum fame, quae ad comedendum immediate impellit, qua facta comestione natura dein utitur ad varias utilitates corpori praestandas per aptam ciborum decoctionem et distributionem, quae tam parum voluntariae sunt, ut ipsam conscientiam ex magna parte fugiant. Sic per satisfactionem appetitus venerei quae suis legibus consentanea sit, natura varia bona tum privata tum communia et publica procurat, quorum intentionem non praecipit, et cognitio ab ipsis coniugibus abesse potest.

Confirmationes petitae: ex ratione directa,

63. — Conclusio nostra **confirmatur**:

1. Argumentatione quam ex. Em. C. GASPARRI depromptam

laudat Ill. D. Sebastianelli (1). In humana generatione locum habet duplex actio : humana et naturae. « Actio humana consistit in penetratione membri virilis in vaginam et effusione veri seminis in eadem : deinde incipit actio naturae, cuius functiones sunt transitus spermatis ad interiora, descensus ovuli in uterum per tubas fallopianas, fecundatio ovuli maturi, evolutio fetus in utero et partus. Iam vero, cum matrimonium sit contractus humanus, congruum est ut ordinetur ad actionem humanam quae de se et secundum communem speciem actus idonea est ad generationem, licet forte sit inepta per accidens ob defectum in organis femineis post-vaginalibus. »

3. Eo quod, ut ait R. D. De Smet, contractus matrimonialis est contractus *socialis, regimini obnoxius Principis societatis,* a quo proin oportet ut eius exsistentia ac validitas diiudicari possint. « Unde natura coniugalis contractus exigit ut nonnisi talia impedimenta constituantur de quorum praesentia constare valeat regulariter et de communiter contingentibus, quae nitantur scilicet in facto obvio et regulariter perceptibili.

« Quo pacto liquet impotentiam, *in quantum est impedimentum matrimonii,* non posse consistere in defectu *aptitudinis perfectae* ad generandum, seu in absentia vel vitio cuiuscumque organi ad fecundationem undequaque necessarii : excludendus est defectus aptitudinis oriens ex absentia vel vitio organi de cuius absentia vel vitio de via ordinaria constare nequit, et solus attendendus est defectus aptitudinis ex parte *copulae,* quatenus haec non possit exerceri modo natura sua et ex parte actus generationi idoneo (2). »

ex auctoritate.

3. Auctoritate S. Thomae et S. Bonaventurae, qui, locis supra citatis, matrimonium senibus in remedium concupiscentiae simpliciter concedunt.

Dicesne S. Thomàe accidentale videri ut senes generare nequeant, adducesque eius verba : « Dicitur actus ille esse contra naturam in genere luxuriae, ex quo non potest sequi generatio secundum communem speciem actus, non autem ille ex quo non potest sequi propter aliquod particulare accidens, sicut est *senectus* vel infirmitas (3) » ? Verum attente legenti patet illud *accidens*

---

(1) *Praelectiones iuris canonici : De rebus,* n. 65, — (2) *De sponsalibus et matrimonio,*[3] n. 554. In nota, R. D. optime observat non referre accidentalem defectus notitiam, cum lex naturalis ad ea quae sunt per se et communiter contingentia sit aptata. — (3) *De malo,* q. 15, art. 2, ad 14. In loco isto, S. Thomas damnat luxuriam quae, omissa copula coniugali, naturae adversatur.

non esse sterilitatem senis (1), sed ipsam senectutem, ita ut sensus non sit : seni accidit ut generare nequeat, sed ille alius : accidit actui ut fiat a sene et ideo sit infructuosus. Nullo enim modo in responsione sua corrigit verba obiectionis : « Manifestum est quod ex concubitu mulieris quae est... vetula, generatio prolis sequi non potest ». Atque eodem modo accidit ut fiat a muliere quae utero caret.

4. Auctoritate aliorum doctorum : v. g. TANCREDI scribentis : « Cum autem matrimonium aut causa suscipiendae prolis aut causa incontinentiae fiat : impossibilitas coeundi utramque removet (2). »

His verbis clare indicat sufficere ut matrimonium assumatur tamquam remedium. Eodem modo loquuntur S. RAYMUNDUS, in *Summa*, et, saec. XV, Abbas Panormitanus, *De frigidis et maleficiatis*, c. 4.

Nobiscum etiam SANCHEZ (3) *essentiam* matrimonii reponit « in vinculo illo quo formaliter sunt coniuges uniti, quod oritur ex mutua traditione ». Antea, n. 2, elementa matrimonii numerans, praeter ipsum consensum et externum contractum, indicat mutuam corporum traditionem tamquam immediatum illius contractus effectum ; et tamquam immediate sequentem, mutuam obligationem ad reddendum debitum. De prole autem tacet.

Accedit quoque auctoritas virorum nostrae aetatis quos ab initio indicavimus.

ex constantia dictorum.

5. Simplici et perfecta *constantia* dictorum nostrorum, tum inter se, tum cum punctis quae in hac re plane liquent.

a) Postquam, cum antiquis, ad potentiam copulae formaliter attendendum esse diximus, hanc perpetuam normam statim colligimus : Quicumque perpetua *copulae* impotentia laborat, ad matrimonium ineundum inhabilis est. Adversarii vero, qui considerandam quoque putant potentiam generandi, sic cohaerenter loqui nequeunt vel regulam huiusmodi statuere : « Quicumque perpetua *generandi* impotentia laborat, inhabilis est ad matrimonium ».

Sed ad obscuram distinctionem τοῦ *per se* et τοῦ *per accidens* confugiunt. Frustra quidem, ut nobis videtur. Qua enim ratione condicio necessaria deficiat, eadem condicionatum deficere debet. *Per accidens* impotens ad generandum, *per accidens* inhabilis dicendus erit. Quid, quod omnis impotentia homini accidentalis est ?

b) Obiectivam rationem qua sterilitas ab impotentia quae matrimonium dirimit secernitur, nostra sententia accurate servat, dum in adversa sententia omnis immedicabilis sterilitas impotentiae ac-

---

(1) Contra atque existimat BUCCERONI, *Institutiones theol. mor.* t. 4, n. 994. — (2) *Summa matrimonii*. De impotentia, initio. — (3) *De matrimonio*, l. 2, d. 1, n. 6.

quiparanda foret, ita ut sterilitas saepe non esset nisi occulta impotentia.

c) Sententia nostra facile explicat cur matrimonium senibus permittatur, cur liceat coniugibus tempore praegnationis coniugio uti. Immo melius capitur cur qui, post validas nuptias, evirati sunt, uti coniugio permittantur. Quamdiu enim copia copulae adsit, usus iste, in nostra sententia, regularis est, dum in adversariorum sententia innaturalis dicendus videtur.

6. Eo quod repugnare videtur ut ex elemento cuius necessitas saeculo tantum XIX reperta est valor instituti naturalis quale est matrimonium dependeat. Cf. R. P. Oietti, *Synopsis*, n. 2399. *ex Providentia divina.*

64. — Quomodo difficultatibus quae thesi opponuntur facile satis fiat, satis superque dictum a nobis iam esse arbitramur, ita ut illis insistendum non sit. *Ad difficultates*

Hoc tantum observamus, difficultates proponi quae mere verbales sunt. Sit hoc exemplum. Cum procreatio liberorum, scribit Bucceroni (1), sit finis primarius, immo maxime essentialis matrimonii, contrahi nequit « intendendo eius secundarium finem, *positive excluso* fine primario ». Sententia ista, quae in initio est de fine *intento*, ut secum cohaereat, de exclusione positiva per *intentionem* quoque intellegenda est. Sed sic tota a nobis probari potest. Si autem posteriorem eius partem intellegas de simplici et involuntaria impossibilitate, introducis alterum elementum, et tunc, propter rationes factas, negamus consequentiam. Et ratio discriminis est manifesta. Exclusio per intentionem oppositam, non autem exclusio per impossibilitatem dicit *contrarietatem* cum fine isto primario.

C. Corollaria et Scholia.

65. — 1. Ex demonstrata thesi habemus unde noscamus quinam *impotentes*, quinam *steriles* dicendi sint. Sed propter rei momentum et usum, de isto corollario distinctam paragraphum ponemus. Hinc iam ad pauca scholia divertimus. *Distinctio impotentiae et sterilitatis*

(1) *Inst. theol. mor.* t. 4, n. 994.

Bona matrimonii diversimode essentialia sunt.

66. — 2. Tria **bona** quibus **coniugia fidelium** a S. AUGUSTINO (1) honestari dicuntur diversimode essentialia sunt. *Sacramentum* enim seu indissolubilitas, ita essentialis est ut frustra contra eam nitaris : solutio enim valida esse nequit. — Positivum *fidelitatis* officium exui nequit ; sed physice peccato violari potest. — *Prole* autem gignenda abstinere coniuges etiam legitime possunt ; ratione tamen quae isti bono positivo adversetur coniuges uti matrimonio prohibentur. Non dissimili modo S. BONAVENTURA (2) scribebat : « Unum, scilicet sacramentum, est de necessitate matrimonii... sed alia duo bona quodam modo sunt de esse, quodam modo de bene esse ».

Ambiguitas formulae hodiernae de capacitate.

67. — 3. Formula hodie satis consueta, qua, ad matrimonii valorem, capacitatem requirunt copulae quae *apta per se sit generationi*, aliqua ambiguitate laborare nobis videtur.

Quid codex canonicus de impotentia habeat.

68. —4. *Codex canonicus* definienda impotentia et sterilitate sapienter abstinet.

Haec autem c. 1068 de isto argumento tradit : 1. Quaelibet impotentia antecedens et perpetua matrimonium ipso naturae iure dirimit. — 2. « Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris, sive dubio facti, matrimonium non est impediendum. » — 3. « Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit ».

Quid Codex Galliae.

Codex *Galliae*, qui adhuc in Belgio viget, de impotentia silet. Codicis auctores demonstrationem istam nimis difficilem et scandalosam existimarunt ut impedimentum istud formaliter admitterent. Huiusmodi difficultas quadantenus in foro civili, nullatenus autem in foro ecclesiastico, quod conscientiam propius attingit, valere potest : difficultas enim investigationis et periculum scandali a lege naturali non dispensant.

Praebetne autem impotentia legitimam civilis divortii causam? Id controvertitur. Sunt tamen qui putent, ubi impotentia coeundi manifesta sit, matrimonium civiliter infirmari posse, tamquam obiecto suo carens vel substantiali errore vitiatum. Cf. AUBRY et RAU (*Droit civil*) qui severiores partes amplectuntur t. 5, p. 100 ss.

Quid alii Codices habeant de impotentia.

De impotentia silent quoque Codices *Germaniae*, *Helvetiae*, *Hungariae*. Attamen Codex *Germaniae*, cum annullationem propter errorem art. 1333. 1334 concedat, medium offert irritandi matri-

(1) *De Genesi ad litteram*, l. 9, c. 7. — (2) L. c. in 4 S. D. 31, art. 1, q. 3.

monium quod cum impotente ex ignorantia contractum sit. Atque hoc modo indirecte restituitur sententia, hodie derelicta, quae fuit multorum, v. gr. *Magistri sententiarum* (1) ac S. THOMAE (2), et impedimentum impotentiae aequiperabat impedimento condicionis servilis, quatenus matrimonia cum impotente et servo ignoranter contracta, eaque sola nulla forent. Sed exclusa copia usus matrimonialis, ipsa corporum traditio simul exclusa est, ita ut pactio communis vitae nullo modo matrimonialis dici queat. Cf. SANCHEZ, *De Matrimonio*, l. 7, d. 97.

Codex *Austriae* § 60 agnoscit impedimentum impotentiae antecedentis et perpetuae exsequendi *debitum coniugale*. Lis a coniuge tantum moveri potest. Impotentia non praesumitur. In dubio de perpetuitate, debent coniuges per annum cohabitare (§ 96. 99. 100).

Codex *Hispaniae* inter dirimentia impedimenta ponit impotentiam physicam, absolutam vel relativam *procreandi*, quae sit antecedens, manifesta, perpetua, insanabilis (art. 83).

Codex *Italiae*, art. 107, permittit ut alter coniux postulet declarationem nullitatis matrimonii propter impotentiam manifestam, anteriorem et perpetuam.

Codex *Portugalliae*, quamvis ipse impedimentum istud non memoret, ratas tamen habet sententias fori ecclesiastici quibus matrimonium catholicorum irritatur. Cf. art. 1086-1088.

Vitia factae argumentationis:

69. — Argumentatio eorum qui mulieris excisae potentiam negant hoc **duplici errore** vitiari nobis videtur. Et cum frequenter in rebus moralibus committatur, utrumque breviter hic notamus.

Maior de fine quam de ordine cura

1. Ad *finem* naturae transferunt curam quam de *ordine* naturae servando homines gerere debent.

Abusus distinctionis per se *et* per accidens.

2. Abutuntur distinctione *per se* et *per accidens*, ut etiam ostendit R. P. OIETTI (3).

Quando omnia requisita concurrunt, tunc utique effectus *per accidens* tantum impedietur. Sic fit ut bonum per ordinem naturae intentum — puta, rectam prolis institutionem, — servato isto ordine, ut puta in copula coniugali, per accidens frustretur. Sed, si elementum ad valorem vel liceitatem requisitum defuerit, actus illo elemento privatus *per se* nullus vel prohibitus est, quamvis *per accidens* fiat ut elementum desideretur. Nec valet is-

---

(1) L. 4, S. D. 34, c. 1. — (2) In h. l. Suppl. 3.ae Partis, q. 58, art. 1, ad 4 — (3) *Synopsis*, n. 2419.

tud : licet actus, quia requisitum elementum per accidens mihi desit.

Simili modo in praesenti causa, si impotens dicendus est qui numquam generare potest, temporali impotentia laborat qui *nunc* exercere nequit copulam quae fecunda speretur ; nec mere sterilis haberi potest qui ad tempus generare nequit. Et si formalis ratio impedimenti est frustratio primarii finis naturae, quotiescumque frustratio certa sit, eadem conclusio valere debet. Quare distinctio qua Dr. ANTONELLI causas organicas seu « constitutionales » ab aliis separat nobis arbitraria videtur.

Immo, si impossibilitas generationis facultatem tollit matrimonii, tollit etiam, quamdiu duret, facultatem copulae vere coniugalis.

Breviter resumpta causa.

Res non videtur a priori definienda.

69 bis. — Ut in pauca contrahemus quae, solo veritatis studio, sincere disputare placuit, quaestionem de naturali capacitate coniugii eorum qui perpetua sterilitate laborant, seu in quibus perpetua causa est cur prole careant seu copulae sint infecundae, aegre « a priori » ut aiunt, seu mera ratiocinatione enodari posse arbitramur. Si finis, non tantum primarius, sed unicus institutionis matrimonii seu copulae coniugalis foret procreatio liberorum, omnis copula eorum qui prolem generare nequeunt, dicenda esset inordinata (seu ad nullum finem honestum referibilis), ac proin, ut, optime dicit R. P. ARENDT, contractus matrimonialis careret obiecto essentiali, fere sicut inter duas personas eiusdem sexus. Nunc autem, cum matrimonium eiusque usus compleant hominem singularem et sint etiam in remedium concupiscentiae, rationi non repugnat ut matrimonium admittatur inter eos qui, copulae non autem generationis capaces, eius usum ad fines secundarios dirigere possunt. At concipitur quoque ut accessus matrimonii reservetur iis solis qui, utendo coniugio, finem quoque primarium serio intendere possunt. Quisnam litem dirimet? Ni fallimur, sola probata traditio. Iam vero haec nos ad nostras conclusiones induxerunt : *a*) Responsa

S. Sedis quae, ut minimum dicamus, favent matrimonio mulieris recisae; *b*) Doctores classici, qui, fere usque ad nostram aetatem, solos impotentes copulae a matrimonio arcuerunt; *c*) Matrimonium senum omnis aetatis. Iam vero praesumptio pro copula qualibet aetate remanet; sed praesumptio capacitatis procreationis contraria praesumptione *naturali* eliditur. Naturalis involutionis processus talis est, *a*) Ut certa aetate, praesertim ex parte mulieris, habeatur certitudo moralis stricte dicta impotentiae generandi: puta mulierem quae nubat octogenaria; *b*) Ut iam antea, exsistat praesumptio naturalis contra capacitatem. Et quid iuvat rarissimos casus afferre ubi conceptio in aetate provecta contigerit? Etiamsi veri sint, leges morales fundantur in ea quae fiunt per se non per accidens. Unde, si obicias praesumptionem naturalem non elidi nisi certitudine contraria, id negabimus: perimitur quoque contraria praesumptione naturali. *c*) Explicatio facilior usus coniugii omni tempore permissi, et concessi quoque iis qui dicuntur impotentes.

Variarum sententiarum commoda et incommoda.

Si sententias inter se comparare velimus eo ordine quo easdem proposuimus, *a*) Pro prima seu recentiore et severiore sententia, facit processus perfecte logicus, seu constantia in principiis; contra eam autem faciunt perversio classicae notionis sterilitatis et impedimenti impotentiae, et oppositio cum responsis S. Sedis. *b*) Altera sententia, quae fit in dies communior, allegare potest perfectam congruentiam cum pluries saeculari notione impedimenti impotentiae, et cum responsis S. Sedis. Ei obici potest defectus consequentiae, cum mulierem non vero virum dispensat ab elemento quod generationi est essentiale.

Sententia R. P. Arendt id commodi habet, ut cum logico processu sententiae primae, coniungat fidelitatem traditae notioni impotentiae. Verum etiam ipsa laborat in explicandis recentibus responsis S. Sedis et antiquorum doctorum, quorum nullus sane, ad verba quibus S. Bonaventura declarat mulierem a viro separari posse propter defectum potentiae coeundi non autem propter defectum potentiae generandi, addere cogitavit hanc distinctionem:

« suppono defectum oriri ex causa accidentali, non organica ».

Nec nobis probari possunt plura placita practica quae a fautoribus systematis D.ris ANTONELLI admittuntur. Eunuchum impotentem dicunt, quia sperma suppeditare nequit; sterilem, virum non eunuchum qui non potest nisi liquorem sine spermate fundere. Interruptio canalis deferentis, si resultet ex sectione impotentiam, si ex obturamento, quo fit ut sit occlusus, solam sterilitatem parere ab iis affirmatur. Longe aliter GASPARRI *De matr.* I, 586, principium ponit sterilitatis.

Quocirca, omnibus perspectis, sic simpliciter, suppressa omni alia distinctione, dicendum putamus. Capaces sunt coniugii, ex parte corporis, quotquot naturalem coniunctionem carnalem vere peragere possunt. Per hanc enim factam in matrimonio stabili, convenienti multiplicationi generis humani satis providetur, quamvis in quibusdam effectus iste desideretur. Apta copulae corpora sunt remota materia contractus et Sacramenti,

II. — *Impotentiae varia genera, causae, exempla.*

Varia impotentiae genera,

70. — Varia genera. Impotentia est:

1. *Perpetua*, quae omnino sanari nequit vel tantum per media extraordinaria, ut gravis operatio, cum vitae periculo coniuncta. Si tamen medium extraordinarium adhibitum fuerit, persona, sublato impedimento, iam habilis est ad nuptias contrahendas; — vel *temporanea*, quae per se vel ope medii ordinarii cessare potest.

2. *Absoluta*, quae copulam cum omni persona, vel *relativa*, quae cum certa vel certis tantum personis copulam excludit.

3. *Antecedens* vel *consequens*, prout matrimonio anterior aut posterior exstitit.

causae,

71. — II. Variae causae. Causae:

Physicae vel *psychologicae* esse possunt, prout in ipso corpore eiusve vita vegetativa, aut in vita sensibili aut rationali radicem habent.

physicae,

Causae physicae rursus aliae *organicae*, aliae *functionales* dicuntur. Organicae visibili apparatus defectu ma-

nifestantur; functionales sine laesione manifesta, functionem sexualem generaliori aut speciali modo perturbant. Causae functionales saepe cum morbis cohaerent. Sic tabes dorsalis, plures morbi cerebri, diabeta, malaria, syphilis, plures formae phtisis tuberculosae, alcoholismus, morphinomania, quempiam impotentem facere possunt.

Ad huiusmodi causas functionales etiam *neurasthenia sexualis* ascribi potest.

Ex vitiis functionalibus fit ut sola supersit erectio debilior, vel ut paralysis erectionem et seminis effusionem impediat, vel ut erectio sine seminis effusione (*aspermatismus*) vel seminis effusio sine erectione producatur (*spermatorrhaea*) (1).

Psychologicae, in variis appetitus sexualis anomaliis, atque etiam in affectibus et persuasionibus consistunt. *psychologicae,*

Itaque sunt qui solis personis certae formae, certae cutis, certae qualitatis excitari possunt, vel opus habent quibusdam rebus, v. g. vestibus talis vel talis generis coloris, etc. — Ipsa apprehensio seu persuasio impotentiae copiam excitationis auferre potest. Idem efficiunt varii timores: ne mulier gravida fiat, ne amor actu carnali quasi profanetur. — Nimia invasio diversarum sollicitudinum, vel etiam quaedam deceptio visus in corpore, quod imago phantastica pulchrius quam re vera est fingebat, facultatem excitationis tollere queunt. Idipsum efficit animi aversio a definita persona. Immo, contra, fieri potest ut quispiam tanta vi amoris ad certam personam afficiatur, ut per eam tantum sexualiter excitari possit. Quod praesertim in nobili et casto amore, sive ante sive post coniugium, contingit: quae sane est optabilis quaedam perfectio castitatis coniugalis.

Causae *organicae* facilius quam aliae demonstrantur perpetuae vel temporales; ac fere solae in muliere attendendae sunt, cum eius actus ad copulam non requiratur. *Fere* inquam. Commemorandus enim est *vaginismus*, seu dolorosa vaginalis meatus contractio ex quolibet contactu. Ipse vaginismus causas nervosas vel psychologicas habet *Nota de causis organicis.*

(1) Passivis istis pollutionibus quae, sine voluptate, saepe interdiu accidunt, atque mixtionem vel defaecationem interdum comitantur, a medico occurrendum esse, ne grave valetudinis et vitae periculum oboriatur, monet Dr. ANTONELLI, t. 2, n. 320-324.

quae corporalibus laesionibus, etiam quae leves sint, peiores reddi possunt.

III. Varia exempla.

Impotentiae exempla in viro.

72. — I. *Vir* impotens est qui, prae nimio calore, citius excitatur, et semen ante copulam perdit, vel, contra, frigiditate copula impeditur.

Impotens etiam habendus est qui non potest nisi ad ostium vaginae semen deponere: copulae enim incapax est. Cf. Wernz, n. 347, ubi bene impugnat Scherer. t. 2, p. 273 ss. et C. d'Annibale, t. 3, n. 431 nota 10, qui impotentiam istam negant, quia appositio ista fecunda esse potest.

Impotens est cui meatus non in extremo peni sed in medio aut imo peni aperitur, seu, ut aliis verbis utamur, quae tali *hypo* vel *epispadia* laborat et semen in vas fundere non possit (1).

Impotens est cui testes desunt a nativitate. Ille cui dein suppressi sunt iam impedimento impotentiae tenetur, quamvis paulatim tantum copulae incapax evadat.

Relative impotens est cuius penis crassior est quam ut parum amplae vaginae convenire queat.

Quid de viro qui vasectomiam passus sit;

73. — Virum qui *duplicem vasectomiam* passus sit plerique recentiores (2) castrato assimulant, nisi quod, pro facilitate vel difficultate reficiendi canalis, impotentiam temporalem vel perpetuam pronuntiabunt (3). Atque ita sane respondendum videtur secundum communem rationem qua decretum Sixti V de impotentia eunuchorum explicatur.

Spectando solum ius naturae, res non ita nobis constat, immo eam paulo aliter dirimendam esse putamus. Si, propter servatam

---

(1) Quae verba consulto adhibemus, quia, ut observat R. D. De Smet, *De sponsalibus* 4, etc. n. 551 nota 3, « impotentia ex hypospadia nonnumquam curatur sola mutatione situs in coeundo ». — (2) Cf. allegatos a R. D. De Smet op. c. 3, n. 550 nota, ubi defensores solius sterilitatis indicat Donovan (haesitanter), Labouré, R. P. Gemelli, O' Malley. Cf. quoque Ferreres S. I. *De vasectomia duplici*, etc. ubi erudite quaestionem versat, nimis tamen vim servatae secretionis internae praeteriens. — (3) Ac perspecta refectionis difficultate, R. D. De Smet, op. c. n. 276, p. 371, nota 1, vasectomiam ut causam perpetuae impotentiae recenset. Sed cf. n. 84.

secretionem internam, regularis appetitus venereus cum facultate copulationis permansurus videtur, virum istum, cum medicis, *sterilem* potius quam impotentem dixerimus (1). Si autem futurum sit ut testes inde, post aliquod tempus, debilitentur, et secretionis tum interioris tum exterioris incapaces reddantur, tunc quidem, sed tunc tantum effectum irreparabilis vasectomiae ad effectum castrationis aequiparabimus.

qui paresthesia sexuali laboret?

74. — Quid dicendum de viro qui, propter *paresthesiam sexualem*, mediis insolitis opus habeat ut excitari possit?

Si media ista in se honesta sint, vir non est impotens. Quod per se patere videtur, ac praeterea confirmatur allegatione SANCHEZ (2), qua tamquam certissimum tradit maximam copulae difficultatem ad impotentiam non sufficere. Antequam tale matrimonium consummatum sit, erit interdum causa cur dispensatio in rato non consummato matrimonio petatur.

Exempla in muliere.

75. — II. Impotens est *mulier* quae vagina caret, aut eam impenetrabilem defert, sive propter ostii defectum aut artitudinem, sive propter hymenis duritiem : qui posterior defectus satis facile sanatur.

Impotens etiam erit quae propter vaginismum penetrationem sufferre nequit.

III. — *Exempla sterilitatis.*

In viro

76. — I. *Vir* a nobis dicendus est sterilis, qui semen emittat destitutum spermatozoidis (*azoospermia*) sive testes morbo affecti sint, sive cum urethra communicare nequeant, vel cuius nemaspermata non vivunt (*necrospermia*) ob turbatam testium functionem vel aegritudinem vesiculae seminalis aut prostatae. Cf. ANTONELLI, t. 2, n. 650, qui in numeris sequentibus de causis disserit.

In muliere

2. *Mulier* sterilis erit quae nullum ovulum suppeditat, vel quae, propter vitium organi aut turbatas functiones, nullum coniunctioni ovuli et spermatis locum dat, vel cuius ovulum maturescere nequit. Varias causas numerat Dr. ANTONELLI (t. 2, n. 661-678), ubi etiam obser-

---

(1) Ceterum vir qui, integris testibus, semen profundit aspermaticum quia obturata gerit vasa deferentia, a pluribus hodie sterilis habetur. Quid ille differt ab eo qui vasectomiam passus est? —
(2) *De matrimonio*, l. 7, d. 92, n. 6.

vat causas sterilitatis longe frequentiores esse apud mulierem quam apud virum.

Utile consilium. N. B. Illud memorasse iuvabit, non ita raro fieri ut matrimonia infructuosa maneant propter quandam sterilitatis causam, quae satis facile a perito medico removeri potest. Utile itaque consilium dabitur coniugibus qui se liberis carere dolent, ut probum et navum medicum adeant.

§ 13. — *Quaestio de Matrimonii consummatione.*

Quaestionis opportunitas 77. — Conexio et momentum argumenti nos hortantur ut quaestioni de impotentia et sterilitate quaestionem de **consummatione** matrimonii subnectamus.

Receptum principium. A recepta in scholis catholicis formula proficiscimur, dum dicimus : Matrimonium consummatur ex quo ambo coniuges *facti sunt una caro*, secundum illud *Genesis*, 2, 24, inculcatum etiam in 1ª ep. ad Corinthios 6, 16 : « Erunt duo in carne una ». — Porro iam antiquitus, recepta sententia, ut probat commentarium c. 1. Gen. diu ascriptum S. Thomae, tum ratione carnalis mixtionis tum ratione prolis coniuges una caro fieri possunt. Itaque :

Consummatio perfectissima 78. — 1. Cum post copulam ordinariam nemasperma ovulum femineum penetravit, matrimonium plenissime consummatum est. Tunc enim, non solum in actu coniugali sed etiam in nova carne ex ipsis composita, coniuges facti sunt una caro. Strictissime habetur *seminum commixtio* quam antiqui postulare videntur (1).

Praeterea concepta proles apprime explicat cur matrimonium sic consummatum perfecte indissolubile evadat.

Nemo tamen utrumque istud : copulam et conceptionem ad consummationem simul exigit (2). Ac nimiam fore istam exigentiam ipsis consectariis demonstratur. Tunc enim non a copulae sed ab incerta conceptionis hora matrimonium consummaretur ; qui mulierem gravidam duxerit non posset, ante partum, matrimonium consummare ; steriles matrimonium numquam consummarent.

---

(1) Cf. Bucceroni, *Institutiones theol. mor.* in fine t. 4. — — (2) Id tamen exigi videtur in *Eccl. Rev.* 1919, p. 246-247.

2. Quae duo posteriora consectaria ostendunt etiam non sufficere ut istius exigentiae severitas temperetur *praesumptione* qua copula rite facta praesumatur fecunda. Praesumptio enim nec cum uxore quae gravida ducitur, nec inter steriles valere potest.

Undenam oritur perfectior matrimonii indissolubilitas ?

79. — Verum simul docemur absolutam matrimonii consummati indissolubilitatem aliunde quam ex prole formaliter repetendam esse. Undenam ? Ex completa per actum coniugalem corporum traditione, fere sicut olim, in iure romano, translatio dominii non sola pactione sed traditione vera seu symbolica perficiebatur. Post actum coniugalem, res iam integra non est : maritus corpore uxoris usus est, ac non tantum aliquid suum in ea deposuit sed cum ipsa communicavit mysteriosa ista communicatione qua ex relationibus coniugalibus physica quaedam assimulatio uxoris ad virum procurátur (1).

Sententia Sanchez.

80. — Ex parte quasi opposita, SANCHEZ (2) tamquam indubitatum profert ad consummationem matrimonii requiri et sufficere, « si virile semen quacumque arte, vel matrice feminea illud attrahente in vas femineum subintret ». Secundum istam sententiam, nulla copula requiritur: artificialis, prodigiosa, miraculosa introductio seminis mariti in vas uxoris matrimonium consummat. SANCHEZ bene multos auctores citat pro hac sententia, quae nobis arridet, quia simplex est, et cohaeret cum modo data ratione firmioris indissolubilitatis. Receptum enim semen virile infert illum usum corporis uxoris, illam communicationem substantiae mariti cum eius uxore.

Hodie tamen, nescio an nullos patronos habeat.

Sententia Lehmkuhl.

81. — 4. Consummationem quam, aetate SANCHEZ in receptione seminis virilis ponebant, LEHMKUHL (3) ponit in *conceptione*, saltem partialiter, quatenus « si facta fue-

---

(1) Cf. in opere *L'Honnêteté conjugale*, dissertationem D.ris *Desplats*, positam inter pastoralem epistolam Em. Card. MERCIER, et lucubrationem nostram, *La peur de l'enfant dans les classes dirigeantes*. Opus italice prodiit Taurini, sub titulo *Matrimonio e Maltusianismo*. Saggio religioso-medico-morale, unica traduzione per l'avv. FEDERICO MARCONSINI, — (2) *De matrimonio*, l. 7, d. 64, n. 15. — (3) *Theol. mor.* t. 2, n. 998. Id etiam probatur WERNZ, T. 4, n. 432, nota 51.

rit conceptio, utcumque aliquid defuisse dicatur in ipso actu coniunctionis viri et mulieris », matrimonium pro consummato habet: « nam revera facti sunt una caro, cum ex carne viri et mulieris proles concipiatur ». Ipse tamen alterum consummationis modum, per copulam, simul admittit.

Sententia pluriurn hodie.

82. — 5. Ad *copulam* se convertentes, quotquot mulierem sine ovariis inhabilem ad matrimonium aestimant, ut matrimonium consummetur copulam ita peractam requirunt ut concursus seminis virilis cum ovulo, inspecta utriusque personae constitutione, haberi possit. Isti, itaque, etsi copulam exigant, formaliter attendunt ad prolem, non quidem actu conceptam sed possibilem. « Coniuges, maritali copula, fiunt *una caro* non *actualiter in prole*, sed *potentialiter relate ad prolem* (1) ».

Opinionem istam probare non possumus, tum quia generalis possibilitas conceptionis ad *praesentem* consummationem nihil efficit; tum quia nullam rationem affert cur inde matrimonium magis indissolubile fiat; tum quia eius patroni logice negare deberent matrimonium consummari per copulas quae necessario steriles praevidentur. Quid enim natura vel perpetuitas obstaculi referat, cum Em. C. Gasparri (2), non videre fatemur.

Sententia hodierna aliorum.

83. — 6. Alii ergo bene multi hodie necessariam at sufficientem praedicant copulam perfectam, i. e. cum effusione *veri seminis* in naturali feminae vase peractam. Copulam exigunt, quia est actus ad quem matrimonium ordinatur; ista copula contenti sunt, quia « commixtio seminum vel sanguinum apud antiquos scriptores est copula matrimonialis (3) ».

Seminum enim commixtio, ab antiquis postulata, non supponebat in muliere nisi istud pseudo semen quod, cum generationi necessarium non sit et nullatenus cum viro communicetur, revera ad causam parum refert: plures antiqui iam non requirebant istam mulieris seminationem nisi quatenus essentialis foret. Praeterea, ex S. Thoma (4),

(1) Bucceroni, *Inst. theol. mor.* t. 4, p. 496. — (2) *De matrimonio*, n. 777. — (3) C. Gasparri, ibidem, n. 570. — (4) In 1 ad Cor. c. 6, v. 16.

clare habemus coniuges per solam commixtionem carnalem, sine prolis respectu, fieri unam carnem. « *Erunt duo*, scilicet vir et mulier, *in carne una*, idest per mixtionem carnalem una caro efficiuntur et sic membra uniùs fiunt membra alterius. Ex duobus fit unum in actu generationis ». Cfr. n. 13.

Quaestio de eunuchis,

84. — Fere omnes ab *eunuchis verum semen* abiudicant, ideoque negant per copulam ab eunuchis factam matrimonium consummari. Quod nos quoque negamus (saltem quando de iis eunuchis agitur qui non recens mutilati sunt, cum adulti recens mutilati copulae fecundae non sint incapaces), sed propter rationem paulo diversam, quia testibus orbati privantur etiam secretione interna qua energia copulandi cum effusione alitur, ita ut copula satiativa prius et dein ipsa copulae facultate destituantur. Quare etiam, quamvis honorem debitum communi sententiae deferamus, dubitamus de conclusione qua adulti qui *vasectomiam* passi sunt actu impotentes habentur. Ipsi enim, cum secretionem internam servent (nisi, quod nondum constat, haec latenter perire debeat), vires viriles plene servant. Semen quidem effundunt sine nemaspermatibus. Sed suntne nemaspermata essentialia consummationi sicut sunt fecundationi? Id ambigi potest. Ratio supra data maioris firmitatis matrimonii consummati, omnis prolis vel fecundationis consideratione soluta est. Praeterea plures admittunt matrimonium consummari ab iis qui testes quidem habent, sed nemaspermata mortua, proin inutilia eiciunt, vel qui liquorem aspermaticum emittunt (cui ergo testes fere nihil contribuunt); immo steriles tantum ac proin consummationis capaces, communiter (ipse Dr. Antonelli) (1) habent eos qui vas deferens obturatum gerunt, ita ut communicatio cum urethra sit suppressa. Quid isti differunt ab iis qui vas sectione interrumptum ferunt (2)? Haec sapientum iudicio, qui causam obiective examinare velint, subicimus.

de illo qui vasectomiam passus sit,

de fecundato artificialiter.

85. — Age porro, cum praeter semen verum, copulam quoque postulent, dicunt « absque haesitatione... fecundationem artificialem proprie dictam (seu sine ulla copula) non consummare matrimonium etsi proles inde sequatur (3) ».

---

(1) *Medicina pastoralis*, t. 2, n. 650. — (2) Confirmatur auctoritate egregii chirurgi professoris Lovaniensis, qui cum nobis dissertationem de vasectomia benigne scripsisset, sponte concludebat, sectione ista quae internam sectionem non impediebat, sterilitatem non autem impotentiam induci. — (3) C. Gasparri, op. c. II, 1302.

De seminatione ad ostium.

86. — De semine quod maritus tantum ad vaginae orificium apponeret, et intus susciperetur ita ut etiam proles nasci posset, immo nasceretur, magis dubitatur. Em. C. GASPARRI consummationem negat. Sed si, deficiente alius modi copia, huius modi congressus coniugibus permittatur, ratio copulae satis servari nobis videtur ut, dicendo secundum istam sententiam, consummationem matrimonii admiserimus.

Conclusio.

87. — Post propositas et aliquantum libratas sententias, si quid ipsi sentiamus addendum sit, in partes quas SANCHEZ cum plerisque suae aetatis tuebatur valde inclinamus, ut consummatum matrimonium dicamus quotiescumque verum semen mariti ab uxore intus susceptum sit. Sententia ista plana est; perfecte quadrat ad rationem cur matrimonium consummatum sit prorsus indissolubile. Quod autem ipsa membri virilis introductio separata ab effusione, aliquid ad maiorem matrimonii firmitatem afferat non perspicimus, ac proin effusione sine copula (1) ad praesentem effectum contenti sumus.

§ 14. — *De remedio fecundationis artificialis.*

Fecundationis artificialis ratio et varius modus.

88. — *De fecundationis artificialis remedio.* Artificiosa introductio seminis virilis in vaginam mulieris prolem coniugibus sterilibus aut impotentibus, in paucis casibus afferre potuit. Ferunt vel sextam tentaminum partem, vel 21 ex 65 tentatis physice bene successisse.

Variis porro modis exercetur. *a*) Semen ex masturbatione collectum, in profundum vaginae usque ad collum uteri in pluribus saccis immittitur. — *b*) Vir coit mediante « condom »; semen sic emissum in parvum symphunculum vitreum, antea calefactum, colligit et vel ipse, vel medicus subinde in cavitatem uteri introducit. — *c*) Facta copulatione normali, semen, ope metallici instrumenti colligitur, et profundius usque ad uteri cavitatem introducitur. — *d*) Sine ulla copulatione, nemaspermata ex interiore testium tunica (epididymo) extrahuntur, ac dein in uxoris vaginam et uterum immittuntur.

De morali huius fecundationis aestimatione postea agetur. Hactenus de physiologico rei respectu.

(1) Sed, ubi copula defuerit, seminis intussusceptio probanda erit, non praesumetur.

PARS PRIOR

DOCTRINALIS, APOLOGETICA ET PEDAGOGICA

89. — **Ratio ordinis.** Ratione non ab ea dissimili qua in scholis iuris doctrinam et iurisprudentiam distinguere solent: *doctrinam*, inquam, quae in scientifica legum expositione versatur, additis principiis et finibus, et *iurisprudentiam*, quae rectam factorum humanorum secundum leges aestimationem proponit, moralem nostram tractationem in binas partes divisimus, quarum priorem *doctrinalem, apologeticam* et *paedagogicam*, alteram *casuisticam* appellavimus. *Divisio totius argumenti.*

Prior pars, qua *doctrinalis*, regulas exponit quae praestituendae sunt naturali isti appetitui sexuali quem iam anthropologetice cognovimus; laudabiles vel necessarios fines indicat ad quos sive usus, sive moderatio, sive etiam coercitio istius appetitus dirigi possit; i. e. in summa, virtutem castitatis, eius naturam, praestantiam et officia secundum diversam hominum condicionem explorat.

Qua *apologetica*, morales Ecclesiae catholicae regulas tuetur et vindicat.

Qua *pedagogica*, addit *consilia* quibus ad fines istos certius, facilius, plenius perveniatur; seu de modo quo virtus castitatis colenda, perficienda, restituenda sit, sollicitam se demonstrat.

Quocirca in binas sectiones distribuitur, quarum altera *de bono* seu *virtute castitatis* altera de *castitatis cultura*, secundum varios status et personarum condiciones agit.

[88-89.]

In parte vero *casuistica*, a finalibus agendi rationibus magis abstrahentes, ad licitum et illicitum definiendum, ad variam peccatorum gravitatem perpendendam nos magis convertimus. Declarationes istae ad prudentem mentis informationem utiles sunt atque a iudice paenitentiali neglegi non possunt ; sed homini inadaequatam tantum agendi normam praestant, suasionibus prioris partis perficiendam, ut vocatione christiana dignus efficiatur.

Priore parte, confessarius in sustinenda *doctoris* et *medici* persona potissimum iuvabitur ; altera, ad *iudicis* munus rite exercendum instruatur. Quamquam binae partes non ita separari potuerunt ut posterior nihil doctrinale proponendum haberet, cum intrinseca ratio responsionum danda sit, ac praecipue cum de intrinseca et gravi luxuriae malitia ibi disputandum sit; et de modo fructuose versandi istud argumentum in tribunali paenitentiae solliciti esse debeamus.

SECTIO PRIOR

De virtute castitatis

CAPUT. I. — Virtutis castitatis consideratio generalis.

Divisio capitis

90. — Distributio rei in tres articulos. — Quamvis in ordine supernaturali versemur, et proprie dicta virtus naturalis (1) nulla sit, iuvat tamen investigare quid ipsa ratio de castitate nos doceat, seu quaenam virtus naturalis existere potuerit ac, latiore vocis *virtutis* usu (2), exsistat. Quare id primo statuemus. Quid dein, in praesenti ordine, castitati ex fide christiana accesserit excellentiae et subsidiorum, in altero articulo demonstrabimus. Sunt autem nunc non ita pauci homines, etiam exculti, qui, culpa vel etiam ignorantia sua a fide christiana alieni,

(1) Virtus *naturalis*, i. e. quae solis naturae viribus acquiratur et exerceatur. Vires istae naturalem tantum homini bonitatem conferre possunt, quae, in praesenti hominis elevati condicione, ad recte vivendum non sufficit. — (2) Virtus latiore usu appellatur inclinatio quae, in ordine naturali, virtutem efficeret.

societatem paganam sub oculis nostris quasi restaurare tentant. Ut ergo plenior tractatio sit, eorum de castitate placita in tertio articulo referemus. Ac simili ratione materiam in aliis capitibus disponemus.

Articulus I. — Castitatis aestimatio rationalis.

Specialis esse virtus castitas demonstratur, eiusque notio traditur.

91. — Virtutis castitatis demonstratio. Itaque, in hoc articulo, agimus de castitatis ratione ac munere qualia, in praesenti generis humani condicione, oculis rationis perspiciuntur.

Ratio porro nos docet esse virtutem castitatis quae definiri potest: *Virtus moralis, species temperantiae, et perfectio appetitus concupiscibilis, quae ad honestatem inclinat moderandi appetitum delectationum venerearum.*

Etenim, sicut ratio docet et S. Thomas nobis confirmat, ubicumque specialis ratio moderandae delectationis deprehendatur, virtus moderans opportuna et necessaria esse probatur: quae virtus temperantiae subiecta erit, cum provincia moderandi concupiscentias cardinali virtuti temperantiae obtigerit.

Usum autem venereorum *delectatio* eaque vehementissima per se comitatur.

Delectatio specialis est. Iam enim directa observatione constat, ut vidimus n. 22, delectationem istam etiam a sensu tactus, qui magis affinis est, discrepare et ad sensibilitatem minus exteriorem pertinere. Praeterea, cum delectationes sint operationum perfectiones (1), venerea delectatio ex ipsa peculiari operatione cui coniungitur specialis esse probatur.

Vehementia autem ceteras sensibiles delectationes superat, ac sola est quae aliquam satiativam beatitudinem promittere videtur.

Et quia appetitus venereus non est rei arduae, ad concupiscibilem non autem ad irascibilem refertur. Quare virtus moderatrix seu castitas in eodem appetitu sedem habet, ut illum perficiat; ac sub temperantia ponenda est.

(1) S. Thomae, I. 2, q. 4 art. 2.

Quid castitas regat.

92. — **Castitatis ambitus.** Castitas appetitum venereum immediate et per se regit. Quia tamen, ut vidimus n. 17, alii sensus (excepto gustu) ad delectationem veneream excitandam concurrunt, castitas, sub suo proprio respectu, etiam usum oculorum, aurium, olfactus et tactus regit. Immo, quia qualitas et quantitas cibi vel potus in sexualem libidinem non modice influunt, abstinentias quasdam cibi vel potus vel etiam usum quendam (1) castitas ex suo motivo imperabit.

Continentiae notio.

93. — **Castitas et continentia.** Acquisita virtus, ex ipsa sua definitione (2), facilitatem bene agendi confert. Plerique tamen, etiam eorum qui integris moribus praediti sunt, cum naturali propensione ad luxuriam luctari debent. Quare, stricte loquendo, cum difficultas perseveret, acquisitam castitatis virtutem adepti non sunt. Hi vero, si habitualem firmam dispositionem resistendi motibus concupiscentiae in voluntate servant, *continentiam* possidere dicuntur.

Duplex continentia.

Est ergo continentia, *perseverans in difficultate interiore voluntas castitatis*. Ad castitatem tamquam inchoatio quaedam eius et praeparatio, habitudo ista refertur. A Philosopho (3), propter deficiens imperium in sensus, virtus *mixta* appellatur.

Speciali autem *continentiae* nomine designatur studium castitatis *perfectae*, seu quae pleniorem resistentiae laudem assequitur, cum omni delectationi carnali, etiam quae matrimonio honestatur, valedicat.

Castitatis decor.

94. — **Castitátis pulchritudo.** Tum *ordo* quem sic intellecta castitatis virtus in homine constituit, tum nobilitas *imperii* quo ratio vehementissimae passioni satis dominatur ut numquam, saltem contra rationem, delectationi venereae se submittat, castitatem istam iam duplici venustate decorant. Cum enim ipso naturali lumine pespectum nobis sit ad nostram dignitatem pertinere ut ratione non vero passione ducamur ac regamur, nullam carnis rebellionem moraliter indifferentem existimare possumus, sed in ea defectum ordinis moralis, quamvis inculpatum, confiteri et ir pugnare debemus. Ac pulchra in ordine morali nobis apparent pro-

---

(1) Nimia enim corporis debilitatio fomes tentationum evadere potest. — (2) Habitus dicit inclinationem. — (3) L. 4 Ethic. ultim.

positum et studium quibus libera voluntas defectum istum corrigere conatur.

Quare etiam ab iis qui, a fide alieni, sensum tamen honestatis conservant, imperium huius modi tamquam fructus humani cultus celebratur. « La civitisation, ait Féré (1), a pour effet général de soumettre les instincts à la volonté ».

Articulus II. — Castitatis aestimatio christiana

Quotuplici beneficiorum genere Christus castitatem affecit.

95. — Generalis rei conspectus. Inter ipsas paganismi tenebras non omnis honor castitati et virginitati negatus est ; et ex ethnicis religionis studiosis fuere qui castae vitae non modo laudatores sed etiam sectatores fuerint. Nihilominus, homines sibi permissi ad tantam corruptionem se abiecerunt, rursus autem Christus tanto praesidio et tanta gratia castitatem praemunivit et decoravit, ut ante et extra fidem catholicam adumbrationes tantum castitatis fuisse et esse dicendae sint.

Sicut itaque usus perfectae castitatis sine gratiae christianae subsidio homini impervius demonstratur, ita perfectus etiam castitatis intellectus frustra sine christianae revelationis lumine quaeritur.

Beneficia porro quae Christus causae castitatis seu moribus humanis sua revelatione attulit ad duplex genus ascribi possunt. Alia enim universaliorem, pleniorem et firmiorem naturalium castitatis officiorum cognitionem suppeditant, alia vero, quae intellectum et voluntatem afficiunt, simul cum documentis quae rationi naturali impervia sunt, supernaturalia incitamenta continent quibus cultus omnis castitatis planior efficitur.

Quid praestitit castitati ut supplens cognitionem naturalem,

96. — De naturalis castitatis illustratione. Moralis impotentia qua homo, sibi permissus, laborat assequendi etiam legem naturalem, in ista re salebrosa praesertim perspicitur.

Facta revelatione, sanus quidem mentis oculus praecepta et consilia morum qualia a religione catholica proponuntur vera ac laudabilia esse quasi intuetur. Saepe

(1) *L'instinct sexuel*,, p. 24.

tamen superest difficultas inveniendi aut etiam capiendi strictum ratiocinium quo eadem vera esse dialectice efficitur.

in commodum fidelium,

Revelationis itaque beneficio fit: *a*) Ut fideles, etiam parum docti, leges naturalis honestatis morum quales Ecclesia proponit, addiscant, et, anima sua naturaliter christiana, seu sano mentis oculo, incunctanter easdem approbent. Ac mundus religioni christianae id acceptum referre debuit, ut societas humana exsisteret quae completam salutaris puritatis doctrinam aperte profiteretur et sanciret. Si, magis barbara medii aevi aetate, peccata multa commissa sunt, ac scelera etiam enormia apparuere, a rectis tamen principiis recessum non est; atque in iis certa spes emendationis in melius et continui progressus servabatur.

in commodum omnium.

b) Ut eiusdem societatis christianae beneficio, etiam plures acatholici, ii saltem qui sensum honestatis non abdicarunt et de humana dignitate solliciti sunt, recta morum principia teneant et tueantur, atque in universo orbe quaedam morum severitas invalescat, quam excultus mundus paganus ignorabat.

Undenam quorundam scepticismus.

Rursus tamen, propter difficultatem et subtilitatem ratiociniorum, fit etiam ut alii, magis a christiana religione aversi, rudes saepe in philosophia et tetro seu « pessimistico » scepticismo addicti, sanctas morum leges dubias et vanas dicere incipiant, easque tamquam inania commenta vel sacerdotum inventa aut arbitrarias pactiones, posthabere et dedignari.

Quid Christus praestitit castitati ut auctor fidei supernaturalis,

97. — De adiumentis allatis per fidem supernaturalem. Adiumenta quae fides christiana, quatenus supernaturalis est, castitatis honori et cultui affert, sic paucis exhiberi posse putamus.

Fides christiana castitatis praesentiam illustrat et cultum promovet:

praedicatione inviolatae sanctitatis obligationis moralis,

1. Sua *explicatione oeconomiae praesentis*. Ipsa ratione cognoscitur principalis ista omnis humanae actionis lex, qua satisfactio officio, iucunditas vel commoditas vel utilitas omnis honestati subordinatur et servire debet. Haec tamen officii sanctitas necessitatem inducit non levium immolationum seu sacrificiorum, propter quae laboriosa

est eius observatio, atque a nostra sensualitate nimii rigoris insimulatur. Immo, crescente hominum audacia, moderna epicureismi schola diversum ex toto fundamentum actionum humanum astruere coepit, dum ius ad praesentem felicitatem celebrat et nihil inviolatum esse sinit ut ius istud exerceri queat. « Media enim, sic isti practice saltem sentiunt, fine honestantur ; ultra autem hodie possibilem felicitatem nullus finis iam nisi chimaericus assignari potest ». Quam bene itaque de genere humano meretur Ecclesia catholica, dum absolutam omnis officii necessitatem omnibus praedicat et inculcat ! Sed simul, quo efficacior sit eius praedicatio, in praesentis vitae ratione, ubi ordo quo felicitas virtuti coniungitur initium quidem habet, multas tamen apparentes aut veras exceptiones per accidens patitur, stadium quoddam ostendit probationis, quod magnificentior ordinis restitutio, hodiernis perturbationibus praeparata, excipiet. Nec fides christiana satis habet ut oeconomiam istam iustam ac rationabilem sic proponat, sed ad illam peramanter amplectendam exemplo passionis et crucis Christi nos efficaciter impellit.

revelata nostra dignitate

2. Dignitate qua christiana fides *genus humanum. communitatem christianam, corpus* fidelis aucta demonstrat.

a) Etenim, per mysterium incarnationis, quo fratres, Christi et filii Dei effecti sumus, *genus humanum*, in quo puritas colenda est, ineffabili honore affectum est : summa ista nobilitas nobilem agendi rationem postulat ac suadet. Dum ergo adoptionem *nostram* praedicat, fides catholica curam castitatis inculcat.

b) Secundum fidem catholicam, convenimus in sanctam unitatem communitatis, ad cuius famam et honorem interest ut sanctos mores habeamus. Quare Apostolus, scandalum indigne ferens, dolebat: « Omnino auditur fornicatio *inter vos* », 1 ep. ad Cor. 5, 1.

c) *Corpus*, quod remotum est castitatis obiectum, fides catholica sanctum esse ostendit, quatenus corpora nostra membra sunt Christi (1), et templum Spiritus sancti (2), qui pretio magno (3) sanguinis Christi nos emit, ita ut

(1) 1 ep. ad Cor. 6, 15. — (2) 1 ad Cor. 6, 19. — (3) 1 ad Cor. 6, 20.

iam non simus nostri (4), sed modo qui gloriam Deo afferat Deum in corpore nostro portare debeamus. (Cf. 1 ep. ad Cor. 6, 20.)

In his verbis, quorum accurata significatio plerosque fideles fugere facile potest, id tamen omnes sentimus, quod ad movendum efficacissimum est: corpus sancte, ratione quae Deo digna sit, tractandum esse, utpote quod sit aliquid Christi, aliquid quod Deo sanguine Christi acquisitum est. Ad intentum nostrum id notasse satis est.

Brevis autem haec ratio dictorum S. Pauli reddi potest. Membra Christi sumus, quia Christus nos totos, ac proin etiam corpus nostrum sua vita perfundit, in nobis quasi instrumentum actionis suae reperit, sociosque gloriae suae nos efficit. Ob vitam istam et gloriae divinae participationem, sumus etiam, praesertim postquam glorificationem adepti erimus, sub alio respectu, templum Dei.

Quo maior autem est corporis dignitas, eo magis necessitas ipsum reverenter tractandi augetur.

Quid, quod corpus et animam Christi sacramentaliter participamus ; quod, quotiescumque sacra dape reficimur, titulus vitae aeternae, incorruptae, in nobis ponitur? Gloriosa ista immunitas a corruptione maiorem labis moralis fugam atque fortius odium nobis ingenerare debet.

Ad hunc necessarium corporis nostri honorem, accedit. etiam, quo magis ad corpus sancte tractandum moveamur, ius Deo per sanguinem Christi acquisitum : qui vitam non habemus nisi redemptam, iam nostri iuris esse non possumus, sed a Deo legitime possidemur. Ac dum possessionem istam Spiritui sancto addicit, videtur S. Paulus ipso nomine Personae divinae cui eam appropriat necessitatem sanctitatis magis efferre.

additis motivis colendae castitatis

3. *Motivis* quae fides catholica *ex historia* et *propositis imitationibus* ad colendam et diligendam castitatem nobis depromit.

a) Historicis fidei documentis novimus insolentiam carnis post peccatum coepisse, et primis Dei consiliis de nobis adversari; quare illam tamquam voluntati Dei contrariam abhorrere debemus.

Teste praeterea S. Scriptura, peccatum originale car-

(1) 1 ad Cor. 6, 19.

nis rebellione manifestatum est, et tam intimo nexu ambae rationes coniunguntur, ut non nulli Patres in ipsa concupiscentia quasi essentiam, vel saltem materialem essentiae partem, peccati originalis constituisse visi sint. Quod si, in rebellione ista permanens velut signum et symbolum cladis et peccati gerimus, in domanda carne speciale symbolum victoriae et iustitiae quaerere et amare possumus. Inde gloria, inde decus.

b) Fides catholica castitatem perfectam in imitationem angelorum et B. Virginis ; castitatem coniugalem in imitationem fidelitatis mutuae Christi et Ecclesiae dirigit. (De his cf. etiam infra.)

subiectivo gratiae auxilio.

4. *Subiective, subsidio gratiae supernaturalis.* In explendis castitatis officiis et in omni castitatis laude assequenda, gratiam supernaturalem nobis adesse fide catholica docemur. Vis autem istius subsidii non tantum immediate, secundum propriam rationem, se exserit, sed praeterea etiam naturaliter nos adiuvat, quatenus maiorem potentiae persuasionem nobis indit. Re autem vera, teste experientia, magis possumus quod posse arbitramur. « Possunt, quia posse videntur », canebat iam VIRGILIUS.

Omni itaque ratione, fides catholica novum virtuti castitatis splendorem confert, hominibus autem, ut virtutem sic excellentiorem factam exerceant, animum et vires addit.

Fidei catholicae obicitur quidam feminae despectus.

98. — Reprehensio tamen ista in catholicum castitatis cultum incurrit, quod femineum sexum nimis contempserit. Atque locos quosdam adversarii allegant probatorum scriptorum ecclesiasticorum, quos mulieres ingrata tantum aure audire possent ; nec desunt, qui parum erudite, calumniam adhuc repetunt, quasi Ecclesia, in altero concilio Matisconensi (Mâcon, a. 585) de humana feminae anima dubitaverit.

Responsio de duris verbis

Verba ista dura occurrere negandum non est, sed adiunctis explicanda sunt vel scribentis, qui condicione sua separatim ab omni muliebri conversatione vitam agere debebat, vel auditorum seu lectorum, quos a periculosis occasionibus adeundis avertere oportebat. Vera autem et genuina Ecclesiae traditio, ad quam potius attendendum est quam ad verba singulorum scriptorum qui, quamvis

sancti essent, ab omni errore sermonis immunes non erant, vera, inquam, traditio, habetur in cultu Beatae MARIAE Virginis, in laudibus virginum, in locis quibus Apostolus virum et uxorem, quod ad mutuam corporis possessionem, paris iuris fecit (1), et viris commendavit ut uxores diligerent sicut CHRISTUS Ecclesiam dilexit (2).

Quocirca aequus iudex Ecclesiam laudat quod honorem et dignitatem muliebris sexus vindicaverit et restituerit. Satis ceterum est considerare quo loco fuerint mulieres in paganismo, quo loco sint in societatibus non christianis, ut intellegas quam bene Ecclesia de femineo sexu merita sit.

dubitatione circa feminae animam.

Ad convellendam calumniam cui concilium Matisconense locum dedit, satis est ipsa referre verba GREGORII Turonensis quibus ansa calumniandi data est. « Exstitit etiam in hac synodo quidam ex episcopis qui dicebat mulierem *hominem* non posse *vocitari*. Sed tamen ab episcopis ratione accepta, quievit... D. N. I. C. ob hoc vocitatur filius hominis quod sit filius virginis, id est, mulieris (3). » Agebatur itaque, non de re, sed de solo usu vocis *hominis*, de qua unus aliquis dubitabat utrum necne ad utrumque sexum aptaretur.

ARTICULUS III. — CASTITATIS AESTIMATIO NEOPAGANA.

Argumentum circumscribitur

99. — De iis hoc loco non loquimur qui, exercenda libidine contenti, depravatos suos mores nullo colore honestare conantur et in omne turpitudinis genus ruunt, — tales enim, cum principiorum professione abstineat, nulli scholae tribui possunt, — sed de iis qui, cum existiment aevum christianum ad finem vergere, ita ut catholicam fidem non minus quam aliam quamlibet christianam pro-

---

(1) 1 ep. ad Cor. 7, 4. — (2) Ep. ad Ephes. 5, 25, 38; ad Coloss. 3, 19. — (3) *Mon. Germ. hist. Scriptorum rerum Merov.* T 1. S. Greg. Hist. 8, 5, 20.

fessionem letali languore affectam credant, se novae aetatis apostolos et adiutores fingunt.

Porro homines isti in duo genera cogi possunt. Alii, *naturalismi* nomine, systema venustae cuiusdam libidinis instaurare cogitant, dum alii *morum honestatem* practice tueri volunt.

Placita Naturalismi exponuntur,

100. — De Naturalismo. Naturalismi sectatores, dogma peccati originalis non tantum negantes sed irridentes, naturam humanam ita bonam esse contendunt, ut congruenter naturae vivere summam sapientiam et moralitatis apicem praedicent.

Congruenter autem naturae vivere ipsis non est vitae rationali cetera subordinare, inferiores appetitus ratione domare, sed omni naturali inclinationi suam satisfactionem procurare. Ut ipsi sentiunt, nullus actus appetitus sexualis roborem cuipiam inicere debet, cum appetitus iste non minus honestus sit quam quilibet cibi appetitus vel quaelibet alia naturalis propensio. Cum varie vehemens in variis personis exsistat, hoc tantum cavendum esse, ne illum artificiose augeamus. Eum autem qui naturalem suum appetitum sequatur, non magis quam qui comedendo famem sedet corripiendum esse, dummodo ne modos turpiores studiosa lascivia quaerat. Concubitum solutae cum soluto honestiorem esse posse quam concubitum inter coniuges, si magis sincero amore factus fuerit. Vitandam tamen prolem esse, nisi concumbentes eam alere voluerint. Quare etiam omnem ascetismum ex altiore ratione quam ex valetudine et natura quaesitum acriter reprobandum esse. Non enim tristandum esse hic in terris, sed praesentis vitae gaudia carpenda esse. « Ce n'est pas l'évangile de la chair, dans la plus basse acception du terme, c'est le culte de la joie de vivre, de la santé et de la beauté, qui donne satisfaction au besoin esthétique de l'homme » (1).

Qua in re plures formali paganismi desiderio tenentur. Sic Theophile Gautier, in opere *M.lle de Maupin*, et Pierre Louys, in praefatione operis *Aphrodite* (2).

---

(1) Nystroem, *La vie sexuelle et ses lois*, p. 84. — (2) Superfluum est monere opera ista romanensia in pravis ponenda esse.

Aliquem tamen conatum ad moderandum appetitum ipsi (num consequenter?) ex motivo humano suadent, ut satisfactio in aetatem maturiorem differatur, nisi tamen nimia vis appetitus obsistat. Continentiam autem a bene multis servari posse ipsi frequenter negant (1); atque historia monachorum abutentes, eorum austeritates et molimina inutilia contra amorem fuisse contendunt.

Inter « naturalismi » sectatores, insignes sunt auctores fabularum amatoriarum, et plures medici increduli (2); nec in isto depravationis furore, septemtrionales partes calidioribus cedunt. Audacia autem mulieres viros vincunt, immo innuptae, ita ut acatholicus medicus et professor Seved Ribbing rem sic indignatus notet: « Quae feminae modo scribunt, in hoc hilare laetantur, quod sibi et consororibus suis vestes in omnium conspectu detrahant, et res sexuales maxime intimas digito crasse indicent (3) ».

revineuntur

Cum huiusmodi hominibus parum de peccato originali loquendum est, quia ratione naturali demonstrari non potest. Sed convincendi sunt quod plurimum peccent contra naturam humanam cuius se studiosos profitentur. Et re quidem vera: *a*) Naturam *compositam* nostram praetereunt: haec luctam necessariam demonstrat ad frenandas concupiscentias, quae quidem non sunt malae sed caecae, ac proin oculis alienis, id est superioris rationis ducendae sunt. Ipsa conscientia, satisfactione quam inde experimur, convenientiam istius belli sponte testatur. — *b*) Naturae *socialis* nostrae obliti, non advertunt alios appetitus naturales in bonum singulorum, alios vero in bonum generis humani immediate datos esse, ita ut naturam offendat et violet qui actionem contrariam fini isti opponat. — *c*) Naturae *progressivae* incuriosi, non observant esse in ho-

---

(1) Nomine abb. Dolonne, perfidum opus scriptum est: *Le clergé contemporain et le célibat*, Paris, Michaud, s. d. quod idem contendit. — (2) V. g. Forel in Helvetia, et Nystroem, in Suecia. — (3) Apud Moll, *Handbuch*, etc. p. 950. His verbis germanicis res scribitur: « *Und namentlich die Schrifitstellerinnen, haben nun ihre helle Freude daran, vor aller Welt sich und ihren Mitschwestern die Kleider herabzureissen und in brutaler Weise auf die intimsten Vorgänge des Genitale mit Fingern hinzuweisen* ».

mine appetitum quempiam vitae « idealis », ut dicitur, idest talis vitae in qua nobiliores facultates alias paene elidant, et homines ipsi, sibi superiores effecti, exemplis suis nimiam aliorum abiectionem compensent, ac genus humanum universum a nimia corruptione praeservent. Contra vero, simultanea quam praedicant variarum potentiarum satisfactione, detractores continentiae nihil ultra mediocritatem sperandum esse sinunt, nihilque offerunt quo ignobilia plurium studia redimantur. — *d*) *Dignitatem mentis humanae* contemnentes, de coniunctione sexuali carnem tantum non autem animum interrogant; *e*) *Psychologiam* humanam non considerantes, vim neglegunt quam in appetitum sexualem commovendum et acuendum phantasia et suggestiones habent. Dum ergo impossibilem praedicant continentiam, eam multis reapse reddunt impossibilem; dum naturalem famem satiandam esse dicunt, artificialem ita excitant ut in pluribus ad satyrisiasim pervenire debeat.

Difficultatibus satisfit quibus impetunt ascetismum

101. — Quid autem de rationibus quibus catholica placita convellere student?

1. Ascetismum calumniantur quasi in tristitia fundetur. Vera enim ascetismi lex et studium huc spectant, ut maius et plenius hominis bonum in locum minoris et angustioris seu magis partialis substituat. Atque istud etiam est secundum naturam humanam, ut ex rationabili immolatione et abnegatione homo, non solum in vita futura, sed iam in praesenti principium maioris beatitudinis hauriat.

paenitentias

2. Ieiunia et ceterae paenitentiae, sic pergunt, monachos nec a tentationibus nec a magna morum corruptione liberare potuerunt: ipsi testes sunt quam frustra contra amorem homo luctetur.

R. Distinctione aliqua hic opus est. Quod ad *tentationes*, quamvis moderatae paenitentiae ad eas superandas et praevertendas non parum prodesse soleant, methodus tamen qua vires nimis extenuentur non adeo felix est ut nervosas aegritudines interdum non pariat, ac molestas proin difficultates non adducat.

Num autem ipsa *peccata* cum vera vitae austeritate conexa fuerunt? Id valde dubitamus. Peccata potius ad

relaxatam in multis monasteriis disciplinam referenda esse videntur.

Sed cur ad praeterita vitia potius quam ad praesentem virtutem animos convertere placet? Nonne *hodie* constat bene multos esse religiosos et sacerdotes qui exemplo vitae simul illibatae et beatae falsa ista reformatorum asserta confutant?

vel Ecclesiae relaxatam disciplinam appellant.

3. Ast nonne ipsa Ecclesia severitatem suam relaxare coacta est, ut concubinatum, saltem non nuptis concederet? Et afferunt c. 17 C. Toletani I (400), quo communio negatur iis quidem qui, praeter uxorem, concubinam haberent, non autem iis qui una concubina contenti erant.

Hispanicus canon de concubinis.

R. Canon iste variae interpretationi obnoxius est. Sunt qui putent nomine concubinae veram ibi uxorem designari, minus sollemniter ductam propter inferiorem statum civilem. Sed etiam si, quod magis veri simile existimamus, agatur ibi de stabili non tamen firma coniunctione cum una muliere (1), canon iste Concilii 19 episcoporum haec duo tantum probat: *a*) Dogmata moralia non omnia statim ubique perspecta fuisse, et genus humanum ab immensis erroribus moralibus paulatim liberandum fuisse; *b*) Institutiones romanas non sine difficultate, ac proinde non sine gloria, religione christiana correctas fuisse (2). Scilicet, in iure romano, praeter iustas nuptias, cum tabulis dotalibus, admittebatur concubinatus, a vago quidem concubitu discretus, cuius tamen coniunctio « sola animi destinatione (3) » sine iuris vinculo innitebatur.

Constantinus porro iam edixerat: « Nemini licentia concedatur, constante matrimonio, concubinam penes se habere (4) ». Id assumens, dictum concilium Hispanicum, concubinatum cum una muliere, in viro soluto non reprobavit.

Melius sane S. Augustinus (5) ac postmodum etiam Hispania haec reprobarunt. Verum id iam demonstrat in casu obiecto non agi de relaxatione disciplinae severioris, sed de tardiore introductione, in dissitam regionem, dis-

---

(1) Cf. Freisen *Geschichte des canonischen Eherechts*, 1888, p. 64, 65. — (2) Cf. Leo XIII, Enc. *Arcanum*. — (3) L. 4, D. 25, 7. — (4) L. un. Cod. 5, 26. — (5) Sermo 392 (M. 39, 1710).

ciplinae catholicae. Triste autem foret, si mores adeo moderna impietate depravarentur ut, ad maiora mala vitanda, civiles paganorum institutiones instaurari deberent.

Quid sentiant honestiores acatholici.

102. — De acatholicis qui morum honestatem propugnant. Ipsa morum colluvie stimulati, alii viri a nostra fide alieni, praecepta et consilia catholicae religionis sua auctoritate comprobant et interdum fortiter tuentur. Ex iis nonnulli putant, sibi religionis subsidio opus non esse, ita ut naturali ratione mores emendari posse sperent. Rari tamen reperiuntur qui nobiscum ita plene consentiant ut *absolutam* puritatis necessitatem profiteantur. Quare, propter manifestam ordinis physici utilitatem seu quasi necessitatem, plerique et copulas onanisticas et abortus permittent vel adeo suadebunt. Sic autem tacite ipsi inviolatam morum sancitatem pessumdant, et declinant ad utilitarismum unde alii tantopere abutuntur.

Nihilominus ista incredulae et laicalis scientiae cooperatione nobis uti licet, ut erecto magis animo, pleniore sinceritate et spe firmiore, veritates morales quales sunt proponamus et observandas praedicemus.

CAPUT II. — De castitate matrimoniali.

Articulus I. — Matrimonii aestimatio rationalis

Ratio ordinis et methodus.

103. — Res manifesto postulat ut naturale matrimonii institutum prius demonstremus; qua comparata notione, quid castitas matrimonialis praecipiat, postulet, suadeat, sine negotio colligemus.

Demonstratio autem postulat ut plura simul consideremus et perpendamus. Efficitur enim conferendo cum *exigentiis* boni quod natura in tuto esse vult, *facta*, idest quo ferant, quid efficiant propensiones naturales; quasnam indigentias singulares et communes experiamur.

I. — *De naturali matrimonii instituto.*

Matrimonium esse naturale institutum, demonstratur.

104. — Matrimonii origo a natura. Haec rationi naturali manifesta sunt. Bonum prolis humanae, quod ad bonum generis humani maxime interest, ac proin, iubente natura,

conservandum est, postulat ut, non ex vago concubitu, sed parentibus qui in sanctam unitatem confluxerint infans nascatur, ita ut communi utriusque parentis sollicitudine ad humanam vitam perfecte perducatur. Adeo enim inermis et inops consilii e matris sinu egreditur, ut statim periret, nisi generali praesidio et minuta attentione affectuose ipsi consuleretur. Praesidium istud pater potius, patientes et minutas curas maxime mater, amorem uterque dabunt. Per plures subinde annos infans, puer, adulescens, iuvenis, omni modo iuvandus ac dirigendus est; in qua necessitatum varietate et successione, nunc mater, nunc pater magis utilem operam navare possunt, ita tamen ut minus bene soli quam coniuncti uterque agant, ita ut apta quaedam qualitatum utriusque sexus temperatio summe optanda sit: haec porro felicissima exsistet, si uterque parens, sicut unum principium fuere generandi, ita et instituendi unum principium fiant.

Rursus autem homo, dum se ipse considerat, magnam ad alterum sexum propensionem sentit, qua non tantum ad carnalem cum ipso coniunctionem, sed ad magis completam personarum unionem dirigitur (1). Huius unionis, sicut diximus n. 61, carnalis coniunctio symbolum et materialis expressio est, simili modo quo corporalis delectatio pleniorem personarum qua se compleverint beatitudinem figurat.

Si nunc bonum istud prolis cum his inclinationibus conferimus, nonne advertimus a natura proficisci institutum quo duo se complent et quasi unum efficiunt; qua facta unitate seu admisso vinculo, *non autem ante*, prolem legitime generabunt? Apposite Ribbing scribit: « Sexuum discrimine fundatum matrimonium, unionem unius viri et unius mulieris in unam personalitatem constituit (2) ».

Quaenam, ex lege naturae, matrimonii unitas.

105. — Matrimonii unitas et stabilitas. 1. Numerus moraliter aequalis quo uterque sexus exsistit probat etiam, ut minimum dicamus, in votis naturae esse ut *unus* cum *una*

---

(1) Cf. n. 2 et 61. — (2) *Auf dem Grunde der Geschlechtsverschiedenheit, ist die Ehe die Vereinigung eines Mannes und eines Weibes zu einer Persönlichkeit* (*Sexuelle Ethik*, apud Moll, *Handbuch*, etc. p. 927).

vinculum istud contrahat. Polygamiam enim exercere non nisi trucidando viros vel eos in abiectam servitutem detrudendo, pauci potentiores poterunt.

Quid, quod unitas illa, plena ista ac mutua communicatio quam amor affectat, bene non fit nisi inter duas personas; quid, quod « exclusivismus » seu zelotypia ista, supra n. 40 inter notas amoris indicata, et quae alios ab ista intima unione arcet, ipsa monogamiam suadet? iterum optime RIBBING l. c. « In vita sexuali nequit unus se alteri tradere nisi ea lege ut ipse alterum acquirat ».

stabilitas, perpetuitas probetur, postquam consummatum est.

2. *Stabilitas*, immo *perpetuitas* matrimonii propter ipsam *prolem* exigitur. *Diu* enim ambo parentes, quatenus in unum conflarunt, proli sunt necessarii; *semper* autem utiles sunt.

Praeterea, perpetuo pietatis officio erga parentes, quatenus *unum* effecti ipsos genuerunt et aluerunt, filii astringuntur: quod officium aegre reddent si parentes, altero matrimonio *diviso*, quasi sibi alienos factos repererint. Ultronea quadam aestimatione, parens qui, priore vinculo spreto, alterum admittere conatus est, iniuriam coniugi fecisse iudicatur. Quod si ambo novum contractum matrimonialem iniverint, mutuae iniuriae rei et victimae apparent.

Nec vis istius argumenti deminuitur eo quod institutioni matrimonii accidit ut plura matrimonia sterilia maneant.

Etenim, cum istud manifestum sit, debitae hominum multiplicationi per matrimonium primario consultum esse, natura secundum ea quae finis iste primarius requirebat inviolabilem suum ordinem de matrimonio constituit. Ac primo sensus communis intuitu perspicitur alias esse non posse leges de matrimonio fecundo et de matrimonio infecundo: quibusnam effrenatae libidinis inventis via per istam legum distinctionem aperiretur, persentimus omnes.

Adde iam, per matrimonium, postquam consummatum est, coniuges quasi in unum ens humanum convenisse, et mysteriosam factam esse qualitatum communicationem (1).

---

(1) Cf. cit. dissertationem Dris DESPLATS in opere *L'honnêteté conjugale* (MERCIER, DESPLATS, VERMEERSCH) vel *Matrimonio e Maltusianismo* (MARCONSINI).

Quare, teste S. PAULO (1), uxor a viro tamquam pars sui dilingenda est. Consonant quoque vulgo dicta quibus vir uxorem suam *dimidium* sui appellat; quibus amor describitur, unus duorum egoismus (*un égoïsme à deux*). Nonne illi enti composito firmitas entis humani singularis per se competet, ita ut morte tantum dissolvatur?

Ceterum consideres quid *mutua corporum traditio* effecerit. Per eam factum est ut singuli quidpiam propriae personae amitterent et simul quidpiam alterius personae aquirerent. Mutua ista traditio, contraria restitutione irrita fieri nequit. Hoc maxime apparet in femina, quae commercio carnali suam integritatem irreparabiliter amisit. Sed etiam veritatem habet in viro: is etiam quod alteri communicavit recuperare nequit. Nec valida renuntiatio seu abdicatio hic esse potest, cum agatur de parte personae humanae, perfectum autem personae vel partis eius corporalis dominium, quod ad alienationem requiretur, homo non habeat. Quamdiu ergo id quod alter coniugum acquisivit pertinet ad personam viventem, cuius corpus inviolatum manere debet, nequit istud simul secum alii coniugi quasi transferre. Post mortem tantum, quando anima corpus deposuit, id sine aliena iniuria fieri potest (2).

Spectata itaque iam sola natura, constat matrimonium, saltem postquam proles concepta est, immo iam postquam unitas per perfectum coniugii usum completa seu consummata est, arbitrio coniugum subductum esse, ita ut *intrinsece* indissolubile sit.

Immo nec ulla *humana auctoritate* huius modi matrimonium dissolvi posse videtur. Dissolutio enim ista necessariis relationibus inter parentes et filios refragatur, et continet partialem aliquam personae humanae dispo-

---

(1) Ep. ad Ephes, 5, 28, 29, 31. — (2) Iuvat de hac re ipsum audire KANT In sexuali commercio, cum alter alterius membris et facultatibus utatur, homo quasi rem se tradit. Hoc autem inviolabili propriae personae possessioni adversatur, nisi quod alter de propria persona cedit ex alterius persona recuperet et personam suam quasi redintegret. Hoc autem non obtinetur nisi matrimonio quo mutua corporis possessio ad vitam traditur. (*Rechtslehre, Das Eherecht.*)

sitionem: nulla autem humana potestas necessarias personarum relationes abrumpere vel directe impedire, nec de persona humana directe disponere potest.

Esine iam ante consummationem indissolubile?

106. — *Antequam* autem matrimonium *consummatum* sit seu ambo coniuges una caro effecti sint, potestne mutuo consensu solvi? Loquendo, non de matrimonii sacramento sed de illo qui merus est contractus, indissolubilitas quae ab ipso consensu initium ducat, aegre, sola ratione naturali, demonstrari posse nobis videtur. Donec enim coniuges una caro effecti sint, nihil irreparabile actum esse dixeris perfecta corporum restitutio possibilis manet. Sic, in argumento affini, materiale virginitatis elementum modo irreparabili per actum carnalem completum amittitur; formale autem seu propositum virginitatis, si, etiam peccaminose, revocatum fuerit, potest novo proposito, secundum S. THOMAE doctrinam, restaurari. Cf. infra, n. 142 ubi de virginitate.

De copula-theoria?

Immo, de ipso matrimonio christianorum diu dubitatum est in Ecclesia, utrum ante copulam esset perfectum et indissolubile. Et schola Bononiensis cum GRATIANO (in C. XVII, q. 2) et Magistro ROLANDO (qui deinde fuit ALEXANDER III) contra scholam Parisiensem propugnavit sic dictam « copula-theoriam », secundum quam, ante consummationem, matrimonium nec sacramentum nec indissolubile erat. Huic theoriae, etiam nostris diebus, favit aliquando FREISEN (1). Fructus controversiae is fuit, ut solutio matrimonii rati et non consummati, tum per sollemnem professionem religiosam tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iuxta causa concessam, certa evaderet Ecclesiae doctrina, ipso Codicis canone 1119 confirmata. De hac re habetur in *Summa* S. THOMAE, Suppl. 3 P. art. 4, q. 42.

Matrimonium nequit tamquam privata pactio considerari:

107. — **Interventus publicae potestatis.** Ubique gentium perspectum est: quantum momentum unio coniugalis ad commune bonum in societate humana habeat; ita ut ubique leges vel scriptae vel consuetudines de matrimonio recte ineundo exsistant. Iure itaque ac merito competens auctoritas publica partes non exiguas in istius instituti ordinatione sibi vindicat. Non potest igitur matrimonium tamquam mere privata duorum pactio considerari (Cf. RIBBING, l. c.).

Matrimonium est res sacra.

108. — **Religiosa matrimonii natura.** Necdum adaequate rem consideravimus. Quanto munere funguntur, quanta

(1) In 1ª editione suae *Historiae Iuris matrimonialis*, germanice conscriptae. Cf. DE SMET, *De sponsalibus*, etc. n. 98.

dignitate aucti videntur homines qui novam creaturam rationalem mundo dant! Coniuges tamen id efficere non potuerunt, nisi, dum ipsi viribus a Deo acceptis utuntur et corpus conficiunt, Deus animam spiritualem crearet atque infunderet. Actio itaque proprie divina se humanae inserit, speciali modo cum humana concurrit et cooperatur. Num profanam dicemus effectionem istam quae divina et humana cooperatione miscetur? Num ipsum Institutum vocabimus profanum, in quo solo homines legitime generantur? Nonne potius omnes sentimus, in sexuali hominum coniunctione aliquid mysteriosum et sacrum inesse? « Testamur, ait Leo XIII, et monumenta antiquitatis et mores atque instituta populorum qui ad humanitatem magis accesserant, exquisitiore iuris et aequitatis cognitione praestiterant; quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate coniunctae (1). »

Historia etiam constat, religionis tutela opus fuisse ut matrimonium suam firmitatem et inviolabilitatem qualis ipsa lege naturae postulatur, re vera obtineret.

Quaenam ergo publica potestas competens erit? In votis certe naturae est ut religiosa potestas potiores partes in regendo matrimonio, assumat, ita ut omnia matrimonii essentialia auctoritate sacra definiantur, declarentur et sanciantur.

Quare, publica potestate circa res sacras regendum est.

Verum, ubi auctoritas socialis quae in sacris versetur defecerit, ipsa publica potestas res religiosas *identice* curabit. Identice, inquam, quia provinciam istam tunc gerit non formaliter quatenus rebus civilibus praeponitur, sed quatenus, ratione magis universali, res communes administrat, procurat.

Istas itaque notas omnes matrimonio inesse ratio ipsa naturalis ostendit.

---

(1) *Arcanum divinae sapientiae*, 10 febr. 1880.

II. — *De castitate matrimoniali.*

109. — Castitatis matrimonialis ratio formalis et materialis. *Castitatis matrimonialis ratio formalis,*

1. *Ratio formalis.* Castitas matrimonialis signat virtutem castitatis quatenus matrimonium connotat. Quale ergo in ordine naturali exsisteret, inclinat ut secundum modo descriptam matrimonii naturam, homo appetitum sexualem moderetur.

2. *Ratio materialis* (idest, quid imperet, permittat, suadeat castitas in statu coniugali). Itaque, castitas ista: *iussa et suasiones.*

a) Satisfactionem sexualem carnalem repudiat quae vel separatim vel cum non coniuge quaeratur.

b) Rectum usum coniugii suadebit; abstinentiam autem imperabit, ubi copia recti usus defuerit.

Rectus autem usus triplici fine quo matrimonium honestatur definiri potest, ita ut plene honesta sit copulatio facta ad prolem gignendam, ad mutuum amorem fovendum, in remedium incontinentiae. Cf. n. 62. Id quidem statuitur *per se*. Supponitur autem talis agendi modus quo, dum unus finis intenditur, alii non impediuntur. Seria praeterea alterius coniugis petitio sufficientem per se causam praebet reddendi debitum: redditio enim ista promissa est, negatio autem amorem per se minuit. Quare ad honestum fovendi mutui amoris finem redditio ista dirigitur. *Quisnam matrimonii usus rectus sit,*

Optandum tamen erit ut, secundum mutuae benevolentiae legem, altera pars alteri in hac re placere studeat, et simul cum altera completam delectationem experiri velit. Quae enim sexualis coniunctio communi consensu libenter exercetur et fruitionem stricte communem affert, valetudini coniugum, incremento mutui amoris et qualitati prolis magis per se prodest. Quocirca, non tantum improbandae sunt uxores quae, sinistro affectu ductae, se cohibent ita ut in sexuali coniunctione frigidae maneant, verum etiam cavendum est ne, falsa quadam devotione deceptae, peccent austeritate quae, marito ingrata, domesticam felicitatem minuit et in odium ipsius pietatis facile vertitur. Non hunc matrimonii usum intendebat S. PAULUS scribens: « Uxori vir debitum reddat, similiter *Quisnam optandus.*

autem et uxor viro (1) »; per talem oboedientiam uxores christianae viros incredulos Christo non lucrifacerent, sicut illud commendat S. PETRUS: « Mulieres subditae sint viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant (2). »

ARTICULUS II. — MATRIMONII AESTIMATIO CHRISTIANA.

Christiana matrimonii ratio undenam haurienda sit.

110. — *Observatio praevia.* Ut recte iudices de perfectione quam Christus naturali matrimonii instituto contulerit, potius quam primae christiani aevi adumbrationes, praesens aedificium contemplandum est quale, post plura saecula, exsurgit iam politum etsi nondum plene perfectum, tamquam fructus magis maturus evangelicae revelationis. In ipso enim ordine supernaturali, Deus postulat cooperationem humanam, quae per successivos accessus et molimina, in quibus et defectus et errores facile miscentur, ad intellectum usque meliorem immobilis veritatis, et executionem usque perfectiorem absoluti officii pervenire solet. Quare, sicut omne ens vivens melius ex evoluto corpore quam ex embryone dignoscitur, ita clarius ex praesenti matrimonii christiani perfectione quam ex primis initiis perspicitur quid Christus instituerit. Dummodo in praesentibus institutis legitimam doctrinae apostolicae continuationem directe vel indirecte ostendamus, praesens doctrinae splendor nos de principiis certiores efficit, ex principiis autem accurate perpensis indicationem novi progressus tentandi haurimus.

I. — *De christiano matrimonii instituto.*

Beneficia quae catholica fides societati coniugali ac simul moribus publicis et societati hominum in universum contulit, alia matrimonium ipsum immediate, alia praeparationem personarum ad institutum istud recte capessendum respiciunt.

(1) 1 ep. ad Cor. 7, 3. — (2) 1 ep. Petri, 3, 1.

Fides catholica vota naturae de matrimonio explet.

111. — *De instituto matrimonii.* 1. Ecclesia catholica tuetur perfectam matrimonii unitatem, absolutam matrimonii consummati indissolubilitatem; illudque, profanae actoritati subductum, sub religiosae potestatis praesidio plene ponit. Sic vota naturae de matrimonii instituto perfecte adimplet et cumulat.

Matrimonio novam praestantiam adicit.

2. Neque hoc satis habuit. Sed a Christo auctore edocta, pactionem matrimonialem inter baptizatos ad dignitatem sacramenti evectam ostendit, et sic vitam coniugalem sancta gratiae virtute perfusam demonstrat. Ipsi deinde permanenti coniugum unioni honorem tributum inculcat figurandi sanctitatem inviolabilem unionis mysteriosae qua Christus cum Ecclesia coniungitur.

Exponitur c. 5, 22-33 ep. ad Ephesios.

Iuvat hic celebrem locum Apostoli ad Ephesios, 5, 22-33, paucis exponere. Pro humili condicione in qua mulieres tunc temporis versabantur, S. Paulus in praedicanda uxoris subiectione diu immorari non debuit. Illam potius commemorat, ut virum ad sua officia explenda et profitenda suavius inducat. — « Quantum, sic fere ratiocinatur, iure ac merito Ecclesia Christo subiecta est! Quantum tamen ipse illam diligit! Seipsum tradidit pro ea». Curam quae uxori per se incumbebat ut se, ad placendum, viro, mundaret et ornaret, ipse Christus in se suscepit, ut Ecclesiam « santificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam ». Ita et viri uxores suas diligere debent. Si vir caput est mulieris, uxor est eius corpus. Quare virum tamquam pars integrat, ita ut uxorem diligendo vir se ipse diligat. Nonne illa unitas viri et uxoris et devotio viri pro uxore ex Scriptura novimus: « Propter quod homo relinquet patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae. Et erunt duo in carne una »? Latet hic magnum mysterium, cuius significationem reperio in unione Christi et Ecclesiae. — Idest, ni fallimur: Mirabilis ista divinae Providentiae dispositio, qua genus humanum ita est constitutum ut vir et mulier, sexu divisi, una caro fierent et vir omnia propter uxorem relinqueret, destinata est a Deo ad significandam istam magis miram coniunctionem Christi cum Ecclesia, a qua separabatur sua divinitate et propter quam tamen caelum et Patrem reliquit ut ei adhaereret et cum ea unum corpus cuius ipse caput esset componeret. Magnum quidpiam itaque unio viri et uxoris mysteriose portendit in Christo et Ecclesia. « Verum, omissa etiam hac interpretatione (sic ipse apostolus), unusquisque uxorem suam « sicut seipsum diligat (1) ».

(1) Cf. etiam Prat, *S. Paul.*

Quid apud theologos matrimonium figuret.

Ipsam figurae rationem theologi quidam superioris aetatis ampliarunt. Et quamvis certis argumentis fortasse destitutae sint, comparationes tamen istae salutares sunt et aptae ad magnam coniugii existimationem fundandam. Quare etiam per istas Ecclesia matrimonii causae non parum profuit. Sic legitur apud SANCHEZ: Matrimonium ratum significat unionem Christi cum anima exsistente in gratia, vel unionem Christi per caritatem cum tota Ecclesia, cuius membra quaedam deficere possunt. Consummatum autem matrimonium significat indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, per carnem assumptam. — Christus factus est una caro cum Ecclesia, « per incarnationis mysterium ». (*De matrimonio*, l. 2, d. 13, n. 1.)

Fines seu bona matrimonii christiani.

Si iam *fines* matrimonii consideremus: quod ad finem *prolis*, matrimonium christianum non eo iam spectat tantum ut genus humanum propagetur, sed ut Ecclesiae soboles ingeneretur, « cives sanctorum et domestici Dei (1) ». — Quod ad *remedium concupiscentiae*, pretium castitatis in Ecclesia catholica ita extollitur, ut moderatus usus coniugii quandoque ultronea voluntate temperatus seu interruptus ad vacandum orationi, et secundum naturae vota suaviter exercitus, satiandae libidini plene per se sufficiat; utque animi quoque pares sint ferendae etiam diuturnae obligationi continentiae quam adiuncta interdum necessariam reddunt. — Denique, quod *ad amorem*, nobilissimum dilectionis exemplar in dilectione qua Christus Ecclesiam diligit coniugibus proponitur.

Quatenus autem ad *significationem sacramentalem* attendamus, significatio speculativa matrimonii christianorum (qua unionem Christi cum Ecclesia figurat) coniuges impellit ut sanctam Ecclesiae fecunditatem magis casta generatione et meliore institutione *prolis* imitentur; oculis obiecta Christi fidelitas mutuam ipsorum *fidem* ineffabili exemplo firmat, addita etiam nova sanctione qua infidelitas violatio fit rei sacrae; *indissolubilitatem* denique consummati matrimonii inviolato *sacramento* perficit, ita ut AUGUSTINUS *prolem*, *fidem*, *sacramentum*, tamquam tria bona coniugii christianorum celebrare potuerit (2).

---

(1) Epist. ad Ephes, 2, 19. — (2) *De Genesi ad litteram*, l. 9, c. 7 (M. 34, 397).

112. — *De praeparatione personarum.* 1. Generali ratione qua fides catholica castitatem, humilitatem et nobiles affectus colit, animos ad matrimonium sancte ineundum eiusque onera fideliter ferenda iam non parum disponit. *Quo pacto fides catholica personas disponat ad matrimonia sancte et felicia.*

2. Uxori inferiorem quidem locum assignat, sed humilitatem istam affectuosa mariti devotione compensat, ita ut bina caementa et media firmissimae et felicissimae unionis in humilitate et dilectione reponat.

3. Admittendo deinde et potius commendando praeparationem *sponsalium*, per quae sola animorum coniunctio permittitur, Ecclesia nobilitati mutui affectus consulit, simulque non leve subsidium offert iuventuti ut se perfecte castam servet.

4. In aequali castitate quam catholica religio utrique sponso imponit, novum pignus felicis unionis habetur. Iam S. Augustinus scribebat quod hodie tam saepe inculcatum audimus: « Qui non habetis uxorem et ducere vultis, integros vos ad eas servate, sicut integras vultis eas invenire (1) ». Iam diu ergo foedam istam distinctionem mundanam qua iuvenis vel viri non autem puellae peccatum excusatur, et quae nomine duplicis moralis (*la double morale*) notatur, fides catholica reiecit.

5. Cum tamen infortunia in hac vita undique nobis minentur, religio in Christi patientia opportunissimum documentum ad leniendas aerumnas et ad res adversas non sine merito ferendas sponsis tradit.

Itaque, ut rem omnem de matrimonio et personarum praeparatione iam summatim complectamur, haec bona christiano coniugio per se praesto sunt: plena fiducia mutua et communicatio totius vitae ; — spes coniunctionis spiritualis quae, ultra praesentis vitae fines, in aevum duratura sit, — praesidium contra tentationes et infidelitates ex absoluta coniugii firmitate; — sancta auctoritas in filios; — informatio ad patientiam, semper in hac vita necessariam. *Summatim res resumitur.*

---

(1) Sermo 224 (M. 38, 1094).

II. — *De castitate matrimoniali christianorum.*

Castitatis matrimonialis christianorum notio,

113. — I. Fide illustrata castitas matrimonialis ad omnia implenda officia quae christiana matrimonii perfectio secum fert inclinat.

varii gradus.

Ipsa autem, quod fortasse nimis hodie neglegitur, in variis gradibus consistit, quibus S. AUGUSTINUS iam alludit (1).

Primo gradu, qui necessarius est, coniuges omnia officia sic implere destinatum habent, ut limitem coniugalis carnis non excedant.

Perfectiore gradu, commixtio carnalis propter solos liberos habendos exercetur, ita ut ab actu coniugali cessetur cum coniux ad eam aetatem pervenit ubi iam concipere nequit.

Quaenam continentia suadenda sit.

Tertio demum ac summo gradu, coniuges, exemplum S. IOSEPH et Immaculatae Virginis secuti, perfectam continentiam servant. Ab ipso tamen Apostolo monemur (2), gradum istum prudenter tantum esse admittendum; et temporales potius continentias suadendas esse quae, dum animum sursum erigunt et firmiorem reddunt, eundem nulla nimia difficultate terrent vel opprimunt.

Faustae temporalis abstinentiae occasiones sunt tempora sacra (3), ut orationi vacetur (4), atque etiam tres primi dies post celebratas nuptias, ut ad instar TOBIAE et uxoris suae, quasi primitiae vitae coniugalis Deo offerantur (5). Verum ipse Apostolus addit temporalem etiam continentiam ex mutuo tantum consensu per se inducendam esse.

Quid de incundis nuptiis sentiendum sit.

114. — II. *De castitate viduali et de secundis nuptiis.* Fides catholica eandem viduis atque non nuptis castitatem imponit. Quare affinis castitati matrimoniali quaestio de solis secundis nuptiis moveri potest.

Age porro, cum non sola corpora quae pereunt sed

---

(1) *Contra Iulianum pelagianum*, l. 3, c. 21, n. 43, et l. 4, c. 2, n. 10 (M. 44, 724 et 741). — (2) 1 ep. ad Cor. c. 6. — (3) Cf. can. 1243: «Tempora sacra sunt dies festi; iis accensentur dies abstinentiae et ieiunii». — (4) Ep. 1 ad Cor. c. 6. — (5) Tob. 7, 4, 5, Cf. Rituale.

animae quoque immortales catholico coniugio uniantur, perfectior gradus castitatis matrimonialis per se exsistit, cum coniux superstes defunctae parti fidem spiritualiter servat, ut alteris nuptiis abstineat. Et quamvis alterae nuptiae iustissimis causis honestari possint, Ecclesiae tamen minus acceptae sunt, tum propter nimietatem quandam appetitus venerei quam per se prodere videntur, tum etiam « propter sacramenti defectum » (1). Cum enim coniunctio Christi cum Ecclesia sit unius cum una, haec alteris nuptiis minus bene repraesentatur. Quae causa etiam est cur Ecclesia benedictionem suam viduae quae, iam benedicta, ipsa iterum nubat (2), non concedat, et bigamus irregularis exsistat (3).

Articulus III. — Matrimonii aestimatio neo-pagana.

Divisio argumenti. Ratio ordinis,

115. — Inter illos quos, propter suum agnosticismum dogmaticum (cui scepticismus moralis interdum coniungitur), ad neo-paganos ascripsimus, alii, qui antiqua placita moralia cum recenti « laicismo » unire conantur, moralem de coniugio doctrinam profitentur quae a lege naturali non multum recedere videtur, quamvis institutiones commendent vel praedicent a quibus Ecclesia catholica valde abhorret. Oportebit itaque ut detectis earum vitiis institutiones istas honesta earum specie spoliemus. — Alii, « *naturalismo* » addicti, instituta coniugalia penitus reformare tentant. Prius de posterioribus agemus, quia expeditius rem conficere possumus et de his etiam prius in superiore capite egimus.

---

(1) C. Debitum, 5, *De bigamis non ordinandis* (1, 21). — (2) Can. 1143. Mulier quae nondum nupta a viduo ducitur, ipsa benedictionem accipit. — (3) Codex novus, c. 984, 4° irregularitatem, quam auctores ad plures casus similitudinem quandam cum bigamiam habentes extenderant, ad solam bigamiam veram coartavit. Fuere qui contenderent bigamos non esse quorum priores nuptiae baptismum praecesserant. Eleganter autem in Decreto Gratiani respondetur, baptismo peccata non autem conubia remitti. Cf. c. 3, D. 26; et c. 13, D. 34.

§ 1. — *De naturalistis.*

Naturalistarum placita.

116. Hoc Naturalistis commune est, ut bellum indicent matrimonio sive *omni*, sive saltem *perpetuo*, quia iugum etiam invitis ferendum imponat. Volunt itaque ut in locum matrimonii « coactionis » (*Zwangsehe*) seu cuius firmitas ex coactione repetitur, et cuius usum, quando sine amore a coniugibus exercetur, turpitudine notant, succedat unio quae ex *amore libero*, i. e. immuni a iuridica necessitate, originem et firmitatem felicem trahat: hoc naturae consentaneum esse, hoc praesenti vel saltem instanti generis humani aetate postulari et obtentum iri.

Adulterium « morale ».

His votis essentialibus secundaria accedunt. Sic plures volunt ut pactum vitae sexualis, omni regimini publico subductum, prorsus inter res privatas reponatur. Ellen Key (satis nota Scandinaviae femina) excogitavit etiam « *adulterium morale* ». Accidit enim ut duae personae quos amor iam non iungit communem tamen cohabitationem externam propter iustas causas, v. gr. philanthropicas, servare debeant. Fiat tunc, sic mulier ista, utrique legitima copia, ut alter ex alia muliere generet, altera ex alio viro pariat: « legitimum » istud commercium cum non coniuge, *adulterii moralis* nomine decoratur.

Confutantur ex ipsis naturae votis.

117. — Deliria ista, quae simul vana et frustranea sed moribus perniciosa sunt, tamquam nefandae contra ipsam naturam machinationes et molitiones redarguenda et reprobanda sunt. Et re quidem vera:

1. *Suadente natura*, homo praesidium contra propriam vel alienam inconstantiam, quod angeli in perfectione suae voluntatis possident, quaerit in promissionibus quae moralem necessitatem inducunt, et, cum e re publica videtur, ipsa lege sanciuntur.

Ita, in vita sociali, occurrunt sacramenta militum, magistratuum, principum et aliorum, quorum officia si pro lubitu admitti et detrectari possent, de vita civili actum esset. Sine morali necessitate et legali pactionum sanctione, quaenam subsistet fides mutua; et quodnam opus magnum vel diuturnum prudenter suscipi poterit? Nonne tamen « naturalistae », si sibi constent, omnem pactionem tamquam odiosam servitutem, repudiare debeant?

An rationem indicare possint cur in solo matrimonio firmum abiciendum sit vinculum unionis quam ipsa natura adeo intimam postulat ut ad quandam duorum unitatem pertingat (1)? Quid, contra, observamus? In coniunctione ista partem habent passiones quae promptissimae sunt ad promittendum, et tamen maxime inconstantes demonstrantur; ibi, inter nobiliores et inferiores appetitus, frequentissima est pugna; ibi, in societate domestica, homo, simul sperat sibi quietam fruitionem in quam tantopere propendet. Tollas autem vim promissionum et subsidium vinculi iuridici: observata parumper praesenti hominum natura, perspicitur ostium plerisque claudi mutuae fiduciae, late autem aperiri suspicionibus, invidiis et querelis quae vitam inquietam et turbatam parant et amorem saepe exstinguunt, nedum eidem faveant. Nusquam igitur alibi promissiones tam naturales sunt, nusquam earum efficacia magis necessaria est.

2. *Suadente natura*, praeter passionis impetum, ipsa intentio nobilioris affectus, et irreparabile damnum quod mulier deflorata patitur, movent homines ut perpetua nuptiarum foedera iungant. Nec libidinosa cupido qua non paucae mulieres incredulae perpetuum vinculum odio habent, istam meliorum personarum inclinationem ad nuptias perpetuas, et lamentabilem condicionem quam divortia multis mulieribus creant, dubia reddunt.

3. *Suadente*, immo *imperante natura*, maritus tutor et protector tum uxoris tum prolis communis esse debet: quae proles ab utroque parente coniunctim alenda est (2). Atque adeo constat liberos amores proli sive procreandae sive instituendae contrarios esse, ut alii naturalistae altum de prole silentium servent, alii vero ineptis artibus bonum prolis servatum velint.

4. Quid, quod firmum propositum et vinculum iuris in ipsam affectuum vim et stabilitatem plurimum possunt? Id psychologica naturae humanae observatione docemur, ita ut naturalistae adeo a natura recedant, ut qui nuptias

---

(1) Cf. supra n. **61** et **104** dicta de matrimonii natura. — (2) Cf. quae supra, n. **104-106**, de matrimonio diximus.

solo amore fundatas praedicent, amorem ipsum in nuptiis minuant.

Habentne novitatis meritum?

Nec de *novo aevo* quod praeformare velint ipsi gloriari possunt. Namque genus istud coniunctionis quod nullo iuris vinculo innitebatur, olim iure romano, nomine *concubinatus* admissum est. In societate tunc valde corrupta exstitit simul cum conubio, atque in hunc saepe finem frequentabatur ut inter coniunctos inaequalitas condicionis socialis servari posset. Quare huius modi institutum non solum bonis moribus adversatur, verum etiam democratico animo institutionum hodiernarum parum consentaneum est.

Obiectionibus satisfit.

Ast, sic obiciunt, perpetuae servitutes hodiernis legibus repugnant. Praeterea civiles votorum religiosorum sanctiones suppressae sunt: quorsum legalis servitus matrimonii tamquam pristinae aetatis vestigium servetur?

R. Honesti coniuges contumeliosum existimarint nomen servitutis datum foederi quod puro ac libero affectu sponte sua, pacti sunt et a quo minime recedere velint. Nomen ceterum servitutis non omni obligationi vel vinculo aptatus, sed illi tantum quae invito imponitur, quae per se ingrata est, et quae in utilitatem alienam per se tota cedit.

Nec leviter claudicat comparatio qua vota religiosorum, quae supernaturali intuitu nuncupata, nullum efficiunt institutum quod naturali hominum societati necessarium sit, conferuntur cum foedere matrimoniali, quod *naturale* est, et, tamquam principium seu primum initium quamlibet aliam hominum societatem fundat, cui etiam, cum saepe delectationis causa quaeratur, multo magis praesidio exterioris legis opus est.

Quamquam opportunitas legum quibus professio religiosa posthabetur valde dubia est.

Utile ex errore documentum.

118. — Nullus tamen error est quin aliquid verum et utile contineat. A naturalistis istud documentum mutuari possumus, foedus matrimoniale inter eas tantum personas postive probandum esse quas sincerus amor iam spiritualiter coniunxerit.

§ 2. — *De laicistis honestioribus.*

Ordo dicendi, secundum placita laicistarum honestiorum.

119. — Placita eorum qui, extra Ecclesiam, se profitentur legis naturalis et honestatis moralis studiosos, ad haec capita redigi possunt (1).

1. Ereptam Ecclesiae iurisdictionem in matrimonia potestati civili addicunt. Quare institutum *matrimonii civilis* tuentur.

2. *Perpetuitatem* matrimonii agnoscunt et defendunt; ita tamen ut iustas esse causas contendant ob quas *civile divortium* raro quidem concedendum sit.

3. *Usum coniugii* per se naturae consentanuem esse iubent. Cogente tamen physicae salutis necessitate, plerique nec quaesitam artificiis sterilitatem, neque ipsum abortum reprobare audent: immo plures huius modi artes positive suadere non dubitant.

Itaque de matrimonio civili, de civili divortio, de excusatione neomalthusianismi paucis disserendum est.

I. — *De Matrimonio civili.*

Matrimonii civilis notio impropria.

120. — Matrimonium, improprio usu, *civile* dici potest cui, praeter valorem quem habet coram Deo, protectio et effectus civiles tributi sunt. Quo sensu, in Hispania et in Hibernia, matrimonium religiosum, cum lege sancitum sit, civilis dici possit.

Improprie etiam *civile* vocaveris matrimonium quod coram officiali civili sine sacerdote contrahitur, quando et ubi, ex ipsa lege ecclesiastica, sic saltem valide vel etiam licite contrahitur. Ante decretum *Tametsi*, in medio aevo, non pauca matrimonia coram notario celebrata sunt (2), nec longe abfuit C. Tridentinum quin, sola publica celebratione contentum, *notarium* tamquam testem necessarium admitteret. Et nunc c. 1098 novi Codicis celebrationem sine parocho vel sacerdote ob necessitatem vel grave vitandum incommodum, certis condicionibus concedit.

---

(1) Errores de matrimonio christiano reprobati sunt in prop. 65-74 syllabi Pii IX, in litt. enc. Leonis XIII, *Arcanum divinae sapientiae*, 10 feb. 1880; et in can. 1012. 1013. 1016. 1960. 1961 novi Codicis. — (1) De ista notione et universo matrimonii civilis argumento, cf. Wernz, t. 4, n. 200-206.

propria,

Proprie dictum autem **matrimonium civile** illud est quod, *neglecto omni respectu religioso, ex forma et condicionibus lege civili praescriptis in esse suo et in effectibus pendere dicitur.*

et varia ratio.

Porro lex potest matrimonium illud mere offerre volentibus, vel illud imponere sive omnibus sive illis qui christiani non sunt vel a religione alieni vivunt. Inde matrimonium civile *facultativum, necessarium, subsidiarium.*

Lex ipsa ferri potest ex philosophica thesi, quia Princeps civilis ingenitam competentiam habeat illam statuendi; vel per modum practicae transactionis qua, remota omni iuris quaestione, propter discidia religiosa et philosophica convenit inter dissidentes ut cum artefacto isto Instituto (de quo quisque sentiat quod libeat) protectio et iuria civilia cohaereant. Huius modi lex pars tunc est istius tolerantiae civilis quam, in se minime optandam, ad maiora mala vitanda, vel maius bonum observare possunt. Cf. litteras Leonis XIII, *Immortale Dei*, 1 nov. 1885.

Summa historica.

121. —Huius modi instituti fundamentum positum est a Luthero, suis placitis quibus, negata sacra coniugii natura, matrimonium etiam christianorum principibus plene subiecit. Primo autem conditum est in Hollandia et Frisia per legem 1 aprilis 1580, cum recessum est a nimia vexatione catholicorum et aliorum qui a secta Calviniana dissidebant. His omnibus enim optio data est ut vel coram ministello Calvinista, vel coram magistratu civili matrimonia celebrarent. Lex ista, anno 1656 ad omnes foederatos Hollandiae Status traducta est, ibique viguit, donec, anno 1795, regimen gallicum etiam in Hollandia et in Belgio invaluerit. In Anglia, lex 24 aug. 1653, deinceps pro Scotia et Hibernia promulgata, praecepit ut omnes civiliter contraherent. Varia tamen fuit in ista regione fortuna instituti, ita ut nunc, ab annis 1826-1836, mitiores ibi quam in plerisque aliis Europae partibus leges vigeant. Etenim, ex lege 1836, optio datur celebrandi matrimonium vel coram ministro proprii cultus (anglicani aut dissidentis), vel coram solo civili magistratu (registratore). In Hibernia autem, ex legibus 1844 et 1863, et in Scotia, ex legibus 1844 et 1863, satis est ut matrimonium rite contractum in tabulis civilibus inscribatur. Immo nunc id inter Angliam et Hiberniam interest, ut in Hibernia « registratio » sub sola poena, intacto matrimonii catholici valore et efficacia, praecipiatur, dum in Anglia civilis registrator (*registrar*), — qualis tamen simul est omnis

minister anglicanus et minister catholicus fieri potest, matrimonio adesse debet ut civiliter agnoscatur.

Non dissimilis optio contrahendi vel coram idoneo cultus ministro vel coram competente magistratu civili (iudice pacis) conceditur in Statibus foederatis Americae septemtrionalis, facta tamen partibus obligatione procurandi inscriptionem in tabulis civilibus.

Diu, in Gallia, etiam protestantes coram parocho catholico contrahere debuerunt ut effectus civiles suo matrimonio obtinerent. Verum lex gallica 20 sept. 1792 omnibus civilem matrimonii celebrationem praecepit. Inde in Belgium et in Hollandiam invectum est, et, praesertim ab anno 1848, quo praedicari coeptum est tamquam « palladium libertatis modernae et insigne Statui liberali proprium », plurimas regiones invasit. Viget in Italia, ab anno 1865 (1); in imperio Austriaco ab anno 1868 (2); in universa Germania, ab anno 1875 (3); sancitur art. 118 Codicis civilis Helvetiae anni 1907. Codex Hispanus anni 1889 (4) et Portugallensis (5) anni 1867, duplex matrimonium agnoscunt, canonicum, quod contrahere debent quotquot fidem catholicam profitentur, et civile pro aliis. Sed quamvis canonicum matrimonium legibus canonicis per se regatur, utraque lex tamen non nulla coniugia etiam catholicis prohibuit. Non omnes tamen leges statuunt quod ipsa lex fundamentalis Belgii exigit, ut caerimonia civilis religiosam celebrationem praecedat. Sic Codex italicus id non exigit.

Itaque tolerantia religiosa institutum civilis matrimonii invexit; laicismus politicus seu intolerantia laicalis illud invitis catholicis imposuit.

Defensio.

122. — 1. Institutum matrimonii civilis *iuridice* et *philosophice* variis argumentis defendere conantur. Alii, praecipue catholici non nulli, contractum a sacramento dividentes, matrimonium, qua contractus est, potestati civili subiectum existimarunt. Et cum sacramentum valido contractui tamquam formam accedere putarent, civilis potestas ad sacramenti collationem sua lege efficaciter impediendam valere concludebant. Qui error theologorum, a pluribus annis explosus (6), canone 1012 Codicis canonici etiam reicitur, his verbis: « Christus Dominus ad sa-

---

(1) C. civ. art. 93. — (2) L. 25 maii 1868. — (3) Cod. art. 1317. 1318. — (4) C. civ. art. 42 ss. — (5) C. civ. art. 1057, ss. — (6) Cf. DENZINGER, *Enchiridion*, nn. 1766. 1773. 1854, et dogmaticos tractatus de matrimonio, v. g. FRANZELIN, PALMIERI, HUARTE, S. I.

cramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos ».

2. Alii, adulterina notione quaestionis *mixtae* abutentes (1), Statui plenum ius vindicant regendi quaslibet res quae ad publicam Status utilitatem conferunt.

3. Alii demum principia de omnimoda independentia Status ab Ecclesia, de separatione Ecclesiae et Status, de aequali indifferentia Status erga omnes religiones appellant; vel etiam religionem, negata sociali eius constitutione, ad res privatas redigunt. — Religio, sic ipsi, est opinio privata cui Status eam tantum reverentiam exhibere debet quae cum propria cura boni communis componi possit.

Ac modo valde absoluto sententiam proferun . « Les citoyens, sic celeber professor Gandavensis LAURENT, appartiennent à la patrie indépendamment de toute religion : c'est donc à la loi civile de constater leur état (2) ».

Non minus absolute dicit magistratus DE MEULENAERE, quamvis longe minus ab Ecclesia catholica abhorreat: « Le mariage civil est absolument entré dans les moeurs des pays régis par le Code Napoléon... (sa) nécessité n'a pas besoin de justification (3) ».

Morale rei iudicium.

123. — Omisso antiquato catholicorum errore de civili matrimonio quod materia foret sacramenti, de civili matrimonio recentiorum philosophorum vel iuristarum veritas exigit ut sic paucis iudicemus :

1. Matrimonium civile, quatenus in locum religiosae celebrationis suffectum est, continet matrimonii *profanationem* quae, rei, veritati repugnans (4), reverentiae coniugii contraria, communi familiarum et societatis humanae bono plurimum adversatur.

2. Quatenus pars est universalioris consilii « saecularizandi » mentes, mores, usus, damnosam Ecclesiae et religioni et maxime detestandam impietatem continet. Etenim, dum cives continuo vident leges ecclesiasticas minimi fieri, nullum ex iis servatis commodum praesens,

---

(1) Cf. dogmaticos tractatus de Ecclesia, vel canonicos tractatus iuris publici ecclesiastici. (2) *Cours de droit civil*, II, 262, 265. — (3) *Code civil allemand et loi d'introduction, traduits et annotés* ad art. 1317. — (4) Cf. dicta supra de sacra natura matrimonii, n. 108.

damnum nullum ex iisdem violatis oriri: ipsam ecclesiasticam potestatem, ipsam religionem facile neglegunt et contemnunt, atque animo in indifferentismum inclinant. Praeterea, dum oculis civium constanter obicitur ficta illa celebratio matrimonii coram magistratu civili, qui tono solemni sponsos coniungere videtur (1), dum vanae illi caerimoniae omnis efficacia legitimi matrimonii tribuitur, errores de competentia civilis potestatis spargunturatque ita confirmantur, ut Ecclesia suis decretis de matrimonio non iam sua vindicare sed aliena usurpare videatur. Sic, apud LAURENT, Ecclesia exhibetur ut vesana furens ambitione provinciam alienam invadendi. Hac autem ratione animi ab ipsa Ecclesia avertuntur.

3. Demum, quatenus existimationem et firmatem coniugii ineluctabili modo labefactat, institutum istud, quocum ceterum divortium conectitur, magis quam ipsam civilis divortii legem abhorrere debemus.

Prudens agendi ratio catholicorum.

124. — Superest iam ut examinemus quaenam **agendi ratio** catholicis in hac re suadenda sit.

1. Illud in primis maxime cavere debent, ne, propter secundarium quoddam commodum facilioris et accuratioris « registrationis », laudatores fiant instituti quod fere totum in fictionem recidit quae, vana in se, Ecclesiae et publicis moribus perniciosa est.

Allegatam autem necessitatem uniformis et universalis inscriptionis incunctanter confutare possumus, ostendendo quam facile, sine isto ementitae celebrationis apparatu, obtineri possit atque in America et in Anglia obtineatur: num magnae istae res publicae necessitatem istius instituti expertae sunt? Nonne ad finem istum assequendum, sufficit ut poenalis lex inscriptionem istam imperet? Ut sunt mores nostri hodierni (utcumque res praeteritae fuerint), nemo sanus inscriptionem istam qua de suo statu civiliter constet negleget.

2. Cum modus dicendi in ipsas animi persuasiones agat, curent etiam ut accuratior usus verborum inolescat.

(1) In art. 1318 Codicis Germaniae vim formulae a civili magistratu usurpandae aliquantisper temperare voluerunt his verbis: « *virtute legis* tamquam legitimi coniuges deinceps considerantur ». Cf. DE MEULENAERE, ad art. 1318.

Quid nunc in legibus, quid in scriptis libris, quid in nuntiis nuptiarum nimis saepe observatur ? Ut caerimoniae civili nomen matrimonii reservetur, dum matrimonium religiosum nomine caerimoniae vel benedictionis nuptialis (1) insignitur. Itaque catholici verbis « benedictionis nuptialis » abstineant, et, conversa potius ratione, de *matrimonio religioso* et de *sollemnitate* (*formalité*) *civili* loquantur.

3. Catholici nupturientes memores fiant sibi animum contrahendi verum matrimonium coram magistratu civili esse non posse, sed ecclesiasticae celebrationi intentionem istam reservandam esse (2).

Quaeres num haec consensus reservatio civile quodpiam damnum vel molestiam catholicis parere possit.

Quod sine haesitatione negandum est. Lex enim de matrimonio civili componi debet cum principio fundamentali moderni iuris, quod homines a fide catholica alieni defendunt ut palladium modernae emancipationis, i. e. cum civili cultuum tolerantia et libertate conscientiae. Si catholicis non liceret impune morales coniugii obligationes tunc tantum suscipere velle quando eas honeste suscipere possunt, religio catholica re vera opprimeretur, nedum libere exerceretur.

Ceterum, consensus quem coram magistratu civili catholici exprimunt non est mere ficticius. Vere enim consentiunt ut civiles nuptiarum effectus, et totum ius civile (qua parte non repugnat iuri divino) ipsorum matrimonio applicentur. Quod semper sufficit ut pactio non possit propter allegatum defectum consensus infirmari. Quanto magis sufficit idem in hac re quae cum civili ut aiunt tolerantia tam arte cohaeret. Sin aliter, ii qui nunc omne vinculum matrimoniale negant et respuunt ut doctrinam de amore libero profiteantur, validi matrimonii civilis essent incapaces.

Quid, quod nullitas propter deficientem consensum nullum locum dare solet actioni publicae vel quam alius moveat praeter ipsum contrahentem vel qui pro ipso agere possunt.

Quod sensus communis clamat, suffragio iurisperitorum novimus

---

(1) Sic in ipsa belgica Constitutione. — (2) Contra, cum protestantes Germaniae matrimonium civile pro vero matrimonio habeant, ipsis inculcatur ut coram ministro religioso nullum animum contrahendi sed tantum factas nuptias declarandi concipiant. Cf. *Real-Encyclopaedie für protestantische Theologie und Kirche, V. Eherecht*, t. 4. p. 79, ed. 1879.

comprobatum. Itaque non est permittendum ut iuridica quadam calliditate libertas catholicorum in hac re minuatur; sed fortiter ab initio omni eiusmodi tentamini est obsistendum.

4. Nulla quidem spes in praesenti adest ut institutum civilis matrimonii supprimatur. Et cum in civitatibus nostris tot sint a religione alieni, usus similis instituti ipsis practice negari posse non videtur. Quare id potius conandum est, ut, ad exemplar Hiberniae et Statuum foederatorum Americae, optio formae sive religiosae sive civilis detur, addito generali praecepto curandi ut facta matrimonia in tabulas publicas statim, seu intra breve temporis spatium referantur. In votis etiam catholicorum esse debet ut huius modi lex quasi communi Ecclesiae et Status consilio, vel saltem approbante aliquo modo Sancta Sede feratur: de consensu S. Sedis in huius modi legem dubitandum non est.

Num iuvandi sunt qui matrimonium omni lege positiva solutum velint?

125. — Quaeres iam hac occasione, utrum necne expediat eorum consiliis favere qui id moliuntur ut matrimonium ad res mere privatas ascribatur?

Id vehementer dubitamus. Sane, hac via, matrimonium civile supprimetur, sed per errorem qui magis a veritate recedit et peiorem in mores efficaciam exercebit. Quare, potius auctores sumus ut catholici publicam contractus matrimonialis naturam tueantur, iisque se socios iungant qui ad tutandos mores civile matrimonium servatum volunt, dum modo ipsi nobis facultatem mere religiose contrahendi concedere velint. Quod si negaverint, satius tum catholicis per se erit ut neutras partes foveant et adiuvent.

II. — *De divortio civili.*

Notio.

126. — Divortium civile est *dissolutio matrimonii civiliter validi*, qua ius partibus tribuitur ita abiciendi vinculum matrimoniale ut ad alias civiles nuptias transire ac priores tamquam penitus exstinctas habere possint. Interdum, non semper tamen, lex civilis prohibet ne coniuges, facto divortio, inter se novo foedere civili vitam communem instaurent (1).

(1) Prohibitio civili Codice Galliae 1801 facta recenti lege Belgii suppressa est: qua lege, mala divortii non spernendo modo imminuta sunt.

Conspectus historicus ante Christum,

127. — Divortii perfecti origo et vices. — E speciali dispensatione divina, quam Christus abrogavit, lex iudaica libellum repudii marito concedebat : quo dato libello, uterque coniux novum foedus matrimoniale contrahere poterat.

post Christum,

Praeterea leges romanae et graecae atque institutiones plurium saltem barbararum gentium plenum divortium permittebant, Quare inter maximos triumphos Ecclesiae catholicae ille sane efferendus est, quod publicos mores adeo corrigere potuerit ut in toto Occidente perfecta matrimonii indissolubilitas palam agnita et legibus sancita fuerit. In Ecclesia vero Orientali errores de indissolubilitate matrimonii invecti sunt quos Romana Ecclesia tantum apud Graecos unitos (idque non sine labore) auferre potuit,

In Occidente, pseudo-reformatores genuinam doctrinam de indissolubili matrimonii firmitate pessumdederunt, cum contenderint divortium perfectum propter adulterium ipso evangelio esse concessum.

Inde, postquam, exeunte saec. XVIII, plena cultuum libertas in Gallia concessa est, a PORTALIS, dum Codex Napoleonis praeparabatur, divortium ut consectarium istius libertatis propositum est, cum alii cultus admitterent, alii negarent matrimonium solvi posse.

Antea tamen, prima lex civilis de divortio facta fuit 20 sept 1792. Tunc, ex vesano furore omnia mutandi, *separatio* a toro et habitatione sublata est et tot causae divortii admissae sunt ut, prae gravitate excessuum, durante ipsa gallica perturbatione, necessitas abrogandae talis legis ab ipsis perturbatoribus agnita fuerit.

Itaque magis temperata divortii facultas in civili Napoleonis Codice admissa est, ita tamen ut simul remedium separationis vere perpetuae catholicis negaretur. Postea, lege 8 maii 1816, divortium in Gallia suppressum est usque ad 27 iulii 1884. Tunc lex vocata a NAQUET divortium restituit, excluso tamen divortio ex mutuo consensu. Hinc, quamvis, non sine honestorum lamentis, divortia numero quotannis creverint (ante bellum, annis 1911-1913, ultra 11500 quotannis fuerunt), non pauci conatus fiunt ut amplior facultas divortiorum concedatur. Immo factio quaedam, cui ambo fratres MARGUERITTE qua scriptores inserviunt, illud votis et moliminibus prosequuntur ut matrimonium instar privati contractus et fieri et rumpi permittatur.

Ampliorem divortii facultatem in Anglia quoque facere volunt, ita ut ipsa desertione quinque annorum matrimonium dissolvatur. Et cum vix decem suffragiis camerae superioris (Lords) rogatio ista reiecta fuerit (1), legis fautores sibi certam promittunt victoriam.

---

(1) Novembri mense 1918. *Lord Buckmaster's Separation and Divorce Bill.*

In America septemtrionali, Status sunt ubi tanta facilitate divortium conceditur ut utriusque sexus personae ibi occurrant quae quatter, quinquies fortunam « vitae coniugalis » tentarint. Itaque divortiorum peste regiones istae maxime inficiuntur. Utinam in libidine ista coercenda vel pars saltem vis et zeli explicaretur quae in prohibendo alcoholo ibidem adhibetur!

Tristis lex Napoleonis numquam in Belgio sublata est Verum miro ibi modo satis diu (idest ultra dimidium saeculum, saltem usque ad annum 1857) lex religione et moribus correcta est, ita ut moraliter nullum divortium peteretur. Nunc autem, grassante impietate, nimis multae sententiae de divortio in quibusdam locis, v. g. Bruxellis, ferendae sunt.

Ex Gallia divortium civile plures alias regiones invasit, dum aliae adhuc sanctam matrimonii perpetuitatem legibus feliciter confirmant.

Hodie porro fautores divortii non solam libertatem cultuum appellant; sed etiam ex potestate Principis contractum istum libere ad bonum commune ordinandi, ex iure ingenito hominis ad matrimonium habendum quod cum fine matrimonii congruat, rationalistae funestae causae divortii patrocinantur. Cf. Laurent, *Principes*, t. 3, n. 171-176. 276.

Iudicium catholicorum.

128. — De divortio civili una tantum esse potest catholicorum sententia. Quod illud per se damnare debeant, auctores sunt ipsi SS. Pontifices, tum Pius IX, propositione 67ª syllabi: « Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest (1) », tum Leo XIII, praeclaris litteris encyclicis *Arcanum*, 10 feb. 1880.

Observes enim, in hodierna civilis divortii ratione aliud inesse atque in divortio quod, auctoritate competenti ob graves causas admissum, legi naturali stricte repugnare aegre demonstratur (2), praesertim ante quam perfecto

(1) Posteriore parte, quae desumpta est ex Allocutione *Acerbissimum*, 27 sept. 1852, Pius IX damnavit attentatum gubernii Neo-Granatensis contra matrimonium christianum. — (2) Omnimodam ex iure naturae indissolubilitatem negarunt ipse C. Bellarminus, *Controv. De matrimonio*, l. 1, c. 4; Sanchez, *De matrimonio*, l. 2, c. 13, n. 7; Carrière, *De matrimonio*, p. 2, n. 227; nec constat ex propos. 67 Syllabi, cui satisfit negando *intrinsecam* (seu mutuo consensu) dissolubilitatem matrimonii, et civilis potestatis auctoritatem in sacramentum. Cf. Huarte, *De ordine et matrimonio*, numeris 284. 285.

usu consummatum sit. Cf. supra, n. 106. Namque, hodierna divortii civilis ratio profanationem matrimonii et contemptum iurisdictionis ecclesiasticae in matrimonia baptizatorum continet. Potestas publica formaliter qua *civilis*, qua *laica*, tamquam de re profana competens esse contendit. Aliis praeterea vitiis modernae leges de divortiis inficiuntur. Ex rei natura, contractus matrimonialis ab initio validus aut nullus esse debet, dum, secundum plures iuris gallici interpretes, matrimonium cui impedimentum obstat consistit quamdiu non infirmetur (1). Quid, quod divortium in pluribus locis, v. g. in Belgio, mutuo consensu fieri permittitur? Id vero, saltem formalitèr, i. e. attenta concessionis forma, naturali legi adversetur, quae matrimonium *intrinsece* indissolubile fecit (2).

Quamquam, ex mente legislatoris, consensus ille gravem aliquam causam velare debebat, et, ne coniuges remedio isto liberius et facilius uterentur, cautum est ut satis diuturnis spatiis temporum constantia in proposito dissolvendi matrimonium probaretur. Sed quantum in hac re legislator deceptus fuerit, testatur ipse LAURENT, de divortio isto scribens: « Il ruine la stabilité du mariage: c'est, en définitive, un divorce sans cause; et le divorce sans cause est un attentat au mariage, un attentat à l'ordre social (3) ».

Quatenus falsa haec principia tuetur, huius modi lex cum iure naturae componi nequit. Fieri potest ut talem legem catholici impedire nequeant; eam tamen probare positive non possunt (4).

Quibusnam argumentis utendum sit.

129. — Verum illud opportune quaeritur, quibusnam argumentis opportunius utantur.

Ac propter difficultatem demonstrationis, caute tantum ad ius naturae provocandum est. Quamquam utiliter ostenditur quantum perpetua matrimonii firmitas naturae consiliis congruat.

Hoc autem modo, efficacius et ad persuadendum accommodate dicetur:

---

(1) BAUDRY-LACANTINERIE, *Cours de droit civil*, I, n. 497. — (2) Cf. supra, n. 105. — (3) *Principes de droit civil*, t. 3, n. 276. — (4) Cf. de isto argumento gravia verba WERNZ, t. 4, n. 790, cum notis.

1. Qua aetate mores floreant, divortium perfectum est sine usu, ita ut pari quasi gradu mores et matrimonia dissolvantur;

2. Potestas civilis olim iam incapax fuit et hodie etiam apparet cohibendi talem matrimonialis vinculi relaxationem quam omnes formidandam esse fateri debent. Satis est numericas indicationes ex variis regionibus ubi divortium civile saevit colligere, ut vera esse comprobes quae Leo XIII scribebat: « Compertum est in tantam multitudinem (divortia) excrevisse apud Germanos, Americanos aliosque, ut qui non stulte sapuissent, magnopere deflendam putarint infinitam morum depravationem atque intolerandam legum temeritatem » (1).

Immo, ex levitate ad quam viri laici et saepe parum pii proni sunt, lex civilis ne suas quidem cautiones efficaciter urgere potest. Vult, v. gr. lex ut iudex reconciliationem animorum procurare conetur. Testes sunt ipsi qui in usibus forensibus assidue versantur, quam saepe accidat ut nihil serio tentetur, sed res paucis interrogationibus, « pro forma » cito factis absolvatur, ita ut coniugibus volentibus ipsa reconciliationis occasio quodam modo eripiatur.

3. Nec quaelibet quae, in se, aliquo pacto cum iure naturae componi possunt legibus civilibus honeste sanciuntur aut tolerantur, cum de « progressu » sollicitae esse debeant. Quare, ne in societate unde divortium exsulaverat, divortium sponte instauret, legislator ipso iure naturae vetatur. Quidquid enim firmitati matrimonii favet lege naturae comprobatur; quidquid coniugale vinculum relaxat, tamquam communi bono contrarium lege naturali sanciri nequit. Optime Bourget: « Vous appelez cela un progrès. La science l'appelle une régression » (*Un divorce*).

4. Haec autem detrimenta e divortio manantia allegari possunt.

Timor ne fiat divortium impedit intimam animorum coniunctionem, quae commune iugum maxime iucundum efficit.

---

(1) Enc. *Arcanum*, 10 feb. 1880.

Spes divortii causa est cur nuptiae levius contrahantur (1); cur difficultates vitae communis graviores appareant phantasiae; cur auctoritas mariti derideatur; cur adulterina desideria admittantur, foveantur, exsecutione compleantur. Unde dicunt per divortia mores corrumpi, numero crescere concubinatus.

Factum divortium maxime nocet *uxori*, quae ex ista societate non integra recedit; maxime nocet *proli*.

Si alterum civile conubium ineatur, domus quae erigitur a familia coniugis derelicti fere necessario odio separatur.

5. Docet denique experientia, divortia, continua ratione, numero plura fieri.

Quaenam ad tuendam legem divortii allegentur.

130. — Plura tamen ad tuendam divortii legem allegantur, quae paucis examinare debemus.

Frustra allegantur:

Ius conubii felicis,

1. Cuilibet ius est tale conubium faciendi quo finis institutionis obtineri possit. Porro matrimonium coniunctionem dicit animorum (7), ac medium est obtinendae perfectionis. Quando ergo in locum amoris odium succedit, quando sponsi se in perfectione acquirenda iuvare nequeunt, matrimonium iam vere non subsistit, et lex veniam dare debet ut alterum matrimonium quod magis ad finem conducat contrahatur. Sic fere LAURENT, *Principes de droit civil*, t. 3, n. 171, ss.

R. Quot errores his paucis verbis continentur! Finis secundarius pro primario habetur; et physica unio propter quam matrimonium immediate institutum est neglegitur. « Errant, sic optime RIBBING (3), qui in matrimonio non considerant nisi relationem psychologicam. Ambo coniuges una caro fieri debent ».

Cuique ius sane est contrahendi cum spe felicis exitus; si autem hac spe frauderis, num ideo pactionem et

---

(1) Divortium quod propter alias causas ac propter dolosam fidei coniugalis violationem ab una parte peractam admittitur, ipsi protestantes fatentur causam esse cur coniugia infelicia sint et temere ineantur. Cf. *Real-Encyclopädie für protestantische Theologie und Kirche*, v. Eherecht, t. 4, p. 99. — (2) *Le mariage est l'union des âmes.* — (3) Apud MOLL, p. 917.

obligationes posthabere licet? Societatis pactio spe lucri nititur: si desperatae res fuerint, licetne socio ante tempus societati valedicere, vel, allegato iure obtinendi societatis finem, per fas et nefas sibi pecuniam comparare?

Si, impedito aliquo fine, matrimonium rumperetur, iam deberemus consequenter asserere omnia matrimonia post certam aetatem cessare, cum tunc iam proles gigni nequeat.

Consideratio boni communis ex toto neglegitur, et, contra scriptoris mentem, via innumerabilibus divortiis sternitur. Quotquot se infelices repererint, ius tentandi alias nuptias haberent!

Ius partis in centis,

2. Affinis est difficultas mota a protestantibus. Si alter coniux fidem coniugalem solus violaverit, vel adeo thalamum deseruerit, parti innocenti prospiciendum est. Qua alia efficaci ratione ac divortio? Sic fere *Real-Encyclopaedie für protestantische Theologie und Kirche, v. Eherecht.*

R. Si de instituto ageretur quod ad bonum personae singularis primario dirigeretur, difficultas ista momento suo non destitueretur, immo inexsuperabilis haberi posset. Nunc vere bene intellegitur quamlibet privatam utilitatem vel adeo felicitatem publico bono posthabendam esse, ac modo quem postulat genus humanum ordinandum esse institutum quod propter genus humanum immediate creatum est. Atque in stadio probationis in quo versamur, non repugnat ut misera vitae condicio hic in terris ferenda sit. Hoc increduli quidem non capiunt, quamvis ineluctabiles miserias physicas propriis oculis intueri et admittere cogantur. Catholicis vero sublimis ista philosophia crucis impervia non est. Religioni autem catholicae gloriosum est ut homines non minus necessitatibus ordinis moralis quam ordinis physici coactos esse velit.

Necessitas pr dendi acatholi

3. Concessa omnibus religionibus libertate, consequens est ut lex ius divortii concedat ad usum eorum qui religione sua non prohibentur divortium facere. Sic PORTALIS, dum lex gallica, Napoleone consule, rogabatur; sic BAUDRY-LACANTINERIE, I, 668.

R. Fieri quidem potest ut, propter opinionum diversitatem, catholici, ad maiora mala vitanda, civile ius de divortiis tolerare debeant. Quare de tollenda divortii

lege neque in Belgio neque in Germania catholici solliciti fuerunt. Immo in Germania suffragiis suis comprobarunt Codicem civilem in quo divortium sancitur. Nulla tamen consequentiae necessitate ad divortium admittendum moveri debent.

Etenim, rei cuiuspiam in se parum bonae, quae propter necessitatem conceditur, logica consectaria admittenda non sunt nisi eadem necessitas usque ad ista consectaria se porrigat. Sed hoc principio utendum est: quam minime per tolerantias, ab ordine per se recto declinandum esse. Quid ipse BAUDRY scribebat de legibus quae, postquam libertatem conscientiae et religionis sanxerunt, parum consequenter iubent ut catholici civile matrimonium prius quam religiosum contrahant? « Il y a quelque chose au-dessus de la liberté des citoyens et de la logique elle-même, c'est la conservation de la société, et, par suite, du bon ordre social. Sans doute, tous les cultes doivent être libres; mais il ne faut pas que le principe de la liberté des cultes puisse paralyser l'application de la loi civile ». En, quo pacto, argumentum mutantes, liberales isti contra veritatem pro errore loquuntur! Atque observes inter ambos casus id interesse, quod vere contrahendi obligatio quandoque datur, dum nullus est cultus qui cuipiam divortium praecipiat. Iidem etiam, ut libertati impiorum et haereticorum consulant, divortium inducunt vel tuentur; negabunt autem perpetuam separationem qua libertati catholicorum prospiceretur.

Maiora mala separationum;

4. Instant dicendo separationem esse peius remedium quam divortium perfectum: proli idem damnum obvenire, maius autem ipsis partibus, cum coactus coelibatus mores quasi necessario pervertat, et periculum sit ne proles adulterina coniugi innocenti ascribatur; societati demum magis prodesse ut consortia legitima permittat, quam ut ansam det adulteriorum.

R. Argumentationes huius modi inadaequatae rerum considerationis vitio laborant. Separationes, quae nihil carnali libidini permittunt, multo rarius et propter graviora motiva fient vel postulabuntur, quam divortia, quae novae vitae coniugalis proximam spem afferunt. Nec, contra ac divortium, causa esse possunt temere iungendi

nuptiale foedus, cuius inviolatam firmitatem tuentur. Nec gignit separatio odia familiarum et discidia quae divortia sequuntur. Facta simplici separatione, maior reconciliationis spes per se superest. Lex autem civilis facili dispositione cavere potest ne proles adulterina coniugi innocenti ascribatur; sed illud efficere nequit ut legitima sint consortia quae divino iure vetantur.

Oportet tandem aliquando istud sapienter dictum memorare: ut pauci minus male se habeant, multos interimere non licet. « Pour une personne qui... apporte ou préserve dans le divorce toutes les délicatesses de son esprit et de son coeur, la majorité ou les avait dejà gâtées ou les avait perdues (1). »

Exempla legum aliarum:

5. Ast ubique gentium divortium exstitit atque existit.

R. Stricte verum istud non est, cum divortium neque Hispaniae neque Hiberniae neque Italiae lege admittatur. Sed, utcumque res ista se habeat: proficiendum est non autem ad minus bona amplectenda inclinare debemus. Decet ut populum christianum dignum existimemus qui melioribus institutis quam ethnica gens regatur.

Iudicia S. Sedis de matrimoniis nullis.

6. Ipsa Ecclesia catholica olim per S. Congregationem Concilii, nunc per tribunal Rotae matrimonia dissolvit. Alio tantum nomine declarationis nullitatis utitur.

R. Declaratio nullitatis non nomine tantum sed re a divortio differt. Id fatentur etiam protestantes (2); id psae leges civiles nostrae testantur, quae causas nullitatis a causis divortii sedulo distinguunt. Ceterum, quantum intersit inter sententiam qua matrimonium, propter probatum dirimens impedimentum, numquam exstitisse declaratur, et sententiam quae validum matrimonium dissolvit, per se manifestum est. Neque ulla fraude vel dissimulatione Ecclesia in hac re utitur. Nullum divortium verum colore nullitatis declaratae obtegit: id iam ipsa relativa casuum raritate et varietate sententiarum luculente apparet. Ex ephemeride Acta Apostolicae Sedis novimus, anno 1911, 15 matrimonia nulla, 5 post litis contestationem valida declarata fuisse; anno 1913, 14

(1) Bourget, *Un divorce.* — (2) Cf. *Real-Encyclopaedie* etc. l. c.

sententias pro nullitate, 6 pro validitate latas esse. Occurrunt anno 1914, 5 sententiae pro nullitate, 7 pro validitate matrimoniorum; anno 1915, 5 pro nullitate, 12 pro validitate; anno 1916, 10 pro nullitate, 5 pro validitate; anno 1917, 10 pro nullitate, 1 pro validitate. Constat itaque Tribunal Rotae, ex universo Orbe singulis annis circa 20 causas examinare et diversimode decidere, dum in sola Gallia quotannis ultra 10000 matrimoniorum, Bruxellis ultra 500, divortio civiliter solvuntur.

Ratio agendi catholicorum.

131. — 1. Haec cum ita sint, catholici provinciam sibi commissam existimabunt, ut fortiter simul et prudenter contra divortium agendo, progressum moralem et familiarum bonum pro viribus tueantur et promoveant. Quare:

2. In Parlamento numquam libenti animo, sed propter grassantes errores et numerum acatholicorum, necessitate tantum compulsi, legem divortii tolerabunt. Conabuntur autem, ad malum imminuendum, ut severae condiciones lege imponantur et ut, quem ad modum in Belgio feliciter actum est, copia matrimonium instaurandi partibus quae divortio separatae sunt, non auferatur. Optimum fecerint, si ipsam conscientiae libertatem appellent, ut catholicis saltem liceat perpetuam separationem bonorum et tori in locum divortii postulare, et, sicut interdum concessum est, legem indissolubilis matrimonii sibi eligere ac divortii facultati in ipso contractu matrimoniali renuntiare.

3. Magistratus si fuerint, operam dabunt ut partes, prout copia erit, ad meliora et saniora consilia revocent, numquam autem causas tanti momenti leviter tractabunt.

4. Tamquam patroni causarum (advocati) alienos se profitebuntur a causis divortii suo patrocinio tutandis, nisi cum partibus ipsis pro divortio agere omnino licet; sua vero auctoritate utentur ut, quantum rationabiliter fieri poterit, divortia dissuadeant.

5. Privati catholici a divortio petendo, quantum fieri poterit, abstinebunt; nec divortium petent nisi Ordinarius, propter peculiaria adiuncta, veniam petendi dederit.

6. Theologi praesertim et sacerdotes confessarii recta, in hac re, principia summopere defendent et practice urgebunt.

III. — *De excusationibus artificiosae sterilitatis et abortus.*

Placita moderna acatholicorum.

132. — Plerique a fide alieni homines honestos mores in materia castitatis non ita tuentur, ut omnem exceptionem a regulis quas per se probant et statuunt excludant. Quocirca, si quando conceptio valetudine prohibebitur, si quando uxor foetum vivum sine periculo edere nequibit, artificialem sterilitatem, immo et abortum vel embryotomiam concedent vel adeo suadebunt, his aperte vel tacite nixi principiis, necessitatem lege immunem esse, non absoluta sed relativa ratione omnia pensanda esse, ac proin considerandum esse, in singulis actionibus, quid praevaleat, quid praeferendum sit.

Refutantur.

133. — His sic, brevibus sed efficacibus verbis, responderi potest. Moralis honestas imperium habet vel absolutum vel huic condicioni subordinatum: nisi magna difficultas transgressionem excuset. Absoluta obligatio nullam exceptionem patitur; condicionata autem exceptionibus in omni honestatis genere consequenter temperanda erit. Cur enim in solo castitatis argumento et cum de prole agitur vim suam amitteret, nulla ratio allegari potest. Quid ergo, si physicus corporis status, si diuturna separatio congressum etiam imperfectum prohibuerit? Num coniugem sanum obligatione fidelitatis dispensabunt? Quid praeterea, si gravissimum damnum immineat nisi furtum committatur? Haec iure ac merito valde pauci admittent, propter absolutum dictamen conscientiae. Sed dictamen istud generale est, et in omni re morali valere debet. Immo, nonne tamquam fructum atrocissimi belli quod ultra quattuor annos saeviebat celebrant, ut ratio iuris agnoscatur esse absolute inviolabilis, nec propter allegatam necessitatis excusationem iam praetermitti possit? Nonne omnes fatebuntur officia esse, v. gr. devotionis in patriam, propter quae ipsa vita neglegenda est? Possuntne ergo sine absurditate officiis moralibus istam vim et efficaciam negare, ut ad illa servanda minus quam ipsa vita, quaedam vitae delectatio et voluptas interdum posthabenda sit?

« Qualis ista philosophia est, sic iam nervose clamabat

paganus scriptor CORNELIUS TACITUS, qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat gravitatis; sed sit contenta mediocritate vitiorum (1) ? »

Ast negant quidpiam absolutum esse homini, utpote qui sit ipse totus relativus.

Sed, si homo essentiali relatione ad Deum constituitur si omnia huius mundi contingentia sunt et relativis considerationibus subiacent, Deus tamen absolutus est, qui sua auctoritate, absoluta ordinis moralis praecepta firmat et sancit.

Quid tamen concedendum est?

Id tamen ultro fatemur : amissa fide in Deum et spe vitae futurae abdicata, accidentales istae contrarietates inter honestum et delectabile sufficienti explicatione carent, et absolutae honestatis iussiones bene percipi nequeunt. Nobis vero excellentem formam induunt divini cultus et obsequii quo Dei dominium humiliter agnoscimus. Cordati tamen homines sentiunt omnes, nihil magis homine dignum esse quam ut, praeter impedimenta quibus physice obtemperare cogitur, ita ut fateri debeat : *nequeo*, moralia impedimenta aeque revereatur, propter quae, sine ulla exceptione, in vita privata et publica, dicat : *Non possum.*

Nobilitas absoluti cultus honestatis; atque eius in re praesenti utilitas.

Quo vehementior autem appetitus venereus esse solet, eo magis firmitas huiusmodi propositi hominem honorat et ad magna patranda fortem et habilem reddit.

Quid, quod difficultates de prole gignenda plerumque ex imprudenti levitate manant qua coniugia ineuntur, neglecta vocationis seu aptitudinis ratione ? Num fas dicemus ut homo culpam suam impendio honestatis redimat ? Nonne, contra, morali vigore id valde optandum obtinebitur, ut magis circumspecte, felicius pro sponsis et pro stirpe, matrimonia inter personas bene habiles celebrentur ?

Nobis itaque istud ratum et deliberatum sit : delectationem, copulam perfectam et sollicitudinem de prole, si qua nascatur, natura ita coniunctas esse, ut has mente divellere et unam, aliis repudiatis, admittere, numquam liceat.

---

(1) *Annales*, 14, 38.

Quaenam in hac re optanda et procuranda sint.

134. — Sed simul, pro viribus, id procurabimus, ut parentes filiam oneribus vitae coniugalis imparem a matrimonio deterreant, ita autem a teneris annis prolem physice et moraliter alant, ut per se matrimonii plene capax evadat.

Optandum etiam est ut iuvenes minus de sponsae patrimonio quam de physica et morali eius idoneitate solliciti sint.

Hoc enim in votis naturae est, ut parum apti matrimonio abstineant, aliaque via ad sanctam bonum operum fecunditatem aspirent.

CAPUT III. — De castitate perfecta seu continentia.

Articulus I. — Continentiae aestimatio rationalis

Continentiae honestas et possibilitas.

135. — Ipsi rationi naturali **honestas continentiae** eiusque **possibilitas** facile demonstrantur. Etenim:

1. Ut vidimus, instinctus sexualis ad tres fines a natura ordinatus est: ad generationem prolis, qui finis primarius est, — ad mutuam coniugum perfectionem, — et ad moderationem concupiscentiae. Iam vero, ex tribus istis finibus, solus primus sine commercio sexuali obtineri nequit.

Verum finis iste est immediate *socialis*, seu propter bonum speciei.

Itaque, quamvis appetitus venereus, qui hunc finem respicit, in singulis insit, singulos natura non imperiose cogit ut ei actum suum procurent, nisi ipse finis socialis id postulet.

Quare, cum hodie, sine singulorum coniugio, propagando generi humano satis superque provisum sit, singuli per se *ius conubii* non autem conubii *obligationem* habent.

2. Ipsa praeterea natura expeditam copiam honestarum nuptiarum non omnibus fecit, sed satis multis physicam vel moralem caelibatus necessitatem imposuit.

Immo voluit homines iam puberes esse ante quam matrimonio plene maturi forent, ita ut appetitum venereum cohibendum haberent, prius quam ei actum suum oppor-

[134-135.]

tune concederent. Ac perraro contingit ut statim, simul cum hac maturitate, occasio feliciter nubendi praesto sit.

3. — Inde, nisi mirabilem Auctoris naturae providentiam gratuito negare velimus, prudenter colligimus, caelibes homines caste vivere *per se* sine nimia difficultate posse. *Per se*, si normales seu sani fuerint, neque accidentali vitio affecti. Quod vitium plerumque culpae vel imprudentiae parentum seu maiorum suorum imputandum est.

4. Itaque, si naturam interrogaverimus, continentia nobis perspicitur esse per se *permissa*, pluribus, etiam invitis, *necessaria*, hominique regulariter *possibilis*.

Continentiae et castitatis coniugalis comparatio.

136. — Quaerendum itaque restat, utrum necne **caelibum castitas** castitati coniugali **praestantior** esse rationi naturali demonstretur.

Quaestio duplicem respectum habet. Comparari enim inter se possunt tum ipsae *castitatis* rationes, tum *status* quos firmum continentiae propositum vel pactio nuptialis inducunt.

Sub respectu formali castitatis.

1. Si utramque *castitatem* formaliter consideremus, castitas continentis castitati coniugati procul dubio anteponenda est.

Observes enim ad bonum quaerendum quod delectabile et non arduum est, nullam virtutem requiri aut secundum se inclinare. Quare virtus aestimatur ex vi qua passioni seu appetitui delectabili dominatur. Age porro, castitas coniugati *vetitae* delectationi, castitas caelibis delectationi *omni* renuntiat; prior delectatione gaudet temperate, posterior omni delectatione vel saltem omni complacentia in delectatione abstinet. Fortius itaque imperium in carnales illecebras, fortius frenum concupiscentiis haec infert.

Addas, quod in usu carnalis delectationis mens carni inservire cogitur ac directione activa privatur. Quare abstinentia ab illa delectatione adustionem concupiscentiae fugit (1), et laudabilem immunitatem a servitute dicit. Continens carnem non tantum vincit, sed de ea triumphum agit.

---

(1) S. Thomae 2, 2, q. 152, art. 1 c.

2. Ut iam *status* inter se comparemus, prius observemus ad status rationem pertinere quandam stabilitatem, quam matrimonium ex vinculo per consensum inducto, caelibatus, ex firmo perseverantis continentiae proposito haurit. *Sub respectu formali* status,

Ipsa autem comparatio secundum finem *intrinsecum* vel fines *extrinsecos* fieri potest.

a) Societas coniugalis huc immediate tendit ut duae personae altera alteram compleant, dum caelebs solus manet. Si ergo quis, potius quam se altero complere, formaliter *solus* manere voluerit, huius modi intentio minus in se perfecta fuerit. Formale tamen seu positivum solitudinis propositum in continentia non habetur. Quare ambo status sub hoc respectu inter se comparandi non sunt. *Secundum finem intrinsecum*

Sed in matrimonio ambo coniuges per se quaerunt complementum potentiae sexualis, et alter alteri suas vires sexuales *communicat*, dum continens *integer* manere vult. Communicatio ista, in statu saltem praesenti, quandam servitutem affert ipsi unitati vitae damnosam, a qua servitute et divisione caelebs immunis manet.

Quare intentio *integritatis* intentione communicationis virium sexualium merito secundum se praestare dicitur.

b) Fines *extrinseci* varii esse possunt. De singulis itaque coniugum vel caelibum statibus secundum fines quibus inducti sunt iudicandum est. *Secundum fines extrinsecos qui actu habeantur,*

Potest re vera coniugium quodpiam ad finem altiorem quam caelibatus quispiam referri: illud nobili boni communis intentione illustrari, iste falso amore proprio seu egoismo deminui vel vitiari. Immo, teste S. Thoma (1), fieri potest ut coniugatus animum habeat « magis paratum ad virginitatem servandam, si oporteret, quam ille qui est actu virgo. Unde Augustinus instruit virginem... ut dicat: Ego non sum melior quam Abraham; sed melior est castitas caelibum quam castitas nuptarum ».

Si denique fines extrinsecos consideremus quorum uterque status facultatem offert, cernimus tunc in statu continentiae maiorem omnis boni libertatem, et quasi invitationem ut homo se addicat vel Deo per contemplationem, *vel quorum copia detur.*

(1) 2, 2, q. 152, art. 4, ad 2.

vel bono plurimorum per opera communis utilitatis. Sic autem excellentia continentiae manifesto splendet.

Quid si coniuges continentiam servent?

137. — Si autem ambo coniuges continentiam mutuo consensu servare et se bonis operibus dicare statuerint, cum commoda et merita utriusque castitatis et utriusque status simul quadantenus coniungant, eorum status statu hominis caelibis in saeculo per se praestantior esse videtur. Observes autem ab his coniugibus bona continentiae plenius quam bona coniugii participari, cum, deficiente carnali commixtione, et, maxime, deficiente prole, minus perfecte se compleant eorumque matrimonium primario fine privetur.

In sancto coniugio Beatae Virginis cum S. Ioseph, bonum istud prolis non desiderabatur cum, contra, excellentissima prole miraculose donati sint. Sed istud iam rationem naturalem transcendit.

Articulus II — Continentiae aestimatio christiana.

Ordo dicendi.

138. — Catholicus continentiae cultus, qui partim ex evangelio et apostolica traditione, partim ex theologorum placitis efflorescit, excellentem virginitatis rationes *laudibus* afficit, *speciali praemio* donatam proponit, ac per studium *angelicae castitatis* ad perfectionem ducit.

Agendum itaque nobis erit: 1. De catholica virginitatis ratione ac merito, ubi etiam virtus virginitatis explicanda erit; 2. De speciali virginitatis praemio seu de aureola; 3. De castitate angelica.

§ 1. — *De Virginitate catholica.*

I. — *De genuina virginitatis catholicae ratione.*

Notio virginitatis physice accepta.

139. — **Virginitas**, omnium consensu, *virorem carnis integrae* seu a libidinoso contagio immunis designat.

Virginitas ista *physice* intellegi potest vel *moraliter*, i. e. in morali existimatione. Quae posterior in *naturalem* et *moralem* dividi potest.

1. *Physice accepta* virginitas designat, latiore sensu, integritatem membri corporalis quae, secundum S. Tho-

MAM (1), per accidens se habet ad virginitatem moraliter intellectam. Sed cum viro nullum signum sit huius modi integritatis, virginitas physice intellecta pressius quidpiam proprium est feminei sexus ; et designat *apparentem* illam corporis integritatem quae in servato sigillo seu claustro virginali consistit.

Quid claustrum virginale?

Quid autem est ipsum claustrum virginale ? Plerique, maxime antiquiores, illud reponunt in *hymene*, i. e. in membrana satis elastica, dimidiae lunae regulariter similis, qua virginis vagina fere ex toto plerumque occluditur (2) : servata ista membrana abstinentiam a *copula* carnali per se probat. Sed potest a nativitate deesse, potest ob alias causas frangi hymen ; et, contra, non semper in primis copulis frangitur. Quare alii claustrum illud in quadam contractione et compressione ponunt qua partes orificii vaginae constringuntur, donec carnali copula dilatatae non sunt.

Ista virginitatis notio nullum in theologia morali usum habet. Attendenda tantum est, ne, claustri ratione deceptus, temere pronunties matrimonium consummatum vel non consummatum esse.

Moraliter accepta

2. Quomodo ad alteram notionem seu virginitatem *moraliter* intellectam perventum sit, iam paucis declarare debemus.

In omnium existimatione, *copula* est ipsissima virginis defloratio qua corporis integritas amittitur. In utroque autem sexu, actus sunt solitarii vel aliena cooperatione procurati, qui per se eandem in singulis operationem dicunt, eandem delectationem subiective afferunt, sed hac ratione a copula differunt, quod copula est usus venereus secundum naturam, qui in statu coniugali honestatur, dum alii isti actus, extra copulam exerciti, malitiam contra naturam addunt atque intrinsece mali sunt.

Ergo necesse est ut, in morali existimatione, per huius modi actus, eodem modo et fortiore ratione integritas corrumpatur, quamvis physice in sequiore sexu subsistere possit.

---

(1) 2, 2, q. 152 art. 1. — (2) Cf. ANTONELLI, *Medicina pastoralis*, I, 199.

Quare ad satiativam copulae declarationem, magis quam ad ipsum concubitum, in aestimanda virginitate respicitur, et moraliter intellecta virginitas definitur : *immunitas a satiativa delectatione.*

Immo non repugnat ut puella nescia et sine copula fecundetur, sicut, teste probatissimo medico, filiae 17 annorum accidit, quae, cum, ad vaginam lavandam, aquam qua prius mater usa erat adhibuisset, sine culpa et voluptate gravida evasit. Aqua continebat serum physiologicum, quod simul membranis, muccosis et diuturniori nemaspermatum vitae secundum est. Talia novit S. Th. Cf. quodl. 6, q. 10.

Virginitas naturalis et moralis.

140. — Porro ista posteriosis rationis virginitas est *naturalis* (1) vel *moralis*.

Naturalis designat illam immunitatem a satiativa delectatione quacum nascimur et quam, sine merito possessam, sine culpa, involontaria pollutione amittimus.

Moralis autem virginitas condicio eius est qui voluntariam copulam vel pollutionem nondum admisit nec admittere vult, saltem nisi nupserit. Moralis dicitur, quia actus moralis « non consideratur per se nisi secundum ea quae sunt animae (2) ».

Moralis ista virginitatis condicio ad virginitatem refertur tamquam pars eius materialis, dum propositum abstinendi perpetuo delectatione satiativa virginitatem formaliter complet (3). Propositum istud enim stabilitatem supponit.

Virginitas virtuosa seu completa.

141. — Ipsa virginitas *virtuosa* esse nequit, nisi omnem castitatis obligationem sibi ratam habeat.

Completa ergo virginitas, quae tot encomiis in Ecclesia effertur, supponit et connotat corporis integritatem *moralem*, et perpetuum propositum servandi hanc integritatem et non *libidinose* peccandi contra castitatem (4).

Quomodo pereat virginitas.

142. — Admissa satiativa copula vel eius delectatione,

---

(1) Cf. Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicae*, c. 2, art. 1. — (2) S. Th. 2, 2, q, 152, art. 1. — (3) S. Thomas, ibidem. — (4) Ita dicimus, quia contra castitatem peccari etiam potest sine ulla delectatione venerea. Puta hominem qui, pecunia conductus, mulieri suadet ut cum altero peccet. Sola autem culpanda delectatio virginitatem attingit.

perit tum propositum virginitatis, tum saltem moraliter ipsa carnis integritas. Haec autem reparari nequit. Hinc dicta Patrum: « Audacter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam (1) ». « Si hoc amittas patrimonium integerrimae castitatis, quamvis illa omnia facias quae dixi, caelumque ac terras, maria et abyssos immensumque aerem pervagata fueris, nulla omnino ratione hoc recuperare iam poteris. Quo enim pacto, quod corruptum semel, incorruptum fiet? Qua ratione, quae cognovit virum, quasi non cognoverit existimabitur (2)? ».

Commissa autem imperfecta luxuria, mentis quidem castitas seu formale virtutis tollitur. Sed, manente carnis integritate, formale virtutis per paenitentiam restaurari potest.

Itaque virginitas modo *irreparabili* et modo *reparabili* perire potest.

Modo irreparabili

Modo *irreparabili* amittitur per omnem concubitum voluntarium et per omnem voluntariam pollutionem: sive in se voluntaria sit ac proin actu exteriore vel interiore excitata fuerit, sive in culpanda causa, *per se* nata hunc effectum habere, imputetur.

Quid autem, si contactus luxuriosus admittatur e quo, nisi aliquid per accidens obstitisset, pollutio oriri debuerat? Moralis pollutionis malitia tunc contrahitur; quia tamen carnis integritas per accidens servata est, arbitramur amissionem virginitatis per accidens non irreparabili modo periisse.

Modo reparabili

Modo *reparabili* amittitur per revocatum propositum virginitatis, v. gr. per intentionem celebrandi matrimonium secundum leges consuetas; per omne peccatum luxuriae mere internum, vel etiam externum sed de se incompletum, etsi pollutio per accidens et praeter intentionem secuta fuerit; per complacentiam in pollutionem praeteritam cuius non fueris causa; immo, ni fallimur, in pollutionem praesentem quae tibi non sit imputabilis (3).

---

(1) S. Hieronymi, epist. 22 ad Eustochium, n. 5 (M. 22, 397). Cf. etiam in Amos, L. 2, c. 5. (M. 25, 1036. 1037). — (2) Basilius, ancyr *De vera virginitatis integritate*, n. 59 (M. P. G. 30, 787. 788). — (3) Diversimode sentit Eschbach, D. 48, c. 2, n. 4.

Non autem amittitur per luxuriam alienam quae tibi ob consilium, permissionem imputetur. Quamvis enim sic peccaveris contra castitatem, libidini tamen nihil per se concessisti (1).

Quid qui ante pubertatem peccaverit?

Quid, si quis, *ante pubertatem*, luxuriam suo modo completam commiserit?

Virginitatem irreparabili modo amissam esse negat CAIETANUS (2), quia puer impar sit seminando; LESSIUS potius affirmat, dummodo puer pleno rationis usu fruatur. Maluerimus distinctione uti; et LESSIO adhaerere si impuber copulae, quamvis sterilis, capax fuerit, CAIETANO vero si copulam facere nequibat.

De monasterio virginum et velanda virgine.

143. — Exsistebant olim *monasteria* virginibus reservata quae Deo solemniter consecrabantur. Cf. in Pontificali romano pulcherrimum ritum (P. 1, post benedictionem abbatissae). Consecratio ista est sacramentale episcopo reservatum.

Velari autem poterat omnis femina quae signaculum virginitatis retinuerat, quamvis solitariae libidini fortasse indulsisset: in facie Ecclesiae remansit virgo. Nullatenus autem velare licebat mulierem quae voluntarium concubitum admiserat, immo neque illa quae invita quidem corrupta fuerat, nisi fortasse res occulta manserat. Res ista disputatur.

II. — *De virginitatis catholicae laude et pretio.*

Sententiae, et positio nostra.

144. — Dum ipsi ethnici religiosi sanctitatem, aliquantisper mysteriosam, virginitatis non ignorarunt, ita ut temporalis Vestalium castitas magno honore in Urbe afficeretur, verus catholicorum christianismus hac etiam nota a pseudo-christianismo distinctus est, quod ille virginitatis pretium minuere et deprimere studet.

Virginitatis detractores.

Iam S. HIERONYMI aetate, IOVINIANUS virginitatem et matrimonialem statum paris seu aequalis meriti apud Deum faciebat, nisi quod virginitas nos coniugalibus molestiis liberaret.

Pseudo-reformatores saeculi XVI virginitatem in ob-

(1) Contra tamen, Ill. WAFFELAERT, n. 123. — (2) In 2, 2, q. 152, art. 1.

sequium Dei excultam, superstitionis arguebant; propter aliud motivum servatam, v. g. ob huius vitae commoda vel faciliorem evangelii praedicationem, non esse per se malam seu reprobandam; inepte tamen facturum qui obligationem virginitatis susciperet vel eam servare conaretur, nisi conscius sibi foret possessi rarissimi doni continentiae. Contra quos exstat canon 9 s. XXIV Concilii Tridentini:

« Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares castitatem sollemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto; et oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum, anathema sit, cum Deus id recte petentibus non deneget, *nec patiatur nos supra id quod possumus tentari* (1 ad Cor. 10, 13) ».

Aequales nostri qui ex adverso stant, virginitatem ut institutum contra naturam ipsa ratione reprobatum asserunt.

145. — Contra hos omnes positivam virginitatis christianae excellentiam sequenti thesi tuemur. *Positio nostra.*

Thesis II.

Virginitas absoluta et perpetua, in se spectata, communi vitae coniugalis rationi longe praeferenda est; quatenus autem ad Deum refertur egregium obsequium continet.

Ut pauca verba explicemus: *in se spectatur* virginitas quae etiam *a voto* proprio dicto *separata* est, simul tamen consideratur secundum statum, non autem secundum actum unde initium sumit: actus initialis in solo matrimonio est sacramentum; — nec secundum finem *extrinsecum*, quo virginitas deprimi, coniugium honestari potest; — nec secundum *personas* statum profitentes: non omnes virgines personas coniugatas perfectione christiana superant.

Absolutam porro dicimus virginitatem, quae non illicita tantum voluptate sed etiam legitimo et in se laudabili usu coniugii abstinet.

Argumenta,

Thesim istam *S. Scriptura, Traditione* et *Ratione* veram efficimus.

Ex Scriptura sacra.

146. — 1. *Ex Scriptura Sacra.*

a) Ex prima ad Corinthios, c. 7, vv. 4-9 et 25-38.

Ex ep. 1 ad Cor.

« 1. De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: — 2. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat et unaquaeque suum virum habeat. — 3. Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. — Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. — 5. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. — 6. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. — 7. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. — 8. Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant sicut et ego. — 9. Quod si non se continent nubant. Melius est enim nubere quam uri. — 25. De virginibus autem praeceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis. — 26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. — 27. Alligatus es uxori? Noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quaerere uxorem. — 28. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. — 29. Hoc itaque dico, fratres. Tempus breve est: reliquum est ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint. — 30. Et qui flent tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt tamquam non possidentes. — 31. Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura huius mundi. — 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. — 33. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. — 34. Et mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt; ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro. — 35. Porro hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis iniciam, sed ad id quod honestum est et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi. — 36. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat. — 37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc iudicavit

in corde suo servare virginem suam, bene facit. — 38. Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam bene facit; et qui non iungit melius facit ».

Hoc loco Apostolus tum viros (vv. 27. 28. 32. 33), tum mulieres (vv. 28. 34), tum patresfamilias (vv. 36. 37. 38.) ordine allocutus, eandem omnibus doctrinam proponit: idest, matrimonium honestum esse, non peccare virum qui uxorem ducat, vel mulierem quae nubat, vel patremfamilias qui, auctoritate quam tunc habebat usus, filiam matrimonio iungat; melius tamen facere qui sibi vel filiae suae virginalem statum deligat. Statum ergo virginitatis supra statum matrimonialem effert. Quam praestantiam iam inculcat, v. 1, verbum καλὸν, ex oppositione ad sequentem sententiam.

Hoc vero tradit S. PAULUS ut *fidelis*, i e. fide dignus, *Apostolus* (v. 25).

Rationes vero addit: instantem necessitatem (vv. 26. 29-32.); libertatem a sollicitudine huius saeculi, sanctitatem corporis et animae, ac facultatem liberius vacandi Deo (v. 32-35).

Omissa ergo prima ratione, cuius difficilem interpretationem hic impune neglegere possumus, Apostolus, qui theologiae professorem non agit sed christianos practice persuadere studet, rationes utilitatis praesentis rationibus quae futuram vitam attinent miscet. Sed maiorem sanctitatem re vera appellari, satis est ut erroris convincantur tum IOVINIANUS, qui propter sola commoda temporalia praeferendam esse virginitatem dicebat, tum, recens, BACHMANN (1), qui *moralem* fieri comparationem inter statum coniugii et statum virginitatis negat.

Ex c. 19 ev. S. Matthaei.

b) Idem colligi etiam potest ex evangelio S. MATTHAEI, c. 19, v. 10. ss.

10. « Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. — 11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. — 12. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere capiat ».

(1) In primam ad Corinthios. Collectio ZAHN, p. 258.

In loco isto Christus, postquam tres species eunuchorum distinxit, tertios, ultroneos, prudenter imitandos omnibus suadet. Idque propter *regnum caelorum*. Quae verba nullatenus, ut nonnulli haeretici saec. XVI volebant, praedicationem evangelii designant, sed spirituale illud regnum Christi ad quod pertinent homines qui, sive per gratiam interiorem hic in terris, sive per gloriosam eius possessionem in caelis, cum Deo coniunguntur (1). Imago autem physicae castrationis, assimulatio ad eunuchos qui necessario perpetui sunt, virginitatem perpetuam seu statum virginitatis clarissime indicant.

Verba demum « Quibus datum est » et « Qui potest capere capiat » inculcant quidem perfectam continentiam esse speciale Dei donum (2), sed, saltem ut ss. Patres illa intellegunt, generalem tamen istius status commendationem exhibent. Testes sint Heronymus : « Proponit ἀγωνοθέτης praemium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissimum fontem et clamitat : « Qui sitit, veniat et bibat (3) ». Chrysostomus : « Ardentiores efficit magnitudine operis ostensa (4) ». Similia habent S. Cyprianus, *De habitu virginum* (5) ; S. Augustinus, in libro de *S. Virginitate*, c. 23 (6); Basilius Ancyr., *De vera virginitatis integritate* (7), ita ut Lessius scribere non dubitarit : « Omnes ad illam (virginitatem) invitat cum ait : *Qui potest capere capiat*, sicut omnes invitat ad finem et doctrinae suae considerationem, cum ait : Qui habet aures audiendi audiat (8) ».

Donum ergo si Dei est, plerisque saltem Deum illud concedere paratus est, dummodo ad illud obtinendum sincere se disponere velint, ita ut impotentia quam Do-

---

(1) Schanz, *Commentarium über das Ev. des* H. *Matthaeus*, dicit motivum illud nobis a S. Paulo explicari 1 ad Cor. c. 7, v. 25-35. Ceterum, in contexta oratione, sermo fit de vita aeterna. — (2) Schanz appellat S. Ignatium, ad *Polycarpum*, 12 ; Tertullianum, *Ad ux.* 2, 9 ; *De pudicitia*, c. 4 ; Clem. Alex. *Paedagog.* 2, 11, 63. — (3) D. 1 contra Iovinianum, n. 12 (M. 23, 228). — (4) Hom. 62 vel 63 in Matth. n. 3 (M. P. G. 57,600). Cf. da sunt etiam vicina verba. — (5) N. 33, M. 4, 463. — (6) M. 40. 408. — (7) N. 56. 57, (M. P. G. 30, 781-784). — (8) *De iustitia*, etc. l. 4, c. *De virginitate*, n. 104.

minus insinuat, de praesenti et proxima, quae auferri potest, potius quam de remota intellegenda sit. Praeterea idem suadetur ex comparatione cum loco Apostoli, ubi etiam virginitas ut proprium Dei donum exhibetur (v. 7), et tamen universaliter commendatur.

Hisque subiungas, Christum nobis in evangelio proponi ut virginem e virgine natum, et speciali dilectione prosequentem apostolum quem ecclesiastica traditio virginem mansisse refert.

Ex traditione.

147. — 2. *Ex Traditione* SS. Patres aperte atque uno ore nostram positionem tuentur, ita ut speciales libros scripserint ad virginitatem commendandam. Neque haeretici illud infitias eunt. Conferri possunt S. CYPRIANUS, *De habitu virginum*; S. AMBROSIUS, *De virginibus*, l. 1; S. HIERONYMUS, l. *contra Iovinianum*.

Tandem Conc. Tridentinum rem definivit s. XXIV, can. 10.

« Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatui, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu quam iungi matrimonio: anathema sit. »

Ex ratione.

148. — 3. *Ex ratione.* Redeunt huc, pro priore parte, argumenta quae etiam, seclusa supernaturali consideratione, rationi perspecta sunt. Cf. dicta n. **136.**

Sed praeterea, ut ostendamus quam gratum obsequium sui *Christiana virgo* Deo offerat:

Praesertim ex supernaturali consideratione.

Carnis suae *integritate* symbolum est corporis incorruptibilis, cuius resurrectionem ab Apostolo sperare docemur: « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem (1) ». Unde pulcherrima ista dicta a S. AUGUSTINO: « Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio » (2).

Mente, qua virgo servitutem materialem et bona huius saeculi contemnit, spiritualem animam testatur et demonstrat.

Exclusione amoris terreni fidelissimam se exhibet Christo, qui mystico conubio naturam nostram sibi desponsavit.

---

(1) 1 ep. ad Cor. 15, 53. — (2) *De sancta virginitate*, l. unus, c. 13 (M. 40, 401).

Apostolus, dum ardenti affectu optabat christianos tamquam « uni viro virginem castam exhibere Christo (1) », nonne ipsa imagine qua utitur insinuat vota sua a virgine quae virginitatem suam Christo mancipat perfecte impleri? Quam mancipationem Christo factam monumenta christiana testantur in virginibus quae, quia Christo nuptae erant, alios amatores repellebant ; et in reprobatione qua S. Cyprianus corruptam virginem obiurgabat quod esset Christi adultera (2). Iam S. Athanasius memorat morem esse Ecclesiae ut sacrae virgines *sponsae Christi* dicantur (3). Amorem istius sponsi, una cum humilitate, Augustinus maxime commendat in fine libri *de sancta virginitate* (4).

Perfecta sua puritate, virgo vitia corrupti saeculi compensat et quasi redimit.

Fuga labis quae corpus maxime maculat speciali honore prosequitur Spiritum Sanctum cuius templum est. « Per virginitatem integritas carnis ipsi Creatori animae et carnis vovetur, consecratur, servatur (5) ».

Abstinentia a concubitu angelos aemulatur (6).

Abdicatione prolis propriae se parat ad sanctam fecunditatem boni operis, cum caritatis in Deum, quem, teste Apostolo, sine impedimento obsecrari potest (7), et cui soli placere ipsi integrum est (8) ; tum caritatis in proximum : sive evangelicam praedicationem, quod viri potissimum possunt sive evangelicam misericordiam exercendo.

Sic intellecta virginitas caelestem visionem in terris procurat ; castis cum Christo nuptiis et vitae tenore re-

(1) 2 ep. ad Cor. 11, 2. — (2) Ep. 62 (M. 4, 370). — (3) *Apol. ad Constantinum* (M. P. G. 25, 639). — (4) (M. 40, 428). « Si ergo magnum amorem coniugibus deberetis, eum propter quem coniuges habere noluistis, quantum amare debetis? Toto vobis figatur in corde qui pro vobis est fixus in cruce: totum teneat in animo vestro quidquid noluistis occupari conubio. Parum vobis amare non licet propter quem non amatis et quod liceret. Sic amantibus mitem et humilem corde nullam vobis superbiam pertimesco... tanto quisque caveat ne superbia decipiatur, quanto sanctius ali quid profitetur ». (cc. 55 et 56). — (5) S. Augustinus, *De sancta virginitate*, c. 8 n. 8. (M. 40, 400). — (6) S. Augustinus, *De sancta virginitate*, ibidem. — (7) 1 ep. ad Cor. 7, 35 — (8) Ibidem, 7, 32.

praesentat et continuat personam Immaculatae istius Virginis quae magis proprie sponsa Verbi dici potest ; et homines invitat ne carni serviant sed ad sublimia enitantur. Quid nobilius, quid sanctius ; quid humano generi utilius ; quid laetius pro S. Ecclesia institui potest ? « Gaudet per ipsas (virgines) atque in illis floret Ecclesiae matris gloriosa fecunditas. Quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit » (1).

Difficultates revincuntur :

149. — Superest ut, hoc loco, paucis dissolvamus difficultates quae nostrae positioni opponuntur, sive ipsi continentiae adversentur, sive praestantiam status continentiae impugnent.

Potentia omnibus data,

1. Potentia quae per se singulis concessa est actu suo bono frustrari non potest.

R. Assertum istud negamus, nisi potentia singulis ita concessa sit ut singuli ea utantur ad operandum. Observes, in isto generationis ordine, vires physicas singulis tributas esse maiores quam quae adhiberi possint. Singuli autem homines ad exercendam istam potentiam non ordinantur. Nonne inter ipsos adversarios sunt qui hominibus infirmioris condicionis nuptias vetant ? Et quis iuniorem viduum vel viduam obliget ad alteras nuptias contrahendas ? Si tamen potentia singulis inesset ut singuli ea uterentur, quatenus adest a singulis exerceri deberet.

Necessitas doni continentiae,

2. Universale consilium continentiae dari non potest, sed iis reservandum est qui recepti doni continentiae sibi conscii sint.

R. Ultro quidem concedimus plures esse quibus, ob nimias concupiscentias, propositum virginitatis saltem hic et nunc suadendum non sit : ipse Apostolus exemplo praeivit dicendo : « Volo ergo iuniores (viduas) nubere (2) ».

Consilium tamen in universum dari potest, nec exspectanda est positiva peculiaris doni conscientia, quam quis ex subiectiva revelatione (ut Protestantes volebant) hauserit. Huius modi enim revelationes ex ordinaria divinae Providentiae lege non conceduntur ; universale autem consilium ab Apostolo et a sanctis Patribus datum est. Ca-

(1) S. Cyprianus, *De habitu virginum* (M. 4, 443). — (2) 1 ep. ad Tim. 5, 14.

tholica enim de continentiae dono traditio haec est, ut « Deus in recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari » (C. Trid. s. XXIV, c. 9).

Quare verba, supra citata, « Qui potest capere capiat » non tam de facultate exsequendi quam de facultate concipiendi efficax propositum, per practicam persuasionem doctrinae Salvatoris, intellegenda nobis videtur. Tam multi enim, vel inviti, actu sunt caelibes, ut facultas exsecutionis multis praesto esse debeat. Sic etiam divitiis carere non est adeo difficile; iis autem, ex sancta persuasione de earum vanitate, renuntiare, valedicere, res est paucorum et donum Dei.

Verba « Crescite et multiplicamini »;

3. Verba Genesis, c. 1 « Crescite et multiplicamini » ordinationem divinam et praeceptum continere videntur.

R. Verba haec, ut contexta oratio probat, benedictionem directe continent; simul tamen manifestant ordinationem divinam, sed quae eo modo quem finis exigit servanda est. Qui finis singulos in initio tantum ligavit.

Bona quae matrimonium mundo affert,

4. Status matrimonialis virginitati praeferendum est, cum plus boni mundo conferat. Procurando enim prolem, omnia bona quae in mundo esse possunt velut in radice tribuit.

R. Ut status melior dicatur, oportet ut bonum conferat vel formaliter melius vel cuius necessitas fundamentalis actu sit urgens. In sensu autem diviso a necessitate illud procurandi, bonum quod necessarium est tamquam praerequisitum fundamentum, meliorem statum constituere nequit.

Sin minus, inferioribus rebus, quae excellentioris boni condiciones esse solent, perpetuo primas dare deberemus: qui corpus nutrit magis qui animam pascit aestimandus foret; qui telam et colores parat magis quam qui tabulam pingit.

Ratio autem intimior est, quia iusta rerum aestimatio non ex sola necessitate, sed etiam ex raritate pendet. Unde cum bonum secundum se magis necessarium, magna copia praesto est, opera eius qui bonum istud praebet non est magis necessaria quam opera illius qui procurat altioris ordinis bonum, cuius, utpote rarioris, procuratio magis necessaria evadit.

Praestantia ergo status minus ex bono circa quod versatur quam ex operis ad qnas faciendas inducit diiudicanda est.

Praeterea, ut vitium argumenti demonstremus, qui status bonum procuret *mundo* formaliter melius, stricte secundum quid tantum, id est *mundo* melior dici possit. Supra mundum enim cum sit Deus, status quo bonum divini ordinis procuretur melior dicendus est statu quo bene esse mundo procuretur. Quamquam, cum mundus sit propter Deum, is qui in mundo maiorem Deo laudem procurat ipsi mundo praestantius bonum conferre dicendus est. Virginitas itaque bonum formaliter maius mundo procurat. Exculta enim propter suum ordinarium caritatis divinae aut religionis motivum, tribuit mundo bona quae respiciunt mentis cultum, nobiliorum virtutum, nominatim caritatis et zeli, exercitationes, et honorem divinum. His bonis profecto mundus non minus quam prole eget.

150. — III. *Quaestio conexa de virtute virginitatis.* *Sententiae de virtute virginitatis.*

Post laudes virginitati tributas, quasi ultro se offert quaestio ista examinanda, utrum virginitas speciali virtute colatur an eius cultus ad alias virtutes ascribenda sit.

In qua re auctores dissentiunt. Plures, ipsis verbis S. Thomae (1) innixi, specialem virtutem virginitatis esse contendunt, saltem, ut plerique volunt, postquam voto firmata est: sic Caietanus (2), Billuart (3), Ill. D. Waffelaert (4), R. P. Eschbach (5). — Sylvius opinabatur virginitatem etiam sine voto ad virtutem specialem pertinere (6).

Cum Lessio (7) et Palmieri (8) hanc thesim statuimus :

---

(1) 2, 2, q. 152 art. 3. — (2) In citatum locum S. Thomae. — (3) *De Temperantia*, dissertatio 4ª, art. 31. — (4) *De virtutibus cardinalibus*, n. 1. 126. 127. — (5) *Disp. phys. theol.* Propos. 3.— (6) In 2, 2, q. 152 art. 3. — (7) L. 4. c. 2, n. 99-101. — (8) *Opus theol. mor.* tom. 2, tr. 6, n. 1045.

Thesis III.

151. — Nulla est specialis virtus virginitatis, cum virginitas castitatem ab intrinseco vel ab extrinseco mere perficiat, ac proin ab ipsa castitate vel a virtute ex cuius motivo virginitas colitur non distinguatur.

Positio nostra. Itaque, cum dicimus, virginitatem esse perfectionem castitatis, virginitati tribuimus excellentiam quae vel ex ipsa castitatis ratione manare vel ad superadditam virtutem pertinere potest.

Rei enim difficultas id efficit, ut perraro, fortasse numquam, virginitas perpetua propter ipsam castitatis pulchritudinem exerceatur. Verum ex altiore caritatis vel religionis virtute homines ad illam colendam moventur.

Argumentum. Sic explicatam nostram propositionem hoc modo veram demonstramus. Virginitas, considerata ut virtus, corporis integritate ut elemento materiali, et proposito servandi istam integritatem ac fugiendi omnem labem veneream, tamquam elemento formali componitur. Cf. supra dicta, n. **139. 142.**

Age porro, voluntaria corporis *integritas* fructus est observatae castitatis. Hanc ergo connotat. *Propositum* autem, ut formale elementum virtutis esse possit, in aliquam honestatem intendere debet. Haec porro quaenam erit, nisi maior victoria de concupiscentia: quod castitatem intrinsece perfectiorem signat; vel augmentum devotionis, amoris divini aut aliquid simile: quod pertinet ad religionem, ad caritatem, etc. Frustra autem rationem virtuosam quaesieris quae virginitatis sit propria. Ergo virginitas est castitas ab intrinseco vel ab extrinseco perfectior, non autem nova virtus.

Confirmatio. Positio confirmatur difficultate quam adversarii multo sudore solvere conantur.

Nulla virtus sine peccato amittitur, dum virginitas per matrimonium regulariter amittitur. (Regulariter, inquam, quia si cautio sumpta sit usum iuris prohibens,

propositum matrimonii proposito virginitatis contrarium non erit).

152. — Nec dicas cum BILLUART (1), virginitatem secundum suum formale servari a coniugatis, fere sicut pauper magnificentiam et beatus in caelis fidem animo retinere possunt. Etenim ipsa coniugum *voluntas* formale contrarium admisit. Virginitas enim prius formaliter, per propositum consummandi matrimonium, periit, quam materialiter in corpore per admissam delectationem carnalem. *Satisfit difficultatibus.*

Nec, quamvis verbis S. THOMAE inhaereat, felicior est evasio CAIETANI, quem Ill. D. WAFFELAERT sequitur, idest virginitatem ex voto tantum fieri virtutem specialem, sic autem sine peccato non amitti.

Permittamus posterius hoc assertum. Quo pacto actus religionis, seu votum, non tantum religionis speciem adderet, sed etiam rationem castitatis essentialiter mutaret, ita ut peculiaris species temperantiae evaderet? Hoc nos et multos fugit.

Quid, quod, stricte loquendo, etiam voto firmata virginitas sine peccato cessare potest, ut si dispensatio voti obtenta sit? Qui autem simplici castitatis voto astrictus matrimonium contrahit et consummat, contra religionem quidem, non autem contra castitatem peccarit.

Neque, cum BILLUART, argui potest ex speciali virginitatis difficultate, quae specialem virtutem postularet. Peculiaris enim virginitatis difficultas non est ordinis diversi a castitate sed maior eiusdem ordinis dicenda est. Et cum difficultatem exsequendi propositum virginitatis minorem per se experiantur religiosi et addicti continentiae, quam coniugati in servanda continentia quae ipsis, durante coniugio vel post matrimonium, imponitur, si ratio BILLUART valeret, etiam castitatem viduarum, impeditorum, ad specialem virtutem referre deberemus: quod nemo sane probaverit.

153. — Quomodo tamen Angelicus Doctor haec scribere potuit: « Ubi est specialis materia boni, habens specialem excellentiam, ibi invenitur specialis ratio virtutis. Et ideo virginitas est quaedam specialis virtus (2) » ? *Difficilis locus S. Thomae.*

(1) *De temperantia*, d. 4, art. 3. — (2) 2, 2, q. 152 art. 3.

Verba S. THOMAE ex corpore articuli explicanda nobis videntur. Ibi formale virginitatis reponit in proposito « quod laudabile redditur ex fine, in quantum scilicet hoc fit ad vacandum rebus divinis ». Haec intentio ad virtutem religionis manifesto pertinet. Quod si ita res se habent, S. THOMAS virtutem virginitatis non dicit specialem nisi quatenus a castitate re vera distinguitur, idque per motivum excellentioris virtutis, propter quod virginitas plerumque colitur. Quare nec LESSIUS nec BALLERINI-PALMIERI existimant se sancto Doctori per suam de virginitate sententiam repugnare.

§ 2. — *De speciali praemio christianae virginitatis, seu de aureola.*

I. — *De aureolis in universum.*

Aureolae notio.

154. — Praeter essentiale caelestis beatitudinis gaudium, praemia etiam accidentalia sanctis destinari satis in comperto est. Etenim operi bono quod, ut caritate informatum est, praemium essentiale iis qui cum Deo per visionem beatificam coniuncti sunt meretur, inesse etiam possunt tituli ad honores et gaudia quae essentiali superadduntur.

Iam vero, aureola huius modi praemium accidentale designat, non qualecumque, « sed illud quod habet quandam praerogativam et dignitatem, sicut et opus cui respondet (1) ».

Aureola ergo, cum S. THOMA, describi potest: « *Privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens* (2) ».

Praemio isto mens proprie fruitur, sed decor quidam in ipsum corpus ex illo gaudio diffunditur.

Verbum autem *aureolae* S. Doctor dictum putat, quasi parva sit aurea (corona); dum *aurea* praemium essentiale designaret.

Quotuplex aureola.

155. — Triplex porro a theologis aureola distinguitur: *martyrum*, *doctorum* vel *praedicatorum*, et *virginum*.

---

(1) S. BONAVENTURA, in 2 sent. d. 40, art. 2, q. 3, ad ult. — (2) Suppl. 3 Partis, q. 96 art. 1.

Doctrina ista fundatur specialibus encomiis quibus martyrium, praedicatio verbi Dei, et virginitas in sacris litteris afficiuntur.

Martyres quidem insigne istud documentum amoris Christo dant, quod Ipse his verbis reddidit: « Maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis (1) ».

Praedicatores verbi Dei insigni modo implent quae Christus postulavit dicendo: « Docete omnes gentes (2) ». Quantum autem apostoli ministerium verbi fecerint, testantur electio diaconorum ne ab isto ministerio apostoli distraherentur (3), optio qua PAULUS praedicationem evangelii muneri baptizandi anteposuit (4); necessitas praedicationis, his verbis affirmata : « Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. — Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt ? Aut quomodo credent ei quem non audierunt ? Quomodo autem audient sine praedicante (5) »?

Quibus autem laudibus virginitas extollatur modo vidimus.

Quo titulo conferatur.

156. — Quonam autem formali titulo praemium istud tribuatur, non constat. Alii aliter opinantur. S. BONAVENTURA (6) excellentem *exercitationem* triplicis vis animae ibi considerat. Habetur enim « secundum *rationalem*, praedicatio veritatis perducens alios ad salutem; secundum *concupiscibilem*, per integritatem perpetuam continentiae virginalis, secundum *irascibilem*, perpessio mortis ad honorem Christi ».

S. THOMAS (7) specialem *victoriam* in singulis detegit: quam virgines in pugna contra *carnem*, martyres in pugna contra *mundum* usque ad mortem eos persequentem reportant, « in pugna vero qua contra *diabolum* pugnatur, illa est praecipua victoria, cum aliquis hostem non solum a se sed etiam a cordibus aliorum removet, quod fit per doctrinam et praedicationem ».

Alii, et fortasse melius, in iisdem observant speciales rationes *imitandi Christum*, qui coluit et principali amore virginitatem dilexit: qui doctor et praedicator veritatis fuit: « In hoc natus sum,

---

(1) Ev. S. Ioann. 15, 13. — (2) Ev. S. Matth. 28, 19. — (3) Act. 6, 2. 4. — (4) 1 ep. ad Cor. 1, 17. — (5) Ep. ad Rom. 10, 13. 14. — (6) *Breviloquium*, 7, 7. — (7) Suppl. 3 Part. q. 96 art. 11.

et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati (1)»; et qui rex martyrum occubuit.

In singulis etiam specialis *affectus ad Christum* demonstratur. Martyres *vitam* pro Christo profundunt; praedicatores Christo *usum* vitae Ei *effective* dicant; virgines cor suum seu vitam *affectivam* Christo reservant. Id est, brevius: martyres sanguinem, praedicatores operationem, virgines affectum Christo consecrant.

Aureolarum ordo.

157. — Hoc denique ordine aureolae numerantur, ut prima sit aureola martyrum, altera, aureola praedicatorum, tertia, aureola virginum.

II. — *De aureola virginum.*

De loco Apocalypsis, 14, 3-5.

158. — Quaeres in primis qnisnam usus fieri possit Apocalypsis, 14, 3-5, ad aureolam virginum demonstrandam?

Verba haec sunt: « Et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quattuor animalia et seniores; et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quattuor millia qui empti sunt de terra. — Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus, primitiae Deo et Agno; et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei ».

Plures SS. Patres (2) et recentiores interpretes verba ista de virginibus proprie dictis intellexerunt.

Nihilominus interpretatio tropologica praeferenda videtur. Virgines enim vocantur ibi ipsi viri; et ii esse dicuntur qui cum mulieribus non sunt coinquinati: quempiam usu coniugii inquinari aegre dixeris, et a modo loquendi SS. Scripturarum id prorsus alienum foret. Itaque, nomine virginum designantur hic quotquot a mundi contagio, praecipue ab impuris amoribus immunes se servarunt. Cum autem saepe idololatria nomine adulterii (impuri amoris) appelletur, virgines proprie esse videntur quotquot Christi fideles probati sunt, ita ut in eorum ore

---

(1) Ev. S. Ioann. 18, 37. — (2) S. Cyprianus, *De habitu virginum*, c. 4 (M. 4, 44); S. Hieronymus, ep. 22 ad Eustachium, n. 41 (M. 22, 424. 425), et l. 1 *contra Iovinianum*, n. 40 (M. 13, 269); S. Augustinus, *De sancta virginitate*, c. 27 (M. 40, 410).

mendacium apostasiae repertum non sit, et ab idolorum cultu et corruptione remoti manserint.

Non ideo tamen difficilis iste locus nobis inutilis fit. In eo enim virgo tamquam typus puritatis et fidelitatis Christo servatae nominatur. Praeterea, praemium accidentale essentiali additum describitur cum cantico isto quod, etiam in caelo, non omnes cantant; tum individua illa societate cum Christo, quem privilegiati sequi possunt quocumque ierit; qualitate demum qua primitiae sunt Deo et Christo selectae.

Virginalis aureola undenam constat

Virginalis autem aureolae demonstratio potius ex evangelica continentiae commendatione, ex Patrum et theologorum persuasione, et liturgico usu quo Ecclesia recitata verba Apocalypsis ad virgines transfert, repetenda est.

Aureolae condiciones.

159. — Cum Deus, provisor sapientissimus et rerum iustissimus aestimator, homines ad opus laudabile, proposita mercede, allicere vult, necessario seligit opus in nostra voluntate (accedente Eius gratia) per se positum, ne frustra nos invitare videatur; quod opus dein exigit ut re vera fiat, idque ex formaliter bona intentione: actum enim humanum coronat. Gratis autem, sine positivo indicio, nova condicio adderetur. Opus enim cui Deus praemium coniunxit, si recta intentione fiat, ut dignum suo praemio consistit.

Porro, ex primo capite, defectus *physicae* integritatis virginali aureolae officere nequit.

Ex altero capite, exigitur ut, quantum in nostra potestate est, ipsa carnis integritas *moraliter* adsit; idest, ut nulla delectatio venerea completa voluntarie admissa fuerit. Ut vidimus enim, immunitas ista est elementum materiale in virginitate moraliter considerata. Cfr. n. 140.

Estne votum necessarium?

Ex tertio capite, requiritur ut integritas ista adsit non per accidens, sed per se, ex intentione quae sit laudabilis.

Ergo, carnis integritas, coniuncta cum proposito perpetuae virginitatis, seu cum mentis integritate, requisitas et sufficientes aureolae condiciones continet.

De istis condicionibus theologi consentiunt, nisi quod

quidam praeterea necessitatem *voti* inducunt. Quae necessitas iam inde excluditur, quod votum istud rationi virginitatis extrinsecum est.

Itaque, dum *perpetua corporis* integritas requiritur, satis est ut *mentis* integritas in hora mortis recuperetur, cum propositum, sicut vidimus, restitui possit. Datne autem ius ad aureolam intentio virginitatis tunc primum concepta cum, desperatis rebus, hora adest qua, ipsa necessitate pressi, fideles omnes, ut quidam aiebat (1), professionem religiosam faciunt: id nobis valde incertum et potius negandum videtur.

Quid de *infantibus* dicendum est qui, sine pugna, immaculati mortui sunt? Consequenturne aureolam? Id in controversiam venit, quae, deficientibus argumentis, solvi nequit.

Aureolae amissio.

160. — Age iam de virginali dignitate deiciuntur et spe aureolae privantur quotquot vel semel appetitum venereum satiarunt, seu quotquot virginitatem modo irreparabili emiserunt. Cf. quae supra dicta sunt, n. 142.

Detrimenta quae virgo ex primo concubitu patitur.

161. — Itaque, in primo concubitu, virgo triplicem corruptionem patitur: alia est *corporalis* tantum, ex fractis pudoris claustris; alia, *spiritualis* et *corporalis*, ex delectatione quae in sensu generatur; tertia demum, mere *spiritualis*, ex hoc quod ratio huic delectationi se subicit. Cf. S. Thomam, in 4 Sent. d. 35, q. 3, art. 1.

§ 3. — *De Castitate angelica.*

162. — Hactenus de *essentiali* virginitatis ratione egimus. Studium autem virginitatis in *perfectionem* dirigi potest, i. e. in excellentem possessionem boni virginitatis et perfectiorem angelorum imitationem.

Angelicae castitatis notio.

Iam vero, angeli: 1) Carnalem voluptatem non experiuntur; 2) Affectu mentis ab illa quaerenda plane alieni sunt; 3) Contagium vitiorum et seductionem illecebrarum timenda non habent.

---

(1) Ill. D'Hulst. Cf. eius vitam scriptam ab Ill. D. Baudrillart

Itaque **angelica castitas** complectetur :

1. Sanctitatem *mentis*, quae sincere et plene omnem affectum a carnali voluntate solutum servat ;

2. Sanctitatem *corporis*, quatenus, quantum decet et copia habetur, studiosus angelicae castitatis positivo conatu se a carnali motu expertem praeservare conatur ;

3. *Immunitatem a contagio* corruptionis saecularis vel completae vel etiam inchoatae, ita ut qui illam castitatem profitetur sine periculo cum hominibus conversari eosque adiuvare possit. Quo magis autem vis et ars seductionis occasione et forma multiplices fuerint, eo magis angelica castitas gloriosa erit.

perfectio,

163. — Ipsa angelica castitas ad fastigium quoddam pervenire videtur, cum, repudiata omnis sensus servitute, mens nulla delectatione *sensibili*, qua tali fruitur. Scilicet, unitas compositi humani id efficit, ut mens possit propria sensuum delectatione gaudere, rursus autem ad sua etiam gaudia sensum veluti trahere et tamquam administrum adhibere. Sic visus usum spiritualem habet, quando nobis elementa suppeditat quibus pulchra miremur, Deumque in suis operibus laudemus.

Quando sensus hoc modo ad nobiliores animi affectus cooperantur, animus autem nulla iam sensibilia inferiora quaerit, homo ad splendidam unitatem pervenit, disponit se ad induendum corpus illud spirituale de quo Apostolus (1), non iam trahitur ad diversa, partim sursum partim deorsum, sed omnis ad Deum usque ascendit, ita ut sua unitate et affectuum directione angelos maxime aemuletur.

Nonne sublimitatem istam mystici testari videntur, cum de visu, tactu, auditu, olfactu, gustu mystico loquentes, mysticum quinque sensuum exteriorum usum affirmare non dubitant ?

studium seu acquisitio.

164. — Angelica porro castitas fructus est tum *modestiae* quae, sollicitudine sincera, non tamen anxia vel scrupulosa, ea fugit quae libidinem vel leviter commovere possint nisi *vera* (2) caritatis ratio et intentio iustam cau-

(1) Ep. ad Cor. 15, 44. — (2) Non ementita illa cuius colore concupiscentia suas fraudes et artes obducit.

sam dederit et ipsum periculum commotionis minuerit; — tum etiam intensae voluntatis amandi Chistum et Christum praedicandi: sic iam S. HIERONYMUS virgines hortatur ut vi qua Christum ament difficultates superent (1), et S. AUGUSTINUS, ut vidimus, n. 148, librum de sancta virginitate simili hortatione concludit; tum *filialis devotionis* erga illam quae, ab initio, virginibus tamquam exemplar proposita, ab Ecclesia *Virgo virginum* appellatur, et cum suo praesidio tum sua intercessione candidissima lilia in Ecclesia multiplicavit.

Deus denique Ipse sanctos electorum conatus privilegio interdum coronat, quo tentationibus et stimulis carnalibus liberantur.

Virginitas hoc modo completa et Deo in perpetuum consecrata, pulchritudine puritatis, ordinis et directionis versus Deum maxime fulget: communi castitati sicut magnificentia liberalitati iure ac merito a S. THOMA comparatur (2, 2, q. 152, art. 3, c.).

ARTICULUS III. CONTINENTIAE AESTIMATIO NEO-PAGANA.

Duae scholae.

165. — Aequales nostros, a fide alienos, qui de rebus sexualibus scribunt vel consilia dant, pro hac quaestione non minus ac pro superioribus ad duas scholas ascribere possumus.

Placita naturalistarum.

1. Prior schola his fere principiis utitur, vel potius hoc modo principia repudiat. Negat enim ullas leges morales esse quae functionis sexualis propriae sint. Quae tradi consueverint superstitioni, arbitrariis usibus, iisque plurima hypocrisi vitiatis tribuendas esse.

Audiatur LALANDE: «Il faut reconnaître qu'il n'y a point de moralité proprement sexuelle; et que tout ce qui peut être légitimement prescrit en cette matière se ramène soit à des règles d'hygiène, rendues morales indirectement par les principes de tempérance et dignité, soit à l'application entre les hommes et les femmes des règles générales de sincérité, de justice et de bienveillance,

(1) Ep. 22, n. 40 (M. 22, 423. 424).

soit enfin au respect provisoire des lois existantes, lors même qu'on travaille à en obtenir le changement (1) ».

Omnia ergo revocanda esse contendunt ad generalem legem qua homo sibi et aliis nocere vetatur, et sibi et etiam speciei humanae consulere debet. Cur autem homo illud facere prohibeatur, istud praestare debeat, dicere prorsus omittunt, ita ut generalis ipsorum lex una cum specialibus quas negant nutare videatur.

Itaque in egoismo, quatenus illum rationabilem volunt, et in quodam « altruismi » genere, vestigia moralis considerationis servant. Sensu quopiam dignitatis humanae etiam moventur, ut *venalia* commercia sexualia vehementer damnent, cum vacua sint amore.

Continentiam autem perfectam iuvenis qui satis adolevit vel hominis maturae aetatis, tamquam contrariam naturae, frequenter noxiam, et humanas vires transcendentem, omnino reprobant.

Hac quidem ratione libidini sexuali imperandum dicunt, ut satisfactio opportune differatur, ne corpori noceat ; et ut satis moderate sumatur, ne labor communitati utilis impediatur. Volunt quoque ut vitetur generatio prolis infirmae vel vitiatae, aut quam parentes congrua cura instituere nolint vel nequeant.

His praestitutis, de cetero omnia honesta esse. Nullam causam assignari cur appetitum sexualem magis quam alium quemlibet appetitum erubescamus. Nullam ergo reprehensionem in illum incurrere qui moderatae masturbationi indulgeat, qui temporale commercium sexuale paciscatur, qui animalibus ad sedandam libidinem utatur.

Immo, cum vitiati corpore vel instinctu homines omnino impediendi sint ne prolem degenerem procreent, sterilitatem ipsis imponendam esse.

Nec iniustam fore legem qua castrationem subire cogerentur.

Quod autem in vita civili mulier quae extra matrimonium concepit vel peperit et filii illegitimi quandam infamiam patiantur, id indigne ferunt.

Practica consilia his regulis accommodata huius scho-

(1) André-Lalande, *Essai de catéchisme moral.*

lae asseclae tradere non dubitant. Sunt tamen qui, propter periculum morbi venerei, illicita commercia sexualia commendare vereantur. Quare quidam, nomine COUVREUR, auctor fuit ut institueretur domus peculiaris, ubi mulieres sanae, ea aetate ubi, quamvis menstruo iam fluxu destitutae sint, non tamen sine illecebris sunt, iuvenibus satisfacere paratae sint.

Ad huius modi scholam pertinent FOREL in Helvetia, NYSTROEM, in Suecia, CARPENTER, in Anglia, IVAN BLOCH, in Germania (1).

Placita scholae honestioris.

2. Altera vero schola honestatis iura sarta tectaque esse vult. Quare priorem scholam acriter interdum impugnat. Contendunt continentiam esse possibilem, idque praedicandum esse addunt. Nec inter illos desunt qui vulgarem opinionem carpunt quod duas leges morales (*la double morale*), severiorem feminis, benigniorem seu potius laxiorem viris proferat.

Sic FÉRÉ, SEVED RIBBING, GOOD, HEGAR (2).

Schola honestior cum priore in hoc consentit, quod iis qui perversos instinctus habeant nuptiae minime suaderi possint; in remediis positivis indicandis inter se differunt.

Haec pauca demus ex FÉRÉ: « La victoire est aux plus chastes... La civilisation a pour effet général de soumettre les instincts à la volonté. L'éducation a pour but la capacité de maîtriser les instincts: c'est elle qui élève les hommes au-dessus des animaux... L'entraînement des invertis à la chasteté est l'indication fondamentale de leur éducation. Les tentatives de redressement de l'instinct sexuel ne peuvent aboutir qu'à faire de l'inverti un débauché ou un mari malheureux, tandis que par la chasteté, il peut tendre aux buts les plus nobles. Il doit apprendre qu'on ne sert pas seulement la société en lui donnant des enfants : nombre d'hommes des plus utiles à l'humanité ont vécu dans le célibat et dans la chasteté. On a pu dire que le génie est célibataire (3).

Cum posteriore schola nobis luctandum non est, cum contra, utiles nobis defensores praebeat quo melius, etiam

---

(1) Opus eius versum est italice a Prof, CARRARA, hoc titulo: *La vita sessuale dei nostri tempi*. Torino 1912 — (2). Plures alii citantur in egregio opusculo Professoris Universitatis Leodiensis FRANCOTTE: *De quelques points de morale sexuelle dans ses relations avec la médecine*. Louvain, 1907. — (3) *L'instinct sexuel*, pp. 12. 26. 28. 285.

nomine verae scientiae, castos mores tueri ac practice urgere possimus.

Quaenam schola impugnanda sit.

De prioris autem scholae placitis duo tantum, praeter quae nihil probabile afferunt, nobis attingenda sunt. Altero contendunt perpetuum caelibatum crimen esse contra naturam; altero volunt ut, omni iuris distinctione sublata, mulier quae extra matrimonium genuit et proles quae extra matrimonium nata est eodem loco quo proles et uxor legitima habeantur.

Positio nostra.

Contra ipsos duas theses ponimus, quarum prior sic effertur:

Thesis IV.

Natura caelibatu perpetuo minime offenditur.

Defensio caelibatus perpetui.

166. — Positio ista iam ante probata est ubi statum caelibatus matrimonio comparavimus. Cf. n. 145. Summatim tamen dicta repetere non piget, ostendendo nihil sive ex physica instrumenti potentia, sive ex ultronea atque inutili apud caelibes seminis egestione, sive ex naturali actus appetitione ad improbandum caelibatum colligi posse.

Physica enim *praesentia* et potentia instrumenti, facultatem singulis datam non autem obligationem per se denotant. Atque hic observandum est, instrumentum singulis dari incompletum, cuius rectus usus liberum alterius personae consensum postulat.

Inutiles autem *seminis eiectiones* etiam inter coniuges multae sunt. Immo si quis sterilem duxerit, omnes frustraneae (quod ad prolem gignendam) erunt. Quare nemo eum improbare potest qui propter maius bonum utili seminatione abstineat. Nonne ceterum adversarii velint homines infirmioris valetudinis omnes per ipsas leges nuptiis arcere?

Appetitio demum naturalis utilitatem et honestatem actus coniugalis non autem naturale singulorum officium probat. Etenim, fueritne propensio signum officii, quoties-

cumque illam experimur? Tale quidpiam ineptum nemo hactenus protulit: effrenatae libidinis praeceptum tunc daretur. Quod si interdum tantum propensio officium demonstret, aliunde ergo, i. e. ex fine, casus isti aestimandi erunt. Et cum sine singulorum obligatione finis plane obtineatur, immo eo modo qui ad bonum generis humani magis confert attingatur, obligationem singulorum iure ac merito negamus.

Nec propensio ista impossibilem demonstrat caelibatum, quem tot homines ut perpetuam vitae condicionem ultro atque honeste acceptant, et quem natura optat ut plerique tolerent ea aetate ubi, aestu iam ferventes, nondum tamen matrimonio plene maturi sunt.

Ut iam alteram conclusionem proponamus ita dicimus:

Thesis V.

Defensio privilegiorum legitimi tori et legitimae filiationis.

167. — Quamvis mulier quae ex fornicatione peperit, titulum ut ipsi magis indulgeatur in ipsa maternitate possideat, nec illegitima proles poena proprie dicta plectenda sit, lex tamen communicationis mutuae honoris et ignominiae (1), fundata in natura et saluberrima, postulat ut mulier ista et proles humiliorem inde locum in civitate obtineant.

His verbis non negamus miseras istas personas nimia infamia affici posse. Quae mulier, admisso peccato, naturam tamen violare noluit et onera maternitatis ultro assumit, culpam suam, hodie praesertim, iam ex parte generose reparat, et multa misericordia digna est.

Omnino etiam eos probamus qui id obtinere aptis legibus conantur, ne seductor iam impune abire possit et nihil ad alendam prolem suam conferre debeat. Ambo enim qui peccarunt aeque rei sunt; magis autem reus est qui principalis auctor culpae fuerit.

Immo nimium esse iudicamus ut mulier quae semel peccavit inde perpetuo dedecori subiaceat.

(1) *Loi de solidarité.*

Verum simul oportet ut legitimo toro sua iura ac positiva privilegia maneant.

Natura enim seu Deus homines lege mutuae dependentiae alios aliis, maxime filios parentibus, obstrinxit, ut etiam ex aliorum actione beneficia et detrimenta experiremur. Qui integro corpore generat, filios per se sanos habebit, sicut dives et honoratus fortunas et gloriam a se acquisita posteris legat. Contra autem infirmitas parentum sanitati liberorum plurimum officiet, atque ex imprudenti rei familiaris gestione filii ad egestatem redigentur. Age iam, pari modo filii reatum improbitatis personarum quas continuare videntur aliquo modo participant.

Lex ista utilitate communi commendatur. Fit per eam ut efficax stimulus addatur ad sectandam virtutem, atque ut fortius ab inhonestis artibus avertamur, dum nos carissimis propinquis prodesse simul vel nocere posse perspectum habemus.

Immo humilior locus qui filio illegitimo per se assignatur causa cordato viro esse potest cur propriis praeclare gestis culpam parentum expiare suumque nomen ignominia purgare velit. Utque in civitate occasio offeratur hanc culpam quasi originalem redimendi et propriis meritis compensandi, e re publica esse arbitramur.

Quin etiam fatemur adaequatam istius conexionis et mutuae dependentiae explicationem aegre dari posse, si neges nos nunc in stadio probationis versari, aliumque statum permanentem exspectandum esse, ubi nulla iam generatio futura sit et ex propria tantum actione suum quisque locum sortiatur.

Quamquam nunc ipsa generis humani unitas ac nostra condicio qua membra sumus maioris corporis, ista communitate meriti et demeriti confirmatur.

Quam frustra autem contra naturam nitantur qui legem istam mutuae dependentiae impugnant, facta cotidiana probant, quibus, spontaneo motu, ad gentem quoque omnem traducimus odium vel horrorem quae quidam gentis cives suis sceleribus meriti sunt. Cur ergo legitimam uxorem et legitimos filios suo decore et honore spoliatos velint qui « nationalem solidaritatem » affirmabunt ? Nulla probabilis ratio afferri potest, sed imminuta moralis honestatis existimatione molimina ipsa explicanda videntur.

SECTIO ALTERA

De castitatis cultura.

Istius sectionis opportunitas.

168. — Parum est de virtute castitatis et de peccatis contrariis disputare, nisi simul de ratione inquiramus qua virtus excoli et firmari, peccata vero vitari vel emendari possint.

In re autem sexuali dolendum profecto spectaculum humanis oculis subicitur.

Frustra tristissima facta dissimulaverimus quibus dicta iam veteris Testamenti nimis confirmari videntur: « Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est » (Gen. 6, 3).

Misera morum condicio: in matrimonio;

Et re quidem vera:

1. Quot modis et quam inexputabili frequentia ipsa *coniugii* sanctitas violatur!

Sive, nefario scelere, usus coniugii arte steriles fiant; — sive fides sollemniter data frangatur et adulterini amores foveantur; — sive uterque coniux alterius libidini assentiatur et adulterina commercia mutua pactione admittantur; — sive, deficiente copia legitimi usus, a nimis difficili continentia vir dispensatus putetur; — sive, mutui vinculi impatientes, coniuges illud dissolvere et sacrilegum torum instaurare tentent: omni ratione in ipso statu coniugali peccatur.

extra matrimonium.

2. Quis dein numerum, quis varias peccatorum rationes, turpi mente inventas, quae extra matrimonium committuntur dicendo assequatur?

Accidit ut a tenera interdum aetate lex morum multis modis violetur, ita ut non desint qui continentiam iuvenis masculi ac viribus pollentis pro commentitia habeant.

Indicationes quaedam.

3. Iuvat haec pauca, magis definita, ex scriptoribus *protestantibus* afferre. Auditis pluribus testibus, et varias investigationes quae in America, in Anglia et in Germania factae sunt inter se conferentes, Havelok Ellis et Al-

BERT MOLL (1) aestimant ex centum viris ultra 90 masturbationi saltem aliquando indulsisse. Melius quidem res in muliebri sexu se habere videntur. Iidem tamen putant abusum solitarii vitii ante pubertatem saepius in puella quam in puero occurrere; post vero pubertatem, dum iuventus floret, iuvencas rarius quam iuvenes inquinari; aetate autem adulta, cum fornicationis occasio feminis rarius suppetat, pro certo habent peccatum solitarium frequentius a mulieribus quam a viris committi.

NYSTRÖM (2) refert, secundum Dᵉᵐ SVENSON (1896), ultra quinquaginta ex centum iuvenibus qui universitates Sueciae frequentant lue venerea affectos esse.

Die vero 1° septembris anni 1903, « Cultus minister » Borussiae edictum confecit in quo, perspectis damnis quae morbi venerei valetudini creant, et ratione qua, ex probabilibus documentis, studiosam disciplinarum superiorum iuventutem invasisse videntur, magnopere optandum declarat ut iuvenes isti latius quam antea de periculis istis et mediis illa avertendi, morali quaestionis respectu nullatenus omisso, certiores fierent: quod efficacissime obtineretur brevibus praelectionibus, publicis et communibus, quae medicinae professoribus et aptis philosophiae aut theologiae interpretibus committerentur (Citatur apud MOLL, p. 992. 993).

Haec ad *vere catholicam* iuventutem nullatenus traduci possunt, praesertim si de commerciis illicitis cum altero sexu agatur. Si vero de solo vitio ultronee quaesitae pollutionis sermo sit, catholicus Dᴿ CAPELLMANN (3) scribere potuit: « Perniciosissimum hoc scelus iudicio omnium, tum theologorum tum medicorum, nostra praesertim aetate, horrendum in modum invaluit... etiam sexus femineus magnopere eo infectus est ».

Quamquam dubitandum non est iuvenes non paucos, immo plures quam medici putant, eosque fervidos, vitam illibatam agere.

Quid inde concludendum?

Non eo consilio lugendam morum condicionem diximus, ut nimis contristato vultu facta humana peiora existimemus quam sunt (plures qui interdum peccant ten-

(1) Cf. MOLL, *Handbuch*, etc. p. 618. 619. — (2) *La vie sexuelle*, p. 238. — (3) *Medicina pastoralis*, de sexto praecepto.

tationes tamen potius vincere solent), et de castitatis causa desperemus; sed ut probemus et confirmemus sententiam paene communem, quae e re publica esse iudicat ut de arte et methodo emendandi mores cogitemus, deliberemus; nec homines bonae voluntatis qui de re scribunt, plura tentant et perficiendam castitatis disciplinam praedicant, superbe repellamus, quasi catholicae familiae et scholae haec omnia iam dudum curaverint, ita ut nihil melius desiderari possit. Ut vero strenue progredi conemur, praeter mali gravitatem, nos movent quoque varia facinora quibus, ut vidimus, audacter hodie delirantes medici vel philosophi, ipsam hominum fragilitatem appellant ut de sanctissimis matrimonii et castitatis legibus detrahant, et suam ementitam reformationem imprudentibus obtrudant. Ac valde dolendum est, inter catholicos scriptores etiam hodie plures reperiri qui constantis progressus necessitatem nondum assecuti et ad mutabilia adiuncta parum advertentes, falsa superioris aetatis imagine ita decipiantur, ut de restituendis antiquis usibus tamquam de summo bono sociali cogitare videantur. Contra, iusta rerum aestimatio et maior prudentia postulant ut temporis acti nec contemptores nec nimii laudatores exsistamus.

Ordo dicendi.

169. — Age porro, inquirendum nobis primo est qua meliore ratione homo ab inconscia innocentia ad conscium et formalem castitatis amorem ac cultum perducendus sit. In qua re, ne infantilis quidem aetas neglegi potest, sed ab incunabilis ad aetatem plene maturam prudens sollicitudo explicanda est.

Dein de virtutis perseverantia seu de custodia castitatis in statu coniugali vel caelibatu agendum erit.

Nec quaestio de castitatis restitutione apud eos qui misere lapsi sint omitti poterit.

Quocirca, hoc ordine argumentum proponemus ut dicamus:

1. *De vita pura praeparanda,* ubi de utilitate et ratione res sexuales ignaris explicandi sermo erit;

2. *De vita pura ducenda, servanda, roboranda;*

3. *De vita pura restituenda, seu de morum emendatione.*

CAPUT I. — De praeparatione vitae purae.

Articulus I. — De generaliore praeparationis ratione.

Generalioris institutionis utilitas et partes.

170. — Lege unitatis nostrae et mutuae virium dependentiae monemur non tantum *specialem* castitatis institutionem sed etiam *generaliorem* hominis educationem ad puritatem obtinendam et servandam plurimum conferre posse. Quare de generaliore praeparationis ratione prius agendum videtur.

Ipse S. Thomas, ubi de virginitate loquitur (1), nos hortatur ut ad tria, in hoc castitatis argumento, attendamus animo: ad *corpus*, quod, virtuti quidem extrinsecum, nihilominus potest, pro varia eius valetudine et condicione, virtuti auxiliari vel obesse; ad *passionem* seu sensibilis delectationis appetitum, qui actibus moralibus materiam administrat; et ad *voluntatis propositum*, quod formale et completivum virtutis est.

Triplex igitur praeparationis obiectum distinguimus: *corpus*; *passionem seu sensum*, *mentem*.

Prima praeparatio remota, extrinseca dici potest; binae alterae castitati intrinsecae sunt.

I. — *Praeparatio corporis.*

Quo pacto corpus praeparandum sit.

171. — Praeparatio corporis seu **cultus physicus** temperationem corporis sani consectatur. Quare:

1. Omni aegritudini tempestive mederi satagit;

2. Victum praebebit salubrem, sufficienti, moderata tamen copia, et non nimis in carne et dulciolis (*friandises*) consistentem, sine alcoholo vel condimentis quae vim concitatricem habeant.

3. Nec strato molliore nec vestitu nimis calido aut nimis cruribus adhaerente corpus delicatum, effeminatum vel nimis ad commotiones promptum parabit.

---

(1) 2, 2, q. 152 art. 1.

4. Aptis corporis ablutionibus munditiem curabit.

5. Ludis honestis, variis exercitationibus, moderatam lassitudinem procurabit, ita ut phantasia ad multa somnia devertere nequeat, et somnus adulescentem, vel puerum statim capiat.

6. Somnum qui, post prandium, lecto capiatur iuvenibus non permittet, cum tentationibus et commotionibus facilem occasionem praebeat.

7. Ordinatam vitam, in qua hora decumbendi et surgendi definita sit et ludus laborem excipiat, exigere non omittet.

II. — *Praeparatio sensus.*

Quo pacto sensus praeparandus sit, iusto imperio rationis,

172. — *Sensus* ad docilitatem erudiendus est.

1. Ut hoc sapienter fiat, observandum est, puerum prima quadam aetate, quamdiu consilii inops est, magis mechanice, ut ita dicam, movendum esse, mox autem, prout sensim sine sensu deliberationis usque maioris capax fit, instituendum esse ut parentum iussis et consiliis suam voluntatem harmonice coniungat, donec satis adoleverit ut proprio consilio eadem prudentiae via se regere, i. e. passionibus suis dominari didicerit.

Porro passiones nonnullae a primordiis vitae opportune adesse solent, ut earum disciplina vel cohibitio generale in passiones imperium paret.

Plerique enim pueri ad curiositatem, gulam, iram proclives apparent. Artem ergo regendi passiones istas tum exemplo parentum, qui ipsi non petant nisi rationabilia, et qui proprios affectus moderentur, tum propria exercitatione, secundum parentum et magistrorum suasiones addiscant.

Ideo honestis et temperatis filiorum votis parentes facile obsecundent, nihil autem infanti aut puero impatienti, irato, immodica petenti concedant, nedum vagientis iris vel libidinibus stulte delectentur, vel stultius, ridendi causa, ipsi iras excitent.

Rationes autem cur passiones domandae sint tum naturalis tum supernaturalis honestatis afferre ne omittant.

In qua rationum propositione diversitates sexus et particularis indolis praetermittendae non sunt. Quare haec dominatio mentis in sensus masculo tamquam nobile virilitatis indicium et insignis victoria, filiae potius tamquam gratia et decus exhibeatur.

Supernaturalia autem motiva amorem potius Dei vel Salvatoris Iesu quam formidinem sapiant.

Sedulo etiam caveatur ne erronea conscientiae dictamina suggerantur, quibus nimis anxiae vel scrupulosae conscientiae initium detur.

immo bello offensivo.

2. Puer porro et adulescens, praeter defensivae pugnae artem, offensivam ne ignoret. Ingrata facere vel pati doceatur. « *Savoir résister à une douleur, n'est-ce pas de la volonté, et de la plus haute* (1)? » Quare amoenis quibusdam rebus se ultro abstinere, idque propter piam causam devotionis ad Christum, ad Eius matrem, vel exercendae misericordiae, a teneris annis noverit, ut ipse sic experiatur quam vere Christus dixerit : « Beatius est magis dare quam accipere (2) ».

Ex huiusmodi usibus altam et universalem persuasionem hauriat quantum delectatio (*le plaisir*), qua uni facultati vel parti tantum hominis eique inferiori satisfit, a totius hominis felicitate distet (3) ; et quo modo, perpetua lege, Deus, qui sensus non propter seipsos sed propter hominem fecit, delectationem utili operationi coniunxerit, et iusserit ut non propter seipsam solam sed propter bonum honestum immediate vel mediate quaereretur.

Quae omnia tum privatim, tum communiter, tum ex proposito, tum arrepta occasione v. gr. exercitationum scholarium, tradi vel insinuari opportune possunt.

---

(1) Payot, *L'éducation de la volonté*, p. 171. — (2) Teste S. Paulo, Act. 20, 35. — (3) Praeclarum illud ex oratore Cicerone audiatur : « Non enim hilaritate nec lascivia nec risu aut ioco comite levitatis, sed saepe etiam tristes firmitate et constantia sunt beati » (c. 2, Fin., 20).

III. — *Praeparatio mentis.*

Quo pacto mens praeparanda sit.

173. — Ad finem quem nunc intendimus, animi his potissimum dotibus induendi sunt:

1. Benigna comitate et *liberalitate*, quae nimium studium utilitatis suae peculiaris (*égoïsme*) removeat, atque eleganti urbanitati (*politesse délicate*) propria commoda postponat;

2. Maximo *sinceritatis* cultu.

3. *Fiducia*, innixa parentum amore et fide;

4. *Magnanimitate* illa quae nobilem quandam vitae formam et destinationem sibi vult et sperat;

5. Christiana *humilitate*, quae hominem docilem reddat, et, sine temeraria audacia, fortem quempiam fieri sinat;

6. Vera ac solida *pietate* seu *religione*, quae Christum et B. Virginem sancto affectu prosequatur.

De quibus dotibus fovendis haec praeterea indicanda videntur.

1. Filiis maxime prodest ut paterna domus sit ipsis quasi familiare sanctuarium, gratum et carum, ubi alii alios vero et intimo amore iuvent, et, deposito omni artificio, omnes simpliciter, aperto corde, conversentur. Noverint praecipue ad domesticam familiaritatem pertinere, ut ingenua fiducia filii parentem vel utrumque vel alterum alloquantur et interrogent.

2. Ut filii parentibus plene fidant, non parum expedit ut hi ab omni mendacio vel dissimulatione alieni sint. Fraudes enim et dolosae artes auctoritatem parentum deminuunt. Ideo optandum etiam videtur ne ulla fabulosa narratione parentes filios vere decipiant. Itaque, si serio interrogentur de piis fictionibus quibus S. Nicolaus, Angelus diei natalis Domini, etc. miscentur, satius esse videtur ut quid sub allegoria lateat explicent.

3. Operae pretium erit conari ut in mutua conversatione fratres et sorores, illi quasi tutores et defensores, hae quasi amabiles sociae, tirocinium quoddam vitae adultorum reperiant; et in mutuis studiis reverentiae et amicitiae mutuam coniugum devotionem adumbrare et exercere incipiant.

4. Quantum etiam iuverit, ut adulescens se ad id natum existimet, ut Christum repraesentet, moribus imitetur et continuet, tenero autem affectu B. Virginem colat; dum filia B. Virginem imitari studebit, et animam Christo tamquam sponso addictam considerabit!

Quod ipsa S. Scripturarum auctoritate insinuari potest.

Quid si parentes haec non praestent?

174. — **Quaeres,** quid, si propter civilem eorum condicionem vel aliud impedimentum, huiusmodi institutio a parentibus exspectari nequeat?

Quid, si parentum vitia vel discordiae nullum sacrae et simplici communicationi familiari (*intimité*) locum dent?

Miserae isti filiorum sorti caritate christiana, pro viribus, medendum est. Hoc praecipue conandum est, ut in scholis vel « patrociniis » (*patronages, recreatorii*) adulescentium, vel in similibus institutis, quispiam vel munere vel dignitate vel alia auctoritate praeditus se tamquam verum amicum et, pro aetate, quasi parentem vel fratrem natu maiorem offerat, ne pauperes vel afflicti funestam cordis solitudinem subire cogantur, sed omnes, contra, habeant quasi parentem adoptivum cui confidere vel apud quem solacia quaerere possint.

Articulus II. — De speciali castitatis praeparatione.

§ 1. — *Consilia de recta hominis informatione ad castitatem.*

I. — *Praeparatio corporis.*

Specialis praeparatio corporis

175. — 1. Oportet ut parentes, praesertim mater, prudenti observatione defectus detegant qui usu scalpelli vel medicina corrigendi sunt: *phimosim*, in puerulo circumcisione auferendam; vermiculos (quibus corpus concitatur) circa anum vel vulvam (*oxyures*) medicina antiseptica extirpandos.

2. Caveatur ne personae quae in pueri curis partem habent vel ipse infans tactibus organa sexualia commoveant. Quare etiam valde expedit ut puerulus assuefiat eo modo decumbere qui periculum tactuum arceat: ut si

manum capiti supponat, vel extra lintea servet, vel decussatis brachiis dormiat.

3. Quantum fieri potest, parentes ne sinant duos simul eodem lecto decumbere, sed singulos singulis lectos destinent.

4. Ex parentum auctoritate puer istos modos agendi secum et cum aliis discat qui honestam et simplicem modestiam redoleant. Pueris tamquam motivum ipsa urbanitas afferri potest. Atque ipsa natura iuvamur, teste ROUSSEAU (1) : « Suivez l'esprit de la nature, qui, plaçant dans les mêmes lieux les organes des plaisirs secrets et ceux des besoins dégoûtants, nous inspire les mêmes soins à différents âges; tantôt par une idée et tantôt par une autre ; à l'homme par la modestie, à l'enfant par la propreté ». Addi etiam potest mores istos Deo acceptos esse, angeloque custodi maxime probari. Proterva facta ex petulantia corrigantur fortiter ; non ea tamen vi atque indignatione quae conscientiam perturbent et errore deforment.

II. — *Praeparatio sensus.*

Specialis praeparatio sensus.

176. — Id maxime enitendum est, ne in rebus sexualibus vel lubricis phantasia vel mens diu detineatur. Quod omnes scriptores ad unum tradunt. Ac ratio manifestissima adest. Psychologica enim sollicitudo in sensualem facile degenerat, quae usum quempiam venereum continet. Summopere autem expedit ut usus venereae facultatis in maturiorem aetatem differatur. CAPELLMANN haec dicta allegat ab OPPENHEIM : « Dans l'intérêt de la santé des nerfs, il est fort à désirer que l'éveil des imaginations et des excitations sexuelles soit retardé le plus possible, c'est-à-dire au moins jusqu'à vingt ans révolus (2) ». Quocirca :

1. Pigritia et otiositas impugnandae sunt, tum quia animum debilitant, tum quia nimium locum dant diurnis phantasiae somniis, quae utrique sexui maxime nocent.

(1) *Émile*, l. 4, p. 376 magnae editionis. — (2) *La médecine pastorale*, trad. fr. de la 15e édition.

Tarditas in surgendo e lecto et decubitus pomeridianus periculo plena sunt, ita ut Payot scribere non dubitarit: « Dis-moi à quelle heure tu te lèves, et je te dirai si tu es vicieux... Tout jeune homme qui demeure au lit une ou plusieurs heures après le réveil est fatalement vicieux (1) ». —

« On interdira le séjour prolongé au lit; on insistera pour que le lever ait lieu aussitôt après le réveil. *Le désoeuvrement* est la source de tous les vices, le conseiller de toutes les dépravations. Il ne faudra pas le tolérer (2). » — « En habituant le corps à n'avoir que la ration de sommeil qui est absolument nécessaire, on le contraint, suivant l'expression d'un grand original, à dormir énergiquement, ce qui est, à n'en pas douter, la perfection de l'énergie (3). » Contra vero, optimum erit ut variis physicis exercitationibus corpus fatigetur.

2. Hortandi sunt adulescentes ut socios carpant et fugiant qui sermones de rebus inhonestis miscere et secreti colloquii occasionem captare velint. Quare etiam, exceptis probatissimis, potius tres quam duo tantum simul ambulent et ludant (4).

Omni autem rationum vi iuvenes a turpiloquiis deterreantur. Dignitas ipsa hominis appelletur: in qua re etiam impios auctores tamquam testes funestae vis turpiloquiorum advocare possumus.

3. Qui pubertatem adepti sunt moneantur nefas etiam esse nervis valde nocere, ut phantasia imagines volvat quas pingere vel oculis exterioribus intueri dedeceret. Ea enim aetate ubi appetitus venereus saevire incipit, facile fit ut qui turpes actus committere nolint, immo tales ignorent, erronee existiment imagines ideales sine peccato foveri posse, dummodo omnis voluntas exsequendi quod non licet excluderetur. Sic autem psychologicam libidinem seu vulgo dictam delectationem morosam exercent.

4. Taedium quodlibet omni arte elongandum est. Ludi itaque scholas excipiant, nulla autem docendi ratio fas-

---

(1) *L'éducation de la volonté*, p. 180-204. — (2) Dr Francotte, *De quelques points de morale sexuelle*, etc. — (3) Scriptor e Gallia, citatus a Renault, *Comment préparer les enfants au respect des questions sexuelles*. — (4) Hoc confirmatur a Mendousse, *L'âme de l'adolescent*, p. 31.

stidium per se generet; omnes, contra, ita constituantur ut ad attendendum invitent.

5. Praeter fines magis remotos et se dignos, adulescentes et iuvenes habeant in aemulationibus studiorum vel ludorum, in operibus caritatis vel zeli, perpetuam simul absumptionem virium activarum suarum et pabulum ardenti suae vitalitati.

N. B. Hic locus foret dicendi de opportuna rerum sexualium explicatione. Verum hodiernae controversiae suadent ut quaestio ista speciali examini mox infra subiciatur.

III. — *Praeparatio mentis.*

Specialis praeparatio mentis.

177. — 1. *Menti* ipsi nihil magis proderit quam maxima puritatis *existimatio*, immo tener affectus, unde sollerti animo tamquam nobilis thesaurus integra custodiatur.

Sive autem naturalem sive supernaturalem ordinem spectes, argumentis aptis minime deficimur. Cfr. quae supra tradita sunt, n. 94. 97.

Ac nihil obstat quin adulescentibus qui pubertati proximi sunt vigor casti corporis, et viriditas castae mentis celebranda efferantur, dum corruptos iuvenes manent atrabilis, tristitia, deminutae vires; corruptores autem ab ipso Christo timore percelluntur.

Non exiguae utilitatis erit, id, historica facta appellando, efficere ut adulescentes alte in animo impressum et sculptum gerant, quam arte bonum morale cum vita magna et beata, vitium vero cum vita tristi et ignobili coniuncta sint. Audiatur R. P. Goretti, in suo tractatu de psychologia experimentali.

« Spetta quindi alla retta educazione l'ampliare convenientemente il campo di coscienza dei giovani, procurando però che in essa non si stabiliscano connessioni indebite, quali sarebbero quelle di imagini e idee referentesi ad azioni viziose con imagini e idee di benessere e di felicità, oppure di imagini repulsive e penose con imagini e idee di virtù. Al contrario, converrà congiungere ed associare fortemente nelle imaginazioni giovanili fantasmi di buone azioni con fantasmi di premio e di soddisfazione, e imagini di azioni malvagie con fantasmi di dolore e di pena. Ciò si ottiene mirabilmente

colla adatta illustrazione di fatti storici ben scelti, giacchè questi, per la loro indole stessa, danno maggior campo alla formazione di sistemi imaginativi, compatti e bene organizzati ».

2. *Cultus modestiae* qualis a piis parentibus edocti sunt in iunioribus firmior fieri potest. Parum autem ad rem esse arbitramur ut modesti usus distincte memorentur, cum alii in alia domo esse possint, et cavendum sit ne adulescens cum scrupulosa vel adeo mala conscientia facere incipiat quae innocenti ac simplici ratione exercere consueverat. Minus etiam probamus ut hortatio ad modestiam ab historia inebriati Noe inchoetur, quae risum adulescentibus suggerere potest (1).

3. A teneris autem annis positiva devotio angeli custodis, patronorum iuventutis et maxime B. M. Virginis pueris et adulescentibus in castis consiliis et propositis fovendis non levi auxilio erit. Ipse impius Nyström vim quam cultus B. M. Virginis habuerit ad honestandum sexum femineum et puritatem iuvandam negare ausus non est (2).

4. Frequens dein *accessus ad ss. eucharistiam*, praeter quam quod supernaturalem vitae Christi communicationem nobis tribuit, de dignitate nostra et Dei iuribus adeo nos persuadet, ut efficacissimam vim etiam naturalem habeat ad inculcanda castitatis studia. Diuturna praeparatio ad primam communionem opportunissimum subsidium colendae castitati afferre solet.

Operae etiam pretium erit ut *rectitudo* conscientiae commendetur ; atque adulescentes doceantur de dubiis suis prudentem confessarium sincere et aperte interrogare.

Haec iterum tum privatis colloquis tum communibus hortationibus tradi possunt.

Sic obtinetur quod etiam acatholici fatentur, v. gr. Mendousse (3) his verbis : « Dans les collèges dirigés par les Jésuites ou le Clergé, les exceptions (jeunes gens à l'abri du vice solitaire) sont un peu plus nombreuses qu'ailleurs, en raison de la valeur incomparable attribuée à la

(1) Quare communem hortationem ad modestiam qualis a Kraus et Gatterer proponitur probare non ausim. — (2) Locum de cetero impium, cf. p. 66. 67. — (3) Op. cit. *L'âme de l'adolescent*, p. 19.

pureté par l'éducatien religieuse ». Ipse autem refert, p. 26, hoc dictum a RENAN (1), « que les sermons de ses maîtres sur la pureté ont suffi à le rendre chaste durant toute sa jeunesse ».

De amoribus fugiendis.

5. Dedocendi porro sunt *vani amores* inter adulescentes sive eiusdem sive diversi sexus (2).

Etenim, in commerciis istis iuvenes tempus prodigunt, a seriis studiis avocantur, proprium appetitum venereum augent, de virili alius adulescentis animo, de ingenua fiducia puellae (quae plerumque decipitur) detrahunt. Optime D. FRANCOTTE (3) : « On le (jeune homme) mettra en garde contre tout ce qui est de nature à surexciter l'appétit génésique: pas de lecturc frivole, ni surtout licencieuse, pas de spectacle léger, pas de flirtage. Le bon sens le dit avec FOREL : « Quiconque veut vivre continent pour des raisons religieuses ou autres, ne doit pas s'exciter perpétuellement, par un contact trop intime ou par des rapports trop fréquents avec l'autre sexe ; il devra, au contraire, éviter tout ce qui excite son appétit, et favoriser tout ce qui l'émousse ».

Quinam amores utiles esse possint.

178. — De his vanis amoribus agimus qui nullam viam ad matrimonium sternunt.

Si enim honesta omnino amicitia puerum et puellam paris condicionis (quod interdum a teneris annis observatur) univerit, fit ut amor nobilis rationis inde oriatur, qui iuvenem a labe impuritatis immunem servet. Ne ergo tales amicitias statim et universaliter damnemus, sed singula adiuncta prudenter perpendamus.

Quapropter etiam honesta sponsalia honestis moribus praesidio esse possunt, dummodo a vero amore procedant, non autem pecuniae vel sensualitatis causa contrahantur. Utilitatem sponsalium valde effert A. NAST : *Mariage et préjugés* (4).

---

(1) *Souvenirs*, p. 12. — (2) In hac re non parum errat MENDOUSSE, pp. 57-60 vel 62, qui eos clare improbare non audet. — (3) *De quelques points de morale sexuelle*, etc. — (4) *Le relèvement social*, St. Etienne, 1906.

§ 2. — *Quaestiones peculiares.*

I. — *De scholis mixtis.*

Quaestionis de communi utriusque sexus educatione opportunitas.

179. — Propter non leves de istis rebus controversias, inquirendum videtur quid de scholis mixtis seu de communi utriusque sexus educatione (*coéducation*) sentiendum sit.

Scholae mixtae duplici ratione existere vel defendi possunt.

De ista communis educationis ratione non loquimur quae, intentione religioni et moribus catholicis infensa, promovetur ut placita naturalistarum facilius praevaleant. Institutio huiusmodi indiscrete commendatur; exsecutores habet impios ludi magistros, donec obtinere possint id quod vocant « *le couple éducateur* (1) », nec ad mores regionis et indolem populi vel minime attendit. Eam abhorrendam esse episcopi Galliae merito pronuntiarunt; atque optaverunt ut catholici omni arte impedirent ne Galliae parentibus violenter obtruderetur (2).

Verum sat generali usu mixtae scholae exsistunt in Anglia et in pluribus Angliae coloniis, in quibus, ad aetatem usque 13 vel 14 annorum, adulescentes utriusque sexus in communi classe erudiuntur et in communi platea ludos simul exercent.

In Foederatis Americae Septemtrionalis Statibus, simile Institutum valde floret inter protestantes; a catholicis rarius admittitur.

Scholarum mixtarum defensio,

Inde systema istud defensores etiam catholicos nactum est, qui, moderatius dicentes et universali istius institutionis commendatione abstinentes, has scholas laudant, quod familiae rationem magis imitentur; quod utriusque sexus contentione et aemulatione stimulos ad laborem addant; quod puellae, praesentia sua, in politam adulescentium urbanitatem influant. Ipsi tamen nolint ut institutio ista illi destinetur aetati qua vani amores timendi sunt.

---

(1) Id est duo coniuges (libero amore uniti) qui communi opera ambos sexus instituant. — (2) Cf. *La coéducation de sexes, Son immoralité et son illégalité.* Chan. Tournier, *Action catholique*, Paris.

Quod autem ipsi affectus animi inde puriores evadant; quod adulescentes ad alterum sexum felicius traducant propensionem quae apud eundem sexum minus bonam satisfactionem quaereret: hoc potius protestantes vel viri a religione alieni contendere videntur (1).

Ab aequo itaque iudice personae et loca distinguenda sunt. Usus quoque considerandus est. Efficit enim ut quaedam sine magnis incommodis in una regione vigeant quibus in alia regione initia prudenter dare nequeas.

iustior aestimatio. Nihilominus, communis ista educatio nobis parum *per se* probanda videtur, Etenim:

1. Natura, quae binos sexus ita distinxit ut alter alterum compleret, nonne postulare videtur ut distincta ratione, accommodata ad propriam utriusque sexus indolem et destinationem instituantur?

Hoc ipse Compayré timet: « Dans ce contact quotidien et incessant des deux sexes, (il est à craindre que) l'un ne soit trop attiré dans la sphère de l'autre; que les jeunes filles, prenant des allures garçonnières, ne se virilisent trop, ou que, par contre, les jeunes hommes ne se laissent amollir et efféminer (2).

2. Post aetatem qua pueri puellas repellere solent, succedit aetas qua in faciles amores mutuos erumpunt. Priore aetate, nonne illa animi aversione ipsa natura separationem postulare videtur? Altera autem, quis periculum assiduae conversationis inter adulescentes utriusque sexus, nondum firmae voluntatis, non videat? Neque exemplum familiae opponatur. Abest enim ab illo consortio adulescentium diversarum familiarum reverentia pietatis, quae commercium fratris cum sorore sanctificat.

Si l'on songe, sic ipse Mendousse (3), que pendant les premières années qui suivent le puberté, il n'est guère d'excitation qui ne puisse revêtir un caractère érotique, on est fondé à se demander jusqu'à quel point la fréquentation de l'autre sexe, par suite, la multiplication des stimulants pour les sens et l'imagination pourraient contribuer à calmer l'obsession du désir... Quoique les « essayistes » anglais croient la coéducation avantageuse au début de

(1) Cf. citatos apud Mendousse pp. 47. 48. 62-65. — (2) Revue Philosophique, t. 61 (1906), p. 583 — (3) *L'âme de l'adolescent*, p. 47 et 63.

l'adolescence, il semble bien pourtant qu'à ce moment, elle n'aille pas sans inconvénients... Les camaraderies qui s'établissent ont rarement cette nuance mystique où se complaît la sensibilité naissante, et deviennent parfois une source de désenchantement «.

Quid, quod ipsae nuptiae inde minus appetibiles fieri possunt ? « L'adolescent... risque d'être immunisé quand son heure viendra, et de se faire célibataire avant la lettre (1) ». Observant etiam in America, propter mixtas istas scholas non minores numero quam alibi esse amores inter adulescentes eiusdem sexus (2).

Quare in ipsa America, fortuna scholae communis se inclinare videtur (3).

Haec itaque erit conclusio nostra : *Conclusio*

Scholae mixtae numquam per se, seu tamquam meliores de se quam separatae, positive commendandae sunt. Nec votis naturae consentaneae videntur. In quibusdam partibus minus quam alibi nocent, immo incommodis paene vacare cernuntur.

Quanto prudentius quam fautores huius modi institutionum scribebat paganus QUINTILIANUS, cum improbabat scholas variis aetatibus communem : « Pueros adulescentibus sedere permixtos non placet mihi. Nam etiam si vir talis qualem esse oportet studiis moribusque praepositum modestam habere potest etiam iuventutem, tamen vel infirmitas a robustioribus separanda est, et carendum non solum crimine turpitudinis, verum etiam suspicione (4) ».

II. — *De utilitate cuiuspiam « vaccinationis »*

180. — Non desunt inter scriptores etiam honestos, saltem acatholicos, qui expedire putent ad firmandum animum contra tentationes, ut pueri res sexuales aperte sed serio et indifferenter tractare discant. Hoc in ipsa schola procurandum esse. Quare reprehendendos esse catholicos, qui nolint ut pueri nudi simul natent. *Opinio acatholicorum et quorundam catholicorum de rebus nudis.*

In visitandis autem artium musaeis vel in exponendis imitationibus imaginum praeclaro opere confectarum quas scholae superiores comparant, opportunitatem discipulis

(1) Ibidem, p. 64. — (2) Ibidem. — (3) Ibidem, p. 63, nota. — (4) L. 2, c. 2.

praebendam esse, ut nudas imagines puro oculo intueri et sine libidine de iisdem sermones miscere addiscant. Cfr. SEVED RIBBING apud MOLL pp. 981. 984. 986. 989.

Neque etiam inter catholicos desunt qui, cum hodie saltem tam multa indecora oculos offendant, utilitatem cuiuspiam « vaccinationis » praedicent. Periculosa in minus periculosis adiunctis adeunda esse dicunt, ut obtineatur illud : « Ab assuetis non fit passio ».

Id tamen simul observandum est. Quotquot honesta mente scribunt obscena omnino repudiant et castitati maxime damnosa esse declarant. Quare, etiam inter incredulos, « societates » constitutae sunt ad triviales licentias impugnandas (*Pour combattre la licence des rues et des étalages*).

Sententia communis de rebus obscenis.

181. — Operae itaque pretium in primis erit ut sciamus quid **obscena** tabella, statua, a *mere nuda* effigie differat. Obscenitatis enim verbo sine explicatione uti solent.

Quid sunt res obscenae?

Age iam, res hac ratione exponi posse nobis videtur. Nuditas alia in *occasione*, alia in *intentione* esse potest. Nuditas praeterea vel *propter se* expresse quaeritur, vel ad finem aliquem obtinendum, tamquam *medium* eligitur : v. gr. (sic ex arte exemplum sumemus) ut pulchra totius corporis humani harmonia appareat. Est etiam nuditas simplex, quae attentionem captare non vult, et nuditas affectata ad alliciendam libibinem. Affectata autem ex comitante gestu, ex vultus significatione vel ex ipsa ostentatione esse potest. Quidquid ergo vestibus careat obscenitate notari non potest. Sed nuditas *affectata*, et, in praesenti generis humani condicione, post peccatum, etiam nuditas *propter se quaesita* obscenae reputandae sunt.

Non ergo obscenus est puer qui, ubi usus ita ferat, sive solus sive coram aliis, vestes ad lavandum corpus exuat, vel qui se medico curandum ostendit ; obscenus vero est qui personis obviis partes exhibuerit. Neque obscena dicetur imago S. AGNETIS martyris a pictore confecta qui martyrium secundum narrata repraesentare voluerit. Immo non repugnat quin nuda effigies in vultu modestiam vel sanctos affectus ferat qui attentionem a corpore avocent et pudicam verecundiam imperent. Contra, quaedam vestimenti ratio quae, potius quam ea tegat,

pudenda indicare vel illuminare videatur, ex incomplete nuda effigie obscenam facere potest. Pariter, pro veritate historica, quod nudum erat commemorari poterit; obscenus autem fit sermo qui in lascivis rebus describendis cum delectatione haerere videatur.

Igitur, quo magis res vel narratio nobiliore idea spolietur, attentionem autem ad pudenda vel inhonesta trahat; vel quo magis formalis veluti invitatio ad turpia aspicienda vel mente volvenda accesserit, eo magis narrationes vel picturae aut statuae obscenae dicendae erunt.

Obscenum itaque describi poterit: *turpis, in nuditate, manifestatio animi vel sollicitatio.* Consonat usus vulgaris, quo obscenum dicitur *nudum allectans* (*provoquant*).

Constat itaque obscena intuenda non esse; idque tum ex sensu quodam offensae dignitatis, tum ad castitatis securitatem vel saltem suavem nitorem (*la délicatesse*), monente prudentia iam antiqua, ut tentationes istius generis fugienda potius quam directe aggrediendo vincamus.

Nec in hac re est, inter honestos, diversitas opinionum.

De curiositate videndi indecora.

182. — Hactenus de obscenis rebus. De nudis autem fatemur quidem rationem habendam esse praesentis licentiae quae, saltem in civitatibus, multa parum honesta in plateis vel in tabernis palam omnium oculis spectanda offert; rursus tamen pudor sedulo colendus est; nec regula quam supra tamquam principalem tradidimus praetereunda vel violanda est. Secundum illam vero id procurandum est ut mens caelibis hominis in rebus sexualibus quam minime detineatur. Cfr. n. 16.

Humana psychologia de hac re.

Haec porro in humana psychologia observantur:

1. Infans ac puer innocens res sexuales oculo candido, sine commoto appetitu lustrare potest, ita ut necessitatem pudoris vix per se experiatur; sed, adepta pubertate, et iam instante pubertate, immo antea si praecox appetitus fuerit, quamvis bene moratus sit, immo functiones sexuales ignoret, insolenti cupidine in aspicienda nuda ferri consuevit; atque avide occasionem arripit ut praetextu honestiore suspectam cupidinem obtegere possit.

2. Suspecta haec curiositas re semel visa non sedatur, sed iterum satisfactionem quaerit: quod ipsi expe-

riuntur medici, qui, quamvis omnia corporis humani mysteria exploraverint, malesana curiositate non liberantur.

3. Qui aspectus immediate sensum non commovent, menti tamen ita inseruntur ut inde postmodum phantasmata impura facile oboriri queant.

His praestitutis, ipsa quaestio, quae speciatim de *musaeis invisendis*, generalius vero de *oculorum moderatione* ponitur, hoc modo solvenda videtur.

Quaenam musaei artium visitatio improbanda, toleranda, probanda est, et cur?

183. — I. De musaeis artium invisendis.

1. *Improbandum* omnino est ut quisquam ad videndas nudas effigies vel tabulas musaea ingrediatur.

2. *Tolerandi* interdum sunt accessus ex futili curiositate facti, quibus, sine ulla artis notione vel eius excolendae intentione, quispiam aulas leviter perlustrat. Huius modi accessus positive probandi vel commendandi non sunt, quia aegre fiet ut in his voluptariis rebus aspiciendis nihil sensualitati concedatur; periculum autem nullo lucro compensatur. Tolerandi tamen interdum erunt, quia cum intentio non sit perversa et periculum plene assentiendi satisfactioni venereae non sit proximum, gravi prohibitioni locus non est, et ipse mos sat receptus haec invisendi aliquam rationem seu excusationem affert. Adeuntes tamen monendi sunt, ne oculos in obscena defigant.

3. Eas tantum rationes adeundi musaea plane *probabimus* quae nobilem intentionem manifestant: v. g. si quis, ad aestheticum sensum exercendum, pauca quaedam mirabili arte facta, attente considerare voluerit.

Utilitas sensum aestheticum colendi.

Inde hodie valde commendandum videtur ut ubique, in scholis, sensus iste aestheticus aliquo modo colatur. Dum enim de artefactis iudicare discunt, alumni assuescunt altiores cogitationes volvere, nec statim explorare quid pabuli sensibus efferatur; discunt etiam honeste indignari si quando turpis imago, sine arte et cura confecta, ipsos brutali ratione tentare videatur. Idem suadet R. P. Gillet, O. P. *Innocence et ignorance*, p. 210.

De generaliore verecundia servanda varia consilia.

184. — II. *De universaliore oculorum moderatione et verecundia.*

1. Generosus cultus *modestiae* commendetur; et eruditantur adulescentes ut hoc firmo animo statuant: oculis nuda videre non quaeremus.

Atque ad maximam *sinceritatem* omnis actionis suae, etiam quae ipsos respicit, instituantur. Nullus tunc erit aspectus formaliter obscenus.

2. Si quid minus pudicum per accidens oculis obversatum sit, id impavido animo transeunter ferant.

3. Pro patrio more, alii adulescentes vestes ad abluendum corpus simpliciter deponunt, dum alii in eadem re facienda, ab aliqua suspecta audacia immunes non erunt.

Attamen, ut hodie mores fere ubique sunt, potius esse videtur ut, in communi certe balneorum usu, vestis aliqua, saltem ad pudorem profitendum, assumatur.

4. Similia de *legendis libris* dici possunt. Qui librum honestum legendo in quaedam minus pudice scripta inciderit, haec leviter percurrat et librum, imperterrito animo, legere pergat. Nullus autem liber ideo seligatur ut talia occurrere possint.

Quid de legendis libris dicendum est?

185. — Summa demum haec est.

Summariae conclusiones.

1. In his rebus, recta et sincera *intentio* maximi facienda est. Haec autem, cum quis ad usus receptos se accommodat, facile habetur; dum de pura intentione dubitandum est illius qui ab his usibus recedit ut liberius vel petulantius agat. Finis autem *positive* probandus, v. g. colendi scientiam vel artem, intentionem rectam prodere solet.

2. Pro praesenti hominum condicione, in maiorem modestiam potius propendere debemus, deposita tamen omni anxietate et scrupulositate.

Oportet enim quoque ut catholici fortem animum praeferant, nec imperita timiditate haesitantes vel impediti videantur. Indecora videre et tractare repudiare quidem debent, non ideo tamen quod viribus inferiores sint, sed quia maiore virtutis studio et intensiore foeditatis odio moventur; ita ut eorum ratio agendi vel abstinendi numquam his verbis: « Non audent », sed semper his aliis: « Nolunt », reddi possit et debeat. Quare, ne in angustias compellantur vel nimis saecularium rerum expertes iudicentur, opportunum esse potest ut quaedam non stricte mala, minus tamen probata (v. gr. theatra) interdum adeant quibus, seclusa huius modi ratione, melius omnino renuntiaretur.

3. Simili fere ratione qua simplicem nuditatem ab obscenitate distinximus, nihil propensioni ad ipsa nuda legenda vel videnda concedendum est; sed si qua effigies satis praeclaro opere facta sit, quamvis nuda, puro oculo aspici poterit.

4. Qui, adultam satis aetatem adeptus, inquieto animo ferat a se quaedam, v. gr. formas alterius sexus ignorari, prohibendus non videtur quin ignorantiam illam moderate et prudenter dissipet. Illud autem facile consequetur ex libro scientifico, vel etiam ex imagine aut statua; numquam autem talia ex persona aliena, quam rei consciam fecerit, cognoscere velit.

Iuniori autem adulescenti magis proderit ut frenum curiositati suae imponat, et diversis studiis animum occupet.

186. — III. *De utilitate et methodo revelandi mysteria vitae.*

Quaestionis notio et ordinatio.

Mysterium vitae nomine complectimur hic *processum generationis humanae*, *peccata contra castitatem*, et *morbos venereos*.

Explicatio istorum mysteriorum estne annon commendanda tamquam pars disciplinae castitatis (*de l'éducation de la chasteté*)? Istud quaeritur, et libris, scriptis, orationibus tanta vi hodie disputatur, ut quaestionem tantopere agitatam paulo fusius proponere visum sit.

Quare post *historicas* quasdam *notiones*, *argumenta* in utramque partem allata et sententias allegabimus ac perpendemus, ut deinde *conclusionem* nostram de ista re prudentius proferre liceat.

I. — *Historicae notiones.*

Historica quaestionis fata.

187. — In primis Ecclesiae saeculis, sicut ipse R. P. Ruiz Amado observat (1), christiani pueri rerum sexualium eruditione carere non potuerunt. Scholas enim ethnicas, in quibus mythologicae fabulae et scriptores classici explicabantur, frequentare non prohibebantur (2).

(1) *La educacion de la castidad.* — (2) Cfr. Tertullianum, *De idololatria*, c. 10, (M. 1, 675).

Exeunte tamen saec. V, IULIANUS POMERIUS memorat « ab antiquis fuisse decretum ne qui adulescentium legerent Geneseos librum, ac partem pariter Ezechielis prophetae vel Canticum canticorum, et cetera talia in quibus generationes et actus et nomina quarundam scripta sunt mulierum... Ne forte haec spiritualia secundum carnem adhuc carnales acciperent; nec virtutes cogitarent quas mulieres illae significant, sed ipsas cogitando carnaliter deperirent (1) ».

Quisnam deinde usus fuerit mysteria vitae celandi, non adeo constat; id tamen affirmari potest, paedagogicam sollicitudinem de ista re ad saeculum usque XVIIum inclusive nullam fuisse. Nec attingitur quidem quaestio apud FÉNELON, *Traité de l'éducation des filles;* nec in *Lettres et entretiens de Madame de Maintenon.* Saeculo tamen XVIIIo, J. J. ROUSSEAU, in famoso opere « *Émile* ». l. 4, testatur saepe sua aetate quaeri utrum pueris de sexu interrogantibus satisfacere an ipsos parvis fraudibus decipere praestet. Ipse animae et corpori utilius esse aestimat, ut homo sero tantum sui sexus conscius fiat; quare auctor est ut, si fieri potest, parentes primas de ista re quaestiones repellant, omni tamen mendacio abstineant. Si respondendum videatur, detur responsum simplex, breve, certum. Si autem dubites num ignorantia ad sextum decimum aetatis annum perseverare possit, filius ante decimum aetatis annum instruatur (2). Sic ipse omnium primus quaestionem examinasse videtur.

Si formale causae examen tam recentem originem habet, si de usibus antea receptis pauca novimus, commenticia igitur est traditio ista catholica ex qua non nulli paedagogiae sexualis contemptores argumentari velint.

Eodem ferme tempore quo ROUSSEAU scribebat, plures sic dicti philantropi Germaniae: BASSEDOW, CAMPE, SALZMANN corruptis iuvenum moribus apertas rerum explicationes pro remedio apponere proposuerunt, quod etiam medici quales TISSOT (1759) et PETER FRANK (1780) commendare coeperunt.

Ab his agitandis dein, per satis magnum temporis spatium, cessatum est, donec paucis abhinc annis e protestantibus partibus Americae et Germaniae similes molitiones contra grassantes iuvenum excessus tentatae sunt. In Gallia quoque a senatore BÉRENGER et a professore FOURNIER condita est associatio quaedam cui nomen *Société de prévoyance sanitaire et morale*, quae praelectiones de lue venerea ad usum lycaeorum et collegiorum instituere cogitavit.

---

(1) *De vita contemplativa*, L. 3, c. 6. (M. 59, 483). — (2) Ed. Didot, 1793, p. 374 ss.

Hinc omni fere lingua sparsi sunt libelli *Sex-series*, qui hos fere titulos ferunt: *Quid quilibet puer, quaelibet puella, quid quilibet adulescens, quid quilibet iuvenis* vel *filia nubilis, quid quilibet homo adultus, quid coniuges omnes scire debeant.* Multa praeterea scripta etiam catholicorum, de argumento colendae puritatis ubique circumferuntur.

Generalis regula qua ignorantia adulescentium dissipanda dicebatur episcopis Germaniae parum placuit; dum plures Galliae episcopi opera laudarunt qui prudentem (non tamen *communem* seu collectivam) explicationis methodum commendabant. In Hispania magnae controversiae locum dederunt opuscula Sylvani Stall et Wood-Allen. Die vero 18 ian. 1908, S. Indicis Congregatio ad episcopum Barcinonensem rescripsit de duobus libris « *Lo que debe saber el niño* » a Sylvano-Stall: et « *Lo que debe saber la niña* » a Miss Wood-Allen conscriptis: « nullo pacto decere ut in Hispania adulescentium aetas erudiatur et instituatur secundum regulas memoratis libris contentas; necesse vero esse ut iidem libri e manibus fidelium maxime adulescentium auferantur (1) ». In Belgio, episcopus Brugensis usum istius methodi quoque improbavit. Leodii vero, R. D. Knoch tunc professor Seminarii maioris, scripsit libellum *L'éducation de la chasteté,* quo libello opusculum in Austria a PP. Gatterer et Kraus S. I. editum satis imitatus est.

Argumenta eorum qui explicationem suadent.

188. — II. **Argumenta a patronis et adversariis *faciendae expositionis afferri solita.***

A. *Argumenta fautorum.*

1. Omnis scientia per se utilis est. Nulla autem causa est cur facultatem a Deo datam erubescamus. (Sic praesertim acatholici dicunt.)

2. Cognitio ista necessaria est ut puer rationes suarum obligationum percipiat, ut formaliter castus evadat. Sic RR. PP. Gillet e Fr. Praed., Castillon e S. I.

3. Ecclesia nec in *Ave Maria* partum Virginis, nec in praeceptis sextum, quo adulterium et luxuria, et nonum, quo carnalia desideria vetantur dissimulat.

4. Multis modis, iam ipsis phaenomenis quae, casu vel ex concepta intentione, in corpore proprio aut alieno observantur, adulescens ad interrogandum de sexu, de passionibus et de generatione impellitur. Nisi parentes ipsi honesta ratione satisfecerint, ut est illa aetas inquietae curiositatis, alio lumen quaerent, id est in libris vel

(1) Cfr. Vermeersch, Periodica *De religionis et Missionariis,* t. 4, n. 250, p. 165.

apud amicos, qui interdum sponte se offerunt, non ita raro corrupti sunt, et sane ea tantum ratione de rebus istis notitias dabunt quae nihil de nobilissimo istarum functionum fine, de altissimis divinae Providentiae consiliis, de coniunctis officiis, brevi nihil quod mentem erigat docebunt. Puer itaque vel adulescens omni positiva institutione de puritate privabitur, sed in re gravissima et delicatissima, sibi et sociis suae aetatis permittetur. Quod autem, dum adulescunt, iuvenes sibi in his rebus relinquantur, nemo sanus probare potest (1).

5. Nec opus est diu meditari quae in viis, in tabernis hodie omnium visui exponuntur vel ea quae in libris et ephemeridibus narrantur et ab omnibus leguntur, ut nullam diuturnae ignorantiae spem rationabilem ex multis adulescentibus concipi posse probe perspiciatur.

6. Prudenter suppeditata notitia ipsum pudorem magis conscium, magis attentum, magis meritorium reddet vel reddere potest.

7. Nec ita numero pauci sunt adulescentes qui casu quodam, v. g. equitando, vel ex somnio nocturno, vel instigante socio, voluptatem experti, illi indulgere coeperunt, et mox materialia peccata ignari ita committunt, ut consuetudinem, quae iam in se perniciosa est et pertinax, ex ignorantia contrahant. Alii quoque sunt qui pollutione nocturna, cuius naturam ignorant, terrefacti, inde valetudini timere incipiant et in anxia formidine diu ita versentur ut deiecti animi detrimenta per totam vitam ferant. Accidit enim ut genus quoddam circulatorum eos decipiant et longa medicatione simul in timoribus confirment et pecuniis emungant (2).

8. Constat etiam plures utriusque sexus adulescentes conscientiam rerum sexualium cum innocentissimis moribus coniunxisse. Probati testes felicem et saltem non damnosam experientiam eruditionis in multis casibus affirmant.

---

(1) Cfr. Gemelli, *Non moechaberis*, p. 18. — (2) Fide dignus testis narrat se in America plurimas (ultra mille) epistolas vidisse a formidolosis adulescentibus missas ad societatem quae, secretas promittens consultationes, eorum candore abutebatur.

Argumenta quae contra explicationem faciunt.

B. *Argumenta adversariorum.*

1. Cognitio rerum sexualium, post peccatum originale, periculosa facta est. Tentationes enim parat quas iuniores nondum portare possunt. Declarationibus huiusmodi, dum una curiositas sedatur, altera excitatur, idest, videndi quae descripta sunt et experiendi quae narrata sunt.

2. Nulla positiva utilitas in explicatione ista inest (1), ita ut solum de impedienda imprudenti et impudenti manifestatione agi possit.

3. Sensus pudoris declarationibus istis hebetatur, verecundia minuitur.

4. Iam pridem sensu communi edocti sumus, daemonem impuritatis fugiendo, non aggrediendo vincendum esse.

5. Circumspecte de his rebus agendum esse ab Ecclesia docemur. Cfr. catechismum romanum : « In hac ipsa re (moechiae) explicanda, cautus admodum sit parochus et prudens, et tectis verbis rem commemoret quae moderationem potius desiderat quam orationis copiam. Verendum est enim ne, dum is late atque copiose nimis explicare studet quibus modis homines ab huius legis praescripto discedant, in illarum rerum sermonem forte incidant unde excitandae potius libidinis materia quam restinguendae illius ratio emanare solet (2) ».

6. Ubique, apud excultas gentes, res ad generationem attinentes aliquo velo obteguntur; ubique variae artes, immo mendaces formulae ad haec pueris celanda inventae sunt.

7. Nec desunt, etiam hodie, qui fructum felicis innocentiae ex sua ignorantia collegerunt, dum ruina moralis revelationem interdum subsecuta esse videtur.

Argumenta a nobis omissa.

189. — III. **Argumentorum examen.**

Operae pretium videtur ut argumenta ista aequa lance libremus. Lector autem observabit istos silentio a nobis praetermissos esse qui honestatem sexualis apparatus et usus coniugalis adeo celebrant, ut omnia decora dicant et morem occulto utendi matri-

(1) Sic R. P. Ruiz Amado, op. cit. — (2) Caput VII. *De sexto praecepto.*

monio vulgari errori ascribant. Cum huius modi « Naturalistis » non iam nobis agendum est. Ex supra dictis, eorum rationes, ipso sensu communi repudiatae, iam plene confutatae sunt.

Cavendum tantum est ne opus generandi, cui Deus, etiam post diluvium, ac proin post peccatum originale benedixit, nimis deprimamus : quod sane ad nostram regenerationem in Christo et ad verba Pauli de matrimoniis mixtis minus quadraret. Haec enim Apostolus scribebat : « Sanctificatus est vir infidelis per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt (1) ».

Dicamus potius functionem ad sanctos fines hodie datam eo modo nunc possideri et exerceri qui istam nobis erubescendi causam praebeat.

Aequitatis opportunitas in librandis placitis.

Aequitas praeterea postulat, ut caveamus ne eo quod eorum consilia minus nobis placeant, honestis viris, etiamsi acatholici fuerint, imputemus errores quos minime professi sunt. Qui temperate dicit, ad persuadendum plus habet auctoritatis, nec mendaces vel temerariae accusationes fine etiam bono honestantur.

Examen argumentorum quae eruditioni sexuali favent.

Ut iam ad *priorem argumentorum seriem* deveniamus : Primo argumento, quo omnis scientia per se utilis dicitur, nimia spes in sola intellectus illustratione poni videtur, cum tamen necessitatem educandi voluntatem etiam hodiernis experimentis comprobatam esse plerique fateantur.

Nec catholicum scriptorem novimus quin cum professore protestante Foerster (2) haec vel similia proferat : « Rectam viam scire, id per se nequaquam satis est, sed docendi praeterea sumus quo modo viam istam re vera teramus ». Omnis scientia per se quidem utilis est ; sed vario utilitatis gradu, et per accidens nocere potest. Atque illud *per accidens* in concretis personarum adiunctis tam frequenter occurrere potest, ut istis personis, propter modicam scientiae utilitatem et magnum mali usus periculum, ignorantia optanda et praeferenda sit. — Immo, cum Buccheroni (2), qui id erroris theologici notat, prorsus alienum a veritate iudicamus ut cognitio rerum sexualium castitatem directe et formaliter iuvet.

Alteri argumento concedemus formalem seu consciam

(1) 1 ep. ad. Cor. 7, 14. — (2) *Lebenskunde.* — (2) *Casus morales,* t. 2, Append. VI, *De puritatis educatione.*

castitatem materiali anteponendam esse, sed si scientia periculum depravationis secum ferat, materialiter castum formaliter pravo praeferre debebimus.

De tertio id observabimus, breves enuntiationes quae *Ave Maria* et formulis praeceptorum continentur, diuturno usu ita tritas esse ut omnem vim curiositatem excitandi amiserint (1); nullum itaque argumentum inde pro amplioribus et clarioribus explicationibus colligi posse.

Quae vero sequentibus argumentis proponuntur attenta consideratione digna sunt, nec falsa esse existimamus. Sed non omnis omnibus factae explicationis opportunitatem demonstrant.

Examen argumentorum quae eidem opponuntur.

De *altera* iam *argumentorum serie* haec observanda nobis occurrunt.

Verum esse omnino putamus, revelationes imparatis factas periculo plenas esse posse. Prima itaque ratio necessitatem prudentiae probat.

Capere autem non possumus quo modo, altera ratione, omnis utilitas ab illa mysteriorum vitae scientia abiudicetur. Ac re quidem vera, num est *homini* inutile ut meritum consciae virtutis sibi comparet et gravem libidinis malitiam non solum credere sed ipse intellegere et perpendere queat; num est *filio* inutile ut intimum naturae vinculum quo parentibus suis devincitur cognoscat, ipsosque ut veros sui auctores venerari et grato affectu diligere discat; num est *filiae* inutile, ut, apprehensa nobili et laboriosa sua missione, vitam magis serio et caute ducere incipiat, nec tota sit in ludicris rebus agitandis; num est *fideli* christiano inutile, ut fundamentale Incarnationis mysterium, ut dignitatem et privilegia B. MARIAE Virginis recte concipere queat; num est *educatori* inutile ut de vera vitae significatione et seriis officiis implendis discipulos efficaciter instruendi copiam habeat?

Nonne illa levitas et futilitas animi quae innuptis in saeculo iuvenculis interdum non immerito obicitur hanc

(1) Id testatur experientia. Siquidem adulescentes ignari verba quae non capiant ad mysteriosas fidei formulas ascribunt, quarum explicationem non quaerunt, quia nihil naturae allectivum continere videantur.

partialem saltem causam habet quod, sui muneris et vocationis nimis diu nesciae, prius vanitatibus captae sunt quam dignitatem et personam suam meditari potuerint? Nostris praeterea diebus, ubi tam audacter dubitatur et parum in verba magistri iuratur, nonne omnes sentimus quantum expediat intrinsecas rerum rationes tradere, ne tractando corpori, cohibendis sensibus arbitrarias regulas, hodie facile despectas, praescribere et tyrannicas voluntates providentissimo Deo imputare videamur?

Ex modo quo explicatio proponitur sensus pudoris hebetari sed etiam, manifestata eius causa, augeri potest. Id de tertio argumento dici debuit.

Qua ratione tentationes impurae fuga vincendae dicantur.

Quod ad appellatum sensum communem, quo monemur tentationes impuritatis fuga potius quam aggressione vincendas esse, in primis observamus aliud esse tentationes, aliud prudenter suppeditatam notitiam. Laudati autem proverbii haec est propria vis et significatio: dum passiones sunt, v. gr. ira, quas ad pugnas quasi evocare licet et etiam expedit, ut earum impetum, consulto excitatum, reprimere doceamur, sensum venereum, qui non ad propriae personae utilitatem sed ad speciei bonum in primis exsistit. sic (extra matrimonium) ex proposito commovere non licet. Eius praeterea illecebrae tales sunt ut, ingruente tentatione, periculum assensus avocando animum prudentius auferatur. — Perinde autem de tentationibus contra fidem suaderi consuevit. Nonne tamen simul monemur ut, postquam tentatio recesserit, exorta dubia perfectiore scientia enodare studeamus? An securitatis causa ignoratio rerum fidei commendanda sit?

Quamquam, propter iustas causas, ipsae interdum tentationum occasiones adeundae sunt.

De loco catechismi romani.

Porro catechismus romanus de *publica* tantum explicatione *peccatorum* agit, ita ut locus parum ad rem nostram faciat.

De usu recepto.

Usus autem populorum excultorum et fructus ex ignorantia interdum collectus, probant inconsiderata explicatione abstinendum esse; utilitatem autem circumspectae declarationis non refutant.

Sententiae multiplices.

190. — IV. Sententiarum diversitas et concordia.

Ex oppositis argumentis immerito colligeres probos

scriptores ad binas partes contrarias ita pertinere, ut alii omnem explicationem laudarent et commendarent, alii vero omnem condemnarent. Contra, plures sententiae, non tantum genere et inclinatione diversae, sed etiam in eodem genere satis variae, cum praefatis rationibus cohaerent. Quae dicendi varietas ansam confusionis praebet et erroris. Unde fit ut vitium aliquorum in reprehensionem totius generis parum aeque vertatur. Dum enim inter eos qui pro manifestatione scribunt alii expositionem praedicant *technicam* seu scientificam, *simultaneam*, i. e. quae tria (*generationem*, *peccata*, cum *perversionibus*, et *morbos* venereos) simul complectatur, atque *ex proposito* sive in scholis *communiter* seu *collective*, sive per *libellos* ex « sex series » traditam; alii (sic moraliter omnes catholici) non commendant nisi *simplicem* seu scientifico apparatu destitutam, *successivam*, et prudenter, prout casus vel aetas suadeat, *singulis* sive scripto sive ore datam explicationem. Qui vero ex adverso stant, revelationem interdum opportunam et necessariam esse non negant; quam necessitatem alii aliis facilius adesse putabunt.

Quid apud acatholicos observetur

Ut idem paulo magis definite declaremus:

Acatholici, si paucos excipias, fidentiore animo quam catholici scriptores ad completam manifestationem hortantur, nec a publicis explicationibus refugiunt. Ratio huius facilitatis iam partim est quia minus perfecto cultu et honore delicatum quempiam pudorem prosequuntur; partim quia intima sacramenti poenitentiae communicatione et directione privati, media non habent accurate explorandi quid quaeque anima sibi poscat; partim quia adulescentium genus satis diversum a genere cui catholici sua consilia aptare cogitant, ipsis observatur.

Catholici satis parum inter se dissentiunt.

Ipsi vero *catholici* in minore dissensione sunt quam prima controversiarum figura esse dixeris. Omnes enim simultaneam, technicam ac publicam explicationem per se improbant. Nullus quoque est catholicus quin, praeter mentis instructionem, voluntatis educationem necessariam esse ducat. Nullus quoque est, quin manifestationem interdum necessariam praedicet.

Diversis autem viis ad conclusiones satis similes perveniunt.

Alii enim ita dicunt: prudentem, gradatam, discretam explicationem probamus, superfluam autem respuimus; neque ii sumus qui simplicem candorem cuiuspiam qui nec de re inquietus seu sollicitus nec periculo expositus videatur, inopportuna revelatione turbare velimus; — dum alii ab hoc initio proficiscuntur: manifestationem nolumus, nisi cum ad amputanda pericula vel ad sedandam curiositatem utilis vel necessaria demonstratur. Itaque sententiae catholicorum vix aliter atque hoc modo inter se differunt, quod alii in recto communicationem scientiae, in obliquo silentium; alii vero in recto silentium, in obliquo manifestationem ponunt.

Attamen inter ipsos non convenit quo momento revelatio quae necessaria praevidetur opportunius detur. Alii enim (sic FONSSAGRIVES, cui favet CASTILLON) melius esse arbitrantur ut notitiae de generatione et passionibus ante pubertatem tradantur, cum tunc animo magis pacato recipi posse videantur, et ipsi adulescentes ad futuras pugnas magis instructi et parati accessuri sint. Dum aliis, quibus potius assentimur, anticipata ista notitia minus placet. Namque ultronea ista explicatio curiositatem et exspectationem facile gignit quae mentem occupare et corpus citius commovere possint. Canonem seu regulam omnibus probatam violare nobis videntur: *Conandum est ut mens in rebus istis volvendis quam minime detineatur.*

Caute legendi scriptores.

Si modico tandem dissensu catholici alii ab aliis separantur, facile eveniet ut veram scriptoris mentem ex paucis verbis conclusionis nondum colligere queas, Sic. v. gr. R. P. GEMELLI quaestionem exponere incipit (1) et desinit (2), ut eum revelationi valde contrarium dixeris. Verum patronos manifestationis simul detrectores efficit pudoris «quasi residuum quoddam atavicum ex religiosis principiis (3)», ita ut in huiusmodi sententia impugnanda omnes catholici sane cum ipso consentire debeant; rursus autem in hac re laudat ut perbelle scribentes, OPPENHEIM, qui in loco allegato maturae adulescentium eruditioni verbis satis apertis patrocinatur (4), et FONSSAGRIVES, qui, ut modo dicebamus, revelationem pubertat anteponendam esse censet. Quare doctum virum inter fautores potius quam adversarios gradatae instructionis numerandum esse putamus.

(1) *Non moechaberis*, p. 111. 113. — (2) P. 117. — (3). P. 111. — (4) P. 114. 115 nota.

Quod tamen quidam peccent modo nimis absoluto dicendi, et fingendi se servatores antiquae traditionis catholicae, quae nec fuisse demonstratur nec cum circumstantiis aetatis qua sacrae virgines decus et ornamentum fuere Ecclesiae, nec cum ipsis epistolis S. Hieronymi ad virginem Eustochium, nec cum pluribus s. liturgiae textibus facile componi potest, negare non possumus et dolemus, cum id optandae bonorum concordiae non parum nocere soleat.

Verum, haec fere concors catholicorum sententia etiam animos nobis addit ut de re ista valde delicata, humiliter quidem sed fidentius quid nobis placeat dicamus, cum tandem aliquando satis communem doctrinam enucleemus.

Consideratio vulgaris multitudinis nimis omittitur.

Illud quoque observatum velimus, a plerisque scriptoribus qui optima intentione de re scribunt, fere non attendi nisi ad selectos istos adulescentes catholicos, honestae condicionis, qui in catholicis Institutis gymnasialia studia peragunt; multitudinem autem praetermitti eorum qui, propter ipsam suam condicionem socialem, a parentibus parum iuvantur, et post scholas elementares cum aliis promiscue arti addiscendae vel exercendae in officinis deputantur. Populi tamen istius a nobis christianis, atque in hac aetate « democratica », maxima ratio habenda est.

V. — **Conclusiones.**

Tam complexa est ista quaestio, tam multos habet respectus, ut nisi vel confuse vel nimis absolute dicere placeat, eam uno tenore solvere non possimus. Quare diviso argumento, pluribus distinctis assertis vel conclusionibus, tum de rebus explicandis tum de modo et methodo dicemus quod verum esse et facile *a plerisque* admissum iri arbitramur.

Conclusio generalis summaria.

191. — 1. *Conclusio summaria generalis.* Tot sunt hodie viri auctoritate praestantes qui opportunitatem aptae cuiuspiam et moderatae explicationis mysteriorum vitae tueantur; et miser morum status, qui non est recens, tam optandum efficit progressum moralem, ut locum esse paedagogiae sexuali incunctanter affirmari possit, et de solo modo et hora opportuna seriam controversiam superesse iudices.

Quid paedagogia sexualis.

Ribbing (1) *paedagogiam sexualem* esse dicit « disciplinam quae homini adulescenti constanter assistere seu praesto esse conatur, ut singulis temporibus necessarias et opportunas notitias de rebus sexualibus convenienti ratione suppeditet; et artem simul easdem sic communicandi, ut vitam sexualem sanam, puram et moralem inducant ».

Brevi autem formula concludere posse arbitramur a quonam initio seu principio in dandis consiliis proficiscamur: *Nec naturalis ignorantia per se destruenda est, nec artificialis procuranda est. Rerum sexualium explicationem probamus non eam quae auget sed quae minuit solicitudinem de his rebus.* Quas formulas ideo probamus, quod prior fiduciam in paternam Dei providentiam sapit, altera vero receptae regulae consentanea est, qua id conari debemus ut continentes, quales iuniores ipsa aetate esse debent, mente quam minimum rebus sexualibus occupentur. Priorem Nicolay his verbis confirmat: « Nous estimons malhabile le procédé qui consiste à vouloir élever les garçons dans une ignorance..., artificielle (2) ».

Quaenam res tradendae videantur, et quandonam.

192. — 2. *De rebus gradatim tradendis* id primo observandum est. Ex tribus obiectis: *processu generationis, peccatis, cum perversionibus, et morbis venereis :*

Explicatio *perversionum* potius ad technicam propositionem pertinet, quae profanis inutilis est et mulierum phantasiam damnose turbare potest.

Nulla quoque utilitas est explicandi *morbos venereos* ante aetatem qua illicita commercia cum altero sexu (maxime cum meretricibus) timenda sunt.

Necessitas monendi de gravitate et ratione quorumdam *peccatorum*, statui conscientiae, observatis habitibus maxime cohaeret. Fieri autem potest ut haec monitio explicationem generationis praecedere debeat.

Revelatio *muneris materni* procreationis ex carae parentis corpore, diuturni temporis quo, non sine curis et incommodis puer geritur, laborioso partu deinde edendus et materno lacte alendus, efficacissima apparet ad gignendum et augendum illum pietatis affectum; ne barbaris

(1) Apud Moll, *Handbuch*, etc. p, 976. — (2) In laudando opere *Des enfants mal élevés*, p. 112, n, X.

quidem ignotum, et qui tum proli tum aestimationi muliebris sexus, tum universae societati tantopere beneficus comprobatur. Mater enim iam ex ipsa conceptione, gestatione et parturitione prolis, irresistibili quasi instinctu diligenda demonstratur, dum pater minus ex activa sua participatione in prolis conceptione quam ex providentia quam erga matrem et filios subinde exercet, amore et fiducia dignus efficitur.

Quaenam puellis adultis manifestanda sunt.

193. — 3. *De puellis quae conservatorium egressae sunt* hoc quoque sat manifestum videtur, valde optandum esse ut cum, conservatorium egressae, mundum, ut aiunt, intrare parant, filiae honestae condicionis tunc saltem, nisi iam ante rem resciverint, sive a matre, sive ab alia persona fida de generatione humana clare instruantur; ac simul operae pretium esse videri ut iisdem, nisi altiore vocatione donatae sint, de amoris legitimi fine, oneribus, et sanctitate, etiam ex professo in schola superiore praelectiones fiant. In qua re satis probamus varia consilia tradita a nobili domna D'Adhémar. (1).

Non paucae enim, quae saecularem vitam agunt, in futilibus rebus, immo in vanis somniis et in periculosis amicitiis dies consumunt; aliae, puerili ratione modestae et formidolosae, aliae inconsiderata familiaritate liberiores apparent; erga parum dignos iuvenes imprudenti amore fervere incipiunt, nesciae iurium suorum, nesciae rationis qua dignum simul et opportune iugum ferant. Inde matrimonia contrahuntur quae modicam vitae beatae et christianae spem ipsis afferunt.

Nescio an numquam generalis haec norma agendi interrogantibus nuptis puellis tradi potuerit: « Fac quaecumque maritus postulaverit ». Quod autem in praesentibus adiunctis, ubi filiae tam saepe nuptum mittuntur ad viros qui nec Christum nec mores honorant, iuvenis, nisi egregiis dotibus et pietate insignis cognoscatur, tamquam praeceptor vitae coniugalis proponatur, id profecto nimium est. Quot inde pie et delicate institutae puellae turpibus concupiscentiis servire se coactas existimarunt,

(1) *Nouvelle éducation de la femme,* par la vicomtesse d'Adhémar, 2e partie, c. 3 et 4.

et, pro castis amplexibus, foedum commercium carnale et abiectam vitam sine decore, sine mutua aestimatione, meritis vacuam et aerumnoso fastidio plenam invenerunt!

Deficiente schola, libri quidam sufficiantur qui coniugii christiani fines, dignitatem, iura atque officia caste et dilucide exponunt (1).

Fabulae amandandae.

194. — 4. *De fabulis.* Satis quoque convenit, mendaciis abstinendum esse. Quare ipse CHAUVIN, qui revelationes satis impugnat, haec habet: « Ecartons résolument tout mensonge. Avant tout, il ne faut pas tromper l'enfant. Son père et sa mère lui paraissent le plus souvent deux êtres supérieurs, « deux anges impeccables «, selon le mot du P. GRATRY: sachant tout et pouvant tout. Quel malheur, s'ils venaient à perdre en partie une confiance si douce et si nécessaire au succès de leur mission (2) ! »

Mendacia haec damnabat ROUSSEAU (3); damnat FOERSTER in Helvetia, RIBBING in Suecia (4), RENAULT in Belgio (5).

Omnino itaque improbandae sunt ineptae fabulae quibus ferunt pueros in regione longinqua ex mysteriosa planta ortos navi allatos, dein in mercatu prostitisse venales; vel ciconia quadam in manibus parentum collocatos; verum, ante quam pueri de his rebus interrogare incipiant, formulam aliquam, postea explicandam, veram tamen addiscant: « Pueri parentibus a Deo Creatore tamquam benedictio eorum unionis dati sunt ».

Interroganti puero quid respondendum sit.

Quid autem si puer de infantium origine *interrogaverit* ? Observes bifariam a puero interrogari. Prae sua inconsideratione, puer, ad id fortuita aliqua occasione adductus, alias ponit quaestiones quas, transacta occasione, ipse obliviscitur; alias vero ponit quia mentem his occupatam habet. Prioris generis quaestiones neglegendae sunt, dilata in horam magis opportunam responsione; aliis vero

(1) Optima habentur consilia in libello P. HOPPENOT S. I. *Petit catéchisme du mariage,* nisi quod quae inter coniuges liceant et sint vetita nimis obscura ratione tradit. Satius fortasse fuerit ut opera huius modi medicum et theologum simul auctores habeant; quaedam securius scribi poterunt et maiore auctoritate valebunt. — (2) *De la préservation morale de l'enfant,* p. 70. — (3) *Émile.* — (4) Apud MOLL, *Handbuch,* etc. p. 980. — (5) *La pureté,* p. 41.

satisfaciendum est. Quare, si ita interrogaverit ut rem quaerendo mente persequi videatur, mater ipsi originem maternam declaret.

Explicatio talis est [sicut observat ipse RIBBING (1)] quae mentem diu per se contentam esse sinat; namque, si benedictionem addas matrimonio a Deo datam, adaequata videtur; omni sensualitatis periculo vacat; immo utilis est ad augendum affectum amoris et fiduciae quibus puer matrem prosequitur. Accepta notitia, in quaenam verba puer ultro erumpit? Quod, ex ERNST plures alii (2) referunt: « Quand j'eus fini (verba matris sunt quae rem explicaverat), je sentis deux petits bras enlacer mon cou, et mon petit garçon se serrer contre moi avec un « chère, chère maman, comme je t'aime! » Son affection enfantine se transforma petit à petit en attentions, en soins, en respect qu'il m'a toujours prodigués depuis. Tout petit encore, je l'ai habitué à s'adresser toujours à moi quand il voulait savoir ou comprendre quelque chose. »

Quid interroganda de menstruo fluxu, de nocturna pollutione dicenda sit.

195. — 5. *Menstrui fluxus* quem filia experta sit, mater rationem veram indicare ne dubitet.

Filio autem de *nocturna pollutione* interroganti alteruter parens id naturale esse dicet. Quam occasionem nacti, monita iterabunt ut etiam ad vires integras servandas tactibus parum modestis abstineat, ac si quae dubia habeat, de his vel parentes vel confessarios interroget.

Suntne peccata explicanda?

196. — 6. De *peccatis*, quid dicendum? Tum confessarius prudenti interrogatione vel ex accusationis indiciis, tum parentes, attenta observatione, filium puberem quasi comitentur. Si qua autem suspicio vel pravi tactus aut turbatae conscientiae merito suboriatur, animum ipsi addant ad dubia manifestanda, ipsumque de castitatis obligatione moneant. Pro filii indole et aetate, videbunt utrum necne intrinseca peccati ratio iam exponenda sit.

Quid de morbis venereis.

197. — 7. Cur de *morbis venereis*, ante expleta studia humaniora, sermo instituatur, nulla causa esse videtur; bene vero ut de merito et praestantia castitatis, et de impuritatis detrimentis tum physicis tum moralibus, etiam i

(1) L. c. — (2) V. g. CHAUVIN. op. c. p. 76.

palam in contione, in catechismo explicando, vel alia occasione arrepta, fortiter dicatur.

198. — Post absoluta studia humaniora, plenior de humana generatione notitia etiam ultro nescientibus danda videtur: tum ne castus adulescens incaute in pericula incurrat, tum ne propter ingenua et candida verba irrideatur, et sic, conscius suae ignorantiae, timidius cum sociis agere cogatur nec virilem animum explicare queat. Praeterea, castus iuvenis ea tunc aetate est ubi, firmatis viribus, scientia ista innocua dici potest, et ubi decet ut virtutem deliberato animo sectari discat. Nihil etiam obstat (immo expedit) quin tunc quaedam de morbis venereis misceantur, tamquam de secundaria ratione propter quam inhonesti amplexus fugiendi sint. *Ultronea explicatio quibusnam danda sit.*

Atque sic iam de gradata explicatione mysteriorum vitae diximus.

199. — Quod iam ad *modum* et *methodum* attinet: *De modo explicandi.*

1. Cum omnibus catholicis et plerisque prudentibus scriptoribus, *collectiva* seu communis rei expositio in scholis elementaribus (*primaires*) et medii gradus per se improbanda est: tum quia ad alumnorum varietatem, qui qualitate seu virtute, cultu, viribus, necessitate differunt, huius modi instructio aptari nequit, tum quia sic fere invitantur alumni ut, quod pessimum est, haec inter se, post scholam conferant; tum quia prudens expositio auctoritatem et artem quae omnibus minime praesto sunt in magistro supponit. *De collectiva explicatione.*

2. Ante finita humaniora studia, alumnis tradendi non sunt libelli quales *Sex series*, quibus, etiam recta intentione, res satis plene proponuntur. Cur enim plenam iam notitiam demus, ubi sola partialis, pro cuiusque nenessitate, opportuna est? Nonne sic iterum auream, omnibus probatam regulam violaremus: Curandum est ut de rebus sexualibus quam minima sit inter studendum sollicitudo (1)? *De libellis tradendis.*

---

(1) Ipse Ribbing, apud Moll, *Handbuch*, etc. p. 896, monet ne scripta de rebus sexualibus, etiam quae optima intentione confecta sint, legenda tradantur pueris ea aetate qua scholas frequentare debent.

Verum opuscula, sapienter et catholice conscripta, valde utilia esse possunt:

a) *Parentibus*, ut in officiis suis melius eruditi sint. His commendari possunt v. g. ERNST, *Elternpflicht*, atque etiam opera a FOERSTER conscripta: is enim, quamvis protestans sit, spiritu *fere* catholico imbutus est.

b) *Nupturientibus*, ut de vita coniugali et conexis obligationibus bene instruantur. Iuvari possunt v. gr. opere D. SURBLED, *La vie à deux* (excepto obscuro loco de prima copula « paulatim praeparanda »), ac citato iam opere P. HOPPENOT, *Petit catéchisme du mariage*.

c) Adulescentibus qui Universitates frequentant: uti possunt, v. v. gr. GUIBERT, *La pureté*; GUITTON, S. I. *De la chatesté*. Commendandae quoque ipsi sunt *Lettres à un jeune homme*, P. LACORDAIRE O. Fr. Praed.

In opuscule: *L'éducation de la pureté. Faut-il parler? Que dire Comment le dire?* par un Père de la Comp. de Jésus, brevem, perspicuam, decenter tamen scriptam rerum sexualium expositionem reperiet iuvenis qui nihil novit et ea aetate vel condicione est qua omnia ipsi simul declaranda esse videntur.

e privata explicione: ad quos-n spectet;

3. Privatorum autem necessitati vel utilitati in hac re consulere spectat tum ad parentes, tum ad confessarium seu animae rectorem. Si quis alius expedire existimet ut cuiuspiam ignorantia depellatur, id sine parentum assensu ne fiat: sin minus, quasi de usurpata provincia sua, merito conqueri possint, et plures re vera conquesti sunt. Cautissime autem agant qui nondum sacerdotes sunt; ac, nisi valde prudentioris v. gr. Superioris consilio regantur, de his rebus sileant nec solliciti sint.

uomodo faciensit.

Privata autem informatio sit brevis, simplex, sine apparatu: is enim ansam variae suspicionis dare possit. De altiore functionum fine agatur, et adulescenti commendetur ne talia cum sociis communicet.

Scriptas de his rebus methodos adire necesse non est. Satis est ad pauca attendere. Mater v. gr. dolores suos in partu memorare ne omittat, ac mirabilem Dei Providentiam celebret.

In exponenda ipsa generatione, prima comparatio a plantis potius quam a brutis sumatur. Atque in allegandis animalibus iuvabit potius discrimina quam similitudines

efferre; id autem praecipue ostendere, quantum bestialis instinctus ab humano amore differat. Atque immorandum est in partibus explicandis quae Deo competunt, ut probe in comperto sit cur coniugalis hominis procreatio per se sancta sit.

200. — Verum hactenus dicta potissimum quadrant ad adulescentes qui in catholicis gymnasiis instituuntur.

Quid de adu scentibus statue dum est qui min pie instituunt vel pauperes sun

Quid autem de aliis dicendum erit? Quid de *pauperibus* qui in officinis socios minus bonos fere necessario frequentant, turpes eorum sermones audiunt?

Hi de mysteriis vitae nihil ignorare solent, ita ut potius de vitiis fugiendis monendi sint. Si qui tamen ignari reperti sint, potius est ut de re doceantur.

« Il ne me parait pas douteux qu'une initiation préalable, non pas scientifique et complète, mais individuelle, prudente, conduite avec tact et gravité par une personne pourvue d'autorité morale, présentant le mystère des origines de la vie dans la beauté du plan providentiel, sera le plus souvent, dans de pareilles conditions, une force et un bienfait.

« Elle sera un calmant pour la sensibilité et pour l'imagination. Elle offrira aux âmes nobles, — et il s'en rencontre partout, — une sphère supérieure où elles puissent échapper, du moins en partie, à la grossièreté et à la sensualité ambiantes ». Sic ipse CHAUVIN op. c. p. 88.

His maxime expedire putamus ut etiam palam, in scholis vel patrociniis, ad altiora consideranda provehantur. In plantarum multiplicatione Dei opus mirari discant, de dignitate humana certiores fiant et imbuantur, pravos socios pro viribus fugere norint; et positivis foederibus boni bonos adiuvare et fragiles confirmare assuescant. Nihil enim ipsis tam proderit quam suscepta provincia cuiuspiam apostolatus pro puritate exercendi.

Neque hic igitur publica de humana generatione explicatio, quae formalis sit seu directa, ad disciplinam puritatis pertinere videtur.

201. — Restat itaque universalis haec conclusio. Ad illustrandam mentem, ad deterrendum ab inhonestate, ad excitandum castitatis amorem, multa, in scholis etiam puerorum aperte tradi possunt. *Nusquam* autem *publicam* declarationem mysteriorum vitae, saltem quod attinet ad

Publica et form lis declaratio n steriorum vi nusquam ad d ciplinam casti tis pertinet.

carnalis commercii et generationis humanae rationem, cultura castitatis imperat vel suadet. Pro aetate, loco et adiunctis, alumni harum rerum vel ignari vel periti supponentur, *formaliter* autem eas in ludis vel scholis non edocebuntur.

Nec puritatis spem reponimus in ipsa revelatione, qua tali, sed eam, prudenter factam, admittimus ut partem (non principalem) probe intellectae paedagogiae sexualis, quae adulescentibus magis ordinata methodo assistere proponit: ut plures quam nunc ad maturam aetatem sine naufragio morali perveniant; atque opportunas indicationes probamus quae *a*) revelationes malorum consiliariorum praeveniant; *b*) impediant ne iuvenes turbatum phaenomenis physiologicis animum gerant; *c*) magis expositos et maturiores ab illicitis commerciis avertant; *d*) nubiles puellas a nugarum dissipatione et periculis evocent; *e*) inter parentes et filios fortius fiduciae et amoris vinculum inducant; *f*) virtutem consciam fortioribus reddant, et meliorem intellectum dignitatis B. Mariae Virginis et beneficii Incarnationis procurent.

Sic media via processisse arbitramur. Quam mediam viam auctoritate sua confirmat Lehmkuhl, his verbis: «Disputatur, quid fieri oporteat vel conveniat, circa instruendos filios filiasque de re sexuali, siquidem tum praepropera harum rerum cognitio periculosa esse possit atque peccaminosam inquisitionem inducere et incautos periculis seductionique obnoxios reddere facile queat. Quae instructio sane pro diversis circumstantiis diversimode facienda est eaque vigilantiae et prudentiae parentum relinquenda, ne in unam alteramve partem peccetur. Quamquam vagam scientiam, parentes esse qui filiis vitam dederint, cum iis communicare convenit, cum post plenum eorum rationis usum occasio se obtulerit: notitia tamen de ipsa re sexuali et venerea, eaque *sobrie et breviter* danda, differenda est usque ad tempus quo pubescere incipiant, neque generatim ultra id temporis diu in ignorantia relinquendi sunt. Verum quo purior fuerit mentis educatio atque a lubricis imaginationibus remotior, quo magis aliena ad omni mollitie sed coniuncta potius cum moderata duritie corporis cultura: eo felicius protrahi potest rerum sexualium sancta ignorantia, atque eo diutius retardatur ipsa corporis pubertas (1).»

(1) *Theol. mor.* I, 942.

CAPUT. II. — De vita pura conservanda e confirmanda.

Articulus I. — De puritatis custodia extra statum coniugalem.

Quaenam studia caelibi commendanda sint.

202. — Quibus artibus generatur, iisdem puritas conservanda est.

Homini itaque caelibi qui, sive propria electione, sive necessitate coactus, castitatem perfectam observare debet, haec praecipue providenda sunt.

1. Sincera et firma voluntas nullam venereamdelectationem directe vel indirecte quaerendi;

2. Tale animi robur quod periculo utiliter sustinendo par sit, ita ut nihil quod personam suam, munus suum, statum suum decet, timidius declinandum habeat;

3. Robori isti coniuncta humilis modestia, quae indecora et minus pudica ultro repudiet;

4. Prudentia ad ea avertenda quibus venereae cupiditates incenduntur.

Haec autem sunt: omnis intemperantia cibi, potus, somni; immo notabilis usus potus inebriantis (alcohol); — omnis sensibilis amicitia quae amorem sexualem imitatur; — suspecta curiositas in lascivis libris legendis, in lubricis rebus vel spectaculis aspiciendis; — omnis libidinosus sermo, immo is etiam qui de rebus indecoris vel sordidis agat.

Omnes enim ad unum sentiunt fomenta erotica viro caelibi fugienda esse.

« La vie de luxe et de plaisir à outrance, telle qu'elle est pratiquée sur une si grande échelle, laisse le jeune homme sans défense contre les entraînements et les séductions qui guettent sa pureté: noble vertu que le christianisme a enseignée et réalisée, mais par des moyens tout opposés. Permettre à l'adolescent et au jeune homme de tout voir, de tout entendre, de tout lire, de s'amollir dans les plaisirs de la table, au lieu de travailler à acquérir cette noble endurance que donnent le travail, la sobriété, le sage gouvernement de tous ses sens, c'est éveiller, de gaîté de coeur, les excitations organiques et les stimulations auxquelles il succombera.

On se plaint que la chasteté soit impossible, et l'on fait tout pour la préparer à sombrer (1) ».

5. Qui christianam simul et sibi constantem vitam agere voluerit, mundanum spiritum universaliore ratione abdicabit. Verissima sententia in eius mente penitus inhaerescat, spiritum Christi cum spiritu mundi componi non posse. Christus ait: « Tolle crucem », mundus autem: « Coronemus nos rosis (2) »; Christus iubet bene facere, mundus autem delectari. Haec, quo pacto inter se copulari possint?

Quare nec *choreae* nec *scaenici ludi theatrorum* christiano probata et accepta erunt.

Iudicium de choreis.

203. — Non *choreae*. Ubique enim, apud barbaras gentes et apud excultos populos, choreae, nisi bellicas actiones stricte repraesentent, amatoria facta, v. g. persecutionem qua mas feminam consectatur, exprimunt vel imitantur. Et quamvis apud nos saltationes etiam exerceantur quae nullam fictionem continent, paria saltantium, ex utroque sexu composita, amatoriam significationem prodere solent (3).

Atque ubique saltem, etiam si significatio ista desit vel non attendatur, ex vestitu, contactu, festivo apparatu, omnia hominem ad sensuales commotiones disponunt.

Quocirca quantum condicio socialis id ferat, verus christianus his abstinet et se expedit.

Nec choreas necessarias putabit ut filiae nuptum tradi possint. Quot enim filiae choreis abstinentes in honestissimis familiis collocatae sunt; quot, contra, aliae in choreis assiduae, frustra sponsum votis appellarunt! Suntne autem choreae felicia coniugii auspicia? Non hoc putarim, nec sensus communis ita iudicare videtur, cum proverbium sit: « optima extra nundinas ab emptoribus reperiri ».

Quibus verbis tamen non negamus in quibusdam locis innocentes et innocuas esse choreas, quales describit Berardi in suo *Praxis confessariorum*.

---

(1) Dr medicus Warlomont, *Annales de la Société scientifique de Bruxelles*, 1906. 1907. Supplément. Discussion du rapport du Dr Francotte, *De quelques points de morale sexuelle*, etc. p. 44.

(2) Sap. 2. 8. — (3) Moll, *Handbuch*, etc. p. 585.

De scaenicis ludis theatrorum.

204. — *Nec ludi scaenici publicorum theatrorum* a christiano amari possunt. Sive enim pleraque fabularum argumenta, sive coniunctas choreas, sive paene necessariam vel saltem frequentissimam corruptionem puellarum quae operam suam in his locant, sive commercia et studia eorum qui spectacula frequentant consideres, nonne alienissima ab evangelico spiritu pronuntianda sunt?

Dicesne illa excultae vitae necessaria? Quo modo tunc in solis maioribus civitatibus reperiuntur? Nonne autem democraticis praesentis saeculi studiis repugnat, ut necessaria dixeris quae plerisque impervia sunt, et unde honesta plebs excluditur?

Itaque, frequens praesentia catholicorum in hodiernis theatris publicis dissuadenda est. Toleranda est ea quae per modum recreationis interdum eligitur. Fervor tamen pietatis huius modi recreatione abstinebit.

Haec sola praesentia commendanda est quam specialis utilitas vel status decentia postulare potest: in talibus adiunctis catholici impavide simul et honeste agere discant.

Spiritus apostolici utilitas.

205. — Consilia autem fovendae castitatis maxime spiritu apostolico promovebuntur, quo et operibus bonis nos addicere et ipsam castitatem aliis reddere vel magis inculcare velimus. Qui usque ad apostolatum amorem puritatis perduxerit, castus facile erit; integra mente fruetur, atque, quod addendum est, castitatem beatam possidebit.

Christianae vocationis nobilitas.

Ne dubitemus itaque huius modi studia commendare. Id demonstremus, vitam Christo et bonis operibus devotam non singularem paucorum sed communem christianorum vocationem esse. Omni enim modo illam quam dicunt « sublimationem » animarum fovere debemus. Cfr. etiam n. 219.

Articulus II. — De coniugali castitate servanda.

Castitatis coniugalis scopuli.

206. — Coniugalis castitas ab *adulterio*, ab *onanismo solitario*, ab *onanismo coniugali* defendenda est. Coniux enim tentari potest ut veneream delectationem vel cum aliena persona, vel solus, vel cum coniuge inordinate quaerat.

Utilitas praeparationis animi ad continentiam.

1. Ad excessus istos praecavendos, plurimum proderit generalis animi praeparatio ad continentiam servandam, si quid usum coniugii impedire vel dissuadere videatur.

Ad id autem nemo perfecte comparatus erit qui absolutam legis moralis necessitatem non profiteatur, et persuasum non habeat fidelem esse Deum, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. (Cfr. 1 ep. ad Cor. 10, 13).

Spiritus alienus a mundo fovendus est.

2. Generali etiam ratione, maxime autem contra duos priores abusus, conducet ut spiritus procuretur alienus a mundano isto qui scaenicos ludos, choreas et varias huius modi exteriora saeculi festa avet. Ab errore praesentis quaerendae facilitatis profecta, plena sunt peccatis, illecebris et scandalis istius mundi cui, propter scandala, CHRISTUS *vae* dixit (1). In festis istis, virtus ludibrio habetur ; insidiae innocentibus struuntur ; studium placendi mixtum facilitate vivendi, explorandi, conveniendi, concupiscentiam auget, omne ambitionum genus fovet, animos suspectis vel impuris affectibus incendit, ab ordinaria autem et quieta vitae consuetudine avertit.

Quid, quod mundani isti congressus libertatem postulant quam proles et conexae cum generanda et instituenda prole obligationes esse non sinunt ?

Iam S. IOANNIS CHRYSOSTOMI auctoritate fretus, P. HOPPENOT theatrum definit : *Destructeur de la vie de famille* (2).

Officium porro nostrum est ut animum excolamus sincere christianum ; satis firmum ut, quatenus ratio quaedam superior ex loco quem in civitate occupamus, ex studiis quibus addicti sumus illud postulet, mundana honeste participare possimus et velimus ; satis tamen nobilem ut, infirma haec contemnentes, vana ista oblectamenta numquam propter se quaeramus vel affectemus, aut in his delicias et felicitatem nostram reponamus : ad maiora nati sumus.

Quantum oportet ut apti tantum matrimonio iungantur.

207. — 3. Ad praecavenda *adulteria* et etiam *onanismum solitarium* vel *coniugalem*, aliquid principale est ut matri-

(1) Ev. S. Matth. 18, 7. — (2) *Petit catéchisme du mariage*, p. 188.

monio iungantur personae physice et moraliter *aptae*, quae onera matrimonii ferre paratae sint. *Quid idcirco procurandum est?*

Quocirca *a*) Qui statum matrimonialem eligunt, praesertim *puellae*, veram coniugii rationem, certe ante sponsalia, immo ante quam de nuptiis faciendis cogitent, probe perspectam habeant, ne, ignarae officiorum suorum, haec deinde recusent vel saltem aegre et invitae ferant.

Quod ad *iuvenes:* valde cavendum est ne statum coniugalem tamquam opportunum refugium omnibus libidinosis suadeamus. Medici, sive pii sive increduli, de hac re idem sentiunt, neque omnibus qui masturbationi indulgent, neque ulli qui funditus inversum appetitum habeat, coniugium commendari posse.

Audiatur D.r medicinae professor Francotte (1): « Le mariage, on semble l'oublier parfois, c'est une affaire à deux. Il ne serait pas mauvais de songer un tantinet à l'*autre*, à cette jeune fille, tout anonyme qu'elle puisse être encore, qui doit faire l'office de remède.

« L'union matrimoniale est autre chose qu'un accouplement physiologique. Elle requiert l'union des âmes, l'harmonie des sentiments, l'amour avec l'esprit de sacrifice et de fidélité. « C'est le coeur qui est l'architecte de ce sanctuaire auguste qu'on appelle la famille » (Bougaud). Certains semblent n'avoir cure de tout cela, et ils ordonnent le mariage comme ils prescrivent un purgatif. —

« Et puis, il n'est pas inouï que le mariage aboutisse à la procréation. Que seront les enfants issus de si mauvaise graine ?

«... Je sais que des auteurs très estimables: Surbled, Heuschen, Capellmann, recommandent le mariage comme remède à la masturbation. Cette recommandation ne convient pas à tous les cas indistinctement. La masturbation présente de multiples modalités, affecte des degrés variables de gravité... Il y a certainement des cas... où la masturbation n'est que l'épiphonème, et où il serait insensé et même coupable de pousser au mariage. Le conseil pourrait s'appliquer à des formes légères, accidentelles, chez des individus sains, sans hérédité criante. Mais ici surtout il convient de toujours se rappeler, que « les conseillers ne sont pas les payeurs ». Pousser au mariage un inverti foncier, c'est risquer, presque à coup sûr, les pires conséquences pour le sujet lui-même, pour celle qui s'unira à lui, pour sa descendance éventuelle ».

---

(1) *De quelques points de morale sexuelle*, etc. p. 27 et 33.

Itaque, ante quam huius modi consilium detur, medicus expertus et probus omnino adeundus erit.

b) Ad matrem potissimum pertinet corporalia vitia, maxime filiae, non sibi dissimulare sed explorata habere; et, si quid coniugio obstet, illud opportune manifestare filiae, vel eius vitam ita regere ut ad proponendum coniugium numquam deveniat.

d) Cum multi hodie sint de quorum valetudine vel viribus vel physica aptitudine dubitari possit, nullatenus obsistere debemus ne mos inolescat ut altera pars (i. e. parentes et sponsus vel sponsa) alteri parti examen personae per honestum medicum offerat et admittat.

e) Sed de moribus quoque maxima sollicitudo habenda est. Quocirca, nisi res plane aliunde constet, parentes christiani, ante quam assensum matrimonio dent, certiores fiant de recto coniugii usu, et, si casus inciderit, de honesta in coniugio abstinentia.

Immo de persuasionibus et intentionibus parentum sponsae indagatio facienda est. Nonne evenit ut mundani parentes generum crudelitatis arguant eo quod uxori filium vel filiam dederit, aut primis nuptiarum annis, aut supra numerum quem iustum existimant, i. e. ultra duos vel tres: qui limes hodie saepe ponitur? An audacia cedemus mundanis parentibus, qui condiciones substantiae matrimonii contrarias apponere interdum non dubitant?

Spes felicis coniugii augenda est. Quomodo?

208. — Peculiaris securitas ab *adulteriis* quaerenda est ex omni ratione augendi spem felicis coniugii. Ad id autem refert:

a) Ut magna aestimatio coniugii christiani foveatur. Proinde, hodie saltem, ne repraesentemus statum coniugalem tamquam minus Deo acceptum, toleratum potius quam permissum, et iis tantum utilem quorum infirma virtus ad continentiam servandam non valet. Sed potius exhibeatur ut status qui, ex intentione divinae Providentiae, adhuc tamquam communis hominibus destinatur; qui, magna dignitate in christiana religione actus, iis per se commendandus est qui, physice et moraliter apti, efficacem voluntatem, ex Dei gratia, altioris consilii habituri non videntur.

b) Ut fiat inter personas quas vera aestimatio verusque amor mente prius quam corpore coniunxerint.

c) Consequenter, ut alter alterum de servata castitate laudare possit, et in praeterita virtute causam reperiat cur etiam de futura fidelitate non dubitet.

Error eorum qui filiam tantum exoptent puram ante matrimonium.

Quare vix quidpiam stultius reperias mundano isto praeiudicio, quo filiae purae maritus praefertur qui illicita commercia habuerit. Hoc, etiam nomine scientiae, sensati medici repudiant (1). De hac re, ita BOURGAS : « Étrange mépriso.., L'expérience acquise dans les amours faciles est des plus trompeuses, et ne peut que devenir préjudiciable à l'homme assez imprudent pour croire qu'il en trouvera l'application dans son ménage. C'est qu'on ne peut conclure de la femme folle de son corps à la jeune fille chaste et modeste. Entre elles, la différence n'est pas moins grande moralement qu'au point de vue physiologique ». *Le droit à l'amour pour la femme*, p. 74.

d) Ut tum vir tum uxor ita edocti sint, ut suo quisque iure moderate utatur, et satisfactioni alterius magis quam propriae consulere velit. Huc speciali modo appellanda sunt verba Apostoli : « Non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum » (Epist. ad Philipp. 2, 4).

e) Vitam vere communem vir et uxor agere assuescant. Quare, quotquot anthropologicis rebus student consentiunt in improbando more, in quibusdam civitatibus hodie non ita infrequenti, quo ambo coniuges separata cubicula habitare consueverunt. Id non tantum faciliores praebet, praesertim marito, adulterii in ipsa domo coniugali patrandi occasiones, sed etiam de se mutuam personarum unionem et quasi fusionem minuit vel impedit. Separatio cubiculorum, sic dici potest, mox evadit separatio animorum.

209. — 5. Quod ad artes *neomalthusianas*, praeter ea quae supra iam scripsimus, haec notanda sunt:

Quo modo ab artibus neomalthusianis coniuges avertendi sint.

Formalis error est eorum qui ignorant felicitatem hominis ex egcismo postposito, non autem audito et expleto repetendam esse. Immediati boni delectabilis specie decepti, v. gr. itinerum, festivitatum, exemptionum, liber-

(1) Cf. FÉRÉ, *L'instinct sexuel*, p. 320 ; RIBBING, apud MOLL, *Handbuch*, p. 945-949.

tatum, maioribus bonis quae in filiis procreandis et instituendis latent valedixerunt.

Consentiunt scilicet ut minus ament, ut minus amentur, ut minus sint, ut minus durent, ideo ut ineptam ac fugacem laetitiam captent!

Sed, ut errorem suum intellegere *velint*, oportet:

Ut *christiane humiles*, sua condicione contenti vivant, nec impatienti altioris desiderio torqueantur;

Ut *christiane pii* in filios, his virtutem et honestum laborem prae divitiis et molli otio praeoptent.

Ut *christiane mortificati*, ad filios alendos et instituendos et officia adimplenda, varias delectationes libenter abdicent.

Cum autem multi homines haec non velint, vel non satis firma voluntate amplectantur, inde fit ut argumentis contra neomalthusianismum allatis parum moveantur. Idest, si falsis praeiudiciis ramum aliquem eripueris, radix erroris in corde vivere pergit.

Itaque, donec ista evellatur, secundariae tantum rationes multis proponi possunt, quae sensu quopiam honestatis et nobilioribus animi instigationibus iuvari et roborari, quamvis parum consequenter, possunt.

Aptissime, in hunc finem, allegabimus:

a) Formidanda *vitii incrementa*. Ex quo libellum scripsimus: *Le problème de la natalité en Belgique* (1), res etiam peiores evaserunt. Anno 1900, fecunditas matrimonialis decrevit 28 ex mille incolis; anno 1907 exeunte, 58, 2 ex mille incolis; anno 1910, 69 ex mille incolis. Si fecunditatem quam anno 1880 matrimonia habebant Belgium servasset, anno 1910, nati essent 231902 infantes, dum soli 176413 nati sunt. Itaque, solo illo anno 1910, Belgium amisit 54687 infantes. Per recens bellum 1914-18, rerum omnium caritas novos addidit praetextus quibus mala aucta sunt, ita ut in pluribus locis plures morerentur homines quam nascerentur infantes: quod iam ante bellum in Gallia observatum est.

Quam late autem saeviat pestis neomalthusiana, de-

(1) Cf. p. 12-16.

monstrant sequentes rationes statisticae, utcumque imperfectae sint (1).

Decennium maximae fecunditatis		Fecunditas	Anno	Fecunditas
Anglia	1871-80 (circa)	35 ‰	1912	23,8 ‰
Austria	» »	39 »	»	31,3 »
Belgium	» »	32,7 »	»	22,6 »
Dania	1851-1860	32,5 »	1914	25,6 »
Gallia	1801-1810	32,2 »	1913	19 »
Germania	1871-1880	39,1 »	1913	27,5 »
Hollandia	» »	33,4 »	1914	28,2 »
Hungaria	1881-1890	44 »	1912	36,3 »
Italia	1881-1890	37,3 »	1913	31,7 »
Norvegia	1851-1860	33 »	1914	25,2 »
Serbia	1881-1890	45,4 »	1912	38 »

b) *Detrimenta* quae causa *patriae* inde accipit. Per ipsum bellum, nonne res publica Galliae in maximum periculum et extremum paene discrimen adducta est, ita ut, seclusa etiam religiosa et morali consideratione, vitium istud societatibus et legibus coercere coeperint? Dum Germania (quae tamen ipsa iam vitio invaditur) quotannis 700-800 millibus hominum augetur, in Galliae iam non semel accidit ut in anno plures mortui sint quam nati.

c) *Mala* quae artes istae *valetudini*, *felicitati* coniugum gignunt, ita ut inter potissimas causas divortiorum numerentur.

Diffitendum tamen non est oeconomicas familiarum condiciones magnae fecundidati non raro adversari, ita ut numerosa proles, sicut altissimis rationibus, sic etiam socordi improvidentiae nihil habentium vel nihil sperantium ascribi queat. Nec Ecclesia imprudentem multiplicationem sed castum coniugii usum commendat. Quare illud summum est, ut coniuges bonis moribus addicti, nullo pacto ab honestatis tramite deflectere velint. Tunc genus

(1) Catalogum mutuamur a cit. *Declining Birth Rate*, p. 3 et 22. Statisticas rationes imperfectas dicimus quia, potius quam ad universum populum, ad matrimonia exsistentia nativitates comparandae sunt. Anno 1912, pro Germania non sunt inclusae binae regiones *Mecklemburg-Schwerin* et *Strelitz*.

humanum iusta incrementa sibi sperare poterit quae privata coniugum condicio, quae publica utilitas habenda suaserit. Cf. nostrum *Le problème de la natalité en Belgique*, et opusculum Prof. E. Jordan, *Religion et natalité* (*Revue du Clergé français*, 1 et 15 déc. 1918; 1 et 15 janv. 1919).

APPENDIX — Quaestiones residuae.

Iuvat, hoc loco, paucis verbis tria attingere quae, cum custodia castitatis conexa, hodie valde agitantur.

I. — *De relativa continentiae servandae difficultate.*

Quinam facilius, quinam difficilius continentiam per se servent?

210. — His qui sexuali commercio abstinuerunt terenda castitatis perfectae via multo planior quam nuptis et viduis esse solet.

Hoc medici et anthropologistae testantur. « Comme le dit Acton, chaque année d'abstinence volontaire rend, par la force de l'habitude, la chasteté moins dure. — Par contre, celle-ci est bien plus difficile, lorsqu'elle succède à une période plus ou moins prolongée d'activité sexuelle, comme c'est le cas pour les veufs et les veuves, dans l'emprisonnement, dans les longs voyages sur mer (1). »

Hinc etiam valde improbant pessimum istud consilium quo quis, ad sedandam nimiam concupiscentiam, temporalem concubinae usum tentare voluerit.

Praesidium nobilis amoris.

Quando autem de legitimo commercio coniugali agitur, ipse Deus nobilem simul affectum dilectionis excitavit, in cuius constantia coniuges et vidui praesidium adversus vehementiores tentationes invenire queunt. Nec desunt exempla hominum qui, postquam coniugium experti sunt, proli natae se ita devovent, vel caram amissae coniugis memoriam ita servant, ut alia foedera respuant, vel ipsam vitam religiosam aut sacerdotalem professi sint et illibatam egerint.

Nulla enim est difficultas quae Christi discipulum deterrere queat aut debeat.

---

(1) Dr Francotte, *De quelques points de morale sexuelle*, etc. p. 22. Sic explicatur etiam quo modo in portibus ubi naves maritimae appellunt lasciviae nimis indulgeri consueverit.

II. — *De publica morum tutela.*

Quid leges civiles hodie praestent.

211. — Praeter privatam castitatis custodiam, qua sibi quisque consulit, *publica* morum tutela legibus et decretis exercenda est. Praeter autem praemia vel subsidia quibus privati conatus singulorum vel societatum laudantur et iuvantur, publica tutela in sanciendo legitimo matrimonio et in prohibendis delictis maxime consistit. Matrimonii sanctionibus reprimitur adulterium, saltem in quibusdam adiunctis, et coniugi ac legitimis liberis iura tribuuntur quibus concubina et illegitima proles exclusi manent. Prohibitiones huc potissimum spectant, ut iunior aetas a vi vel insidiis, omnes vero in publicis locis a sollicitationibus, ab obscenis exhibitionibus protegantur.

Quam timida, quam lenta manu civilis potestas bonos mores hodie tueatur, omnibus nimis pro comperto esse debet.

Sed quamvis modicum auxilium e legibus exspectandum sit, oportet nihilominus ut catholici omnia studia foveant quibus libido magis coerceatur.

Ratio agendi catholicorum.

Itaque pro viribus operam impendent ut leges de matrimonio a veritate naturali et a iuribus in praesenti ordine divinitus Ecclesiae concessis quam minime recedant; ut vitiosa decreta prudenter corrigantur; ut legitimo toro sua maneant privilegia; ut diffusio artis neomalthusianae inhibeatur; ut orphani et pueri a parentibus neglecti recte instituantur; ut scaenici ludi et cinematographicae imagines nihil quod pudorem offendat, nihil quod matrimonio et honestati detrahat, nihil quod artem peccandi vel scelera patrandi doceat, contineant. Quid plura, cum omne tentamen ad mores publicos protegendos vel corrigendos, si rationabile sit, naturales in catholicis patronos invenire debeat? Ipsis autem recentibus exemplis efficacia prudentis et fortis simul actionis comprobatur.

III. — *De meretricum et quarundam concubinarum tolerantia.*

Hodierna quaestio de meretricibus.

212. — Non modica hodie controversia orta est de mulieribus quae pudicitiam suam prostituere solent. Antiquitus iam toleratum est ut mulieres, saltem adultae, sui corporis quaestum facerent; immo privata hospitia admissa sunt, ubi conductae meretrices omnibus venales prostant.

Recentioris autem aevi legibus hae solae feminae turpe istud commercium exercere sinuntur quae, a constitutis medicis saepius exploratae, fidem de sano corpore facere possunt. Earum nomina specialibus tabulis inscripta sunt.

Age porro, non desunt qui hygiasticas istas cautiones valde impugnant. Inefficaces enim demonstrari ad pericula morborum avertenda; falsa autem quam dare videntur securitate vim seductionis augeri; scandalosam praeterea esse publicam istam quasi tutelam luxuriae; denique, ad eludendas istas leges, non paucos publicos officiales pecunia vel etiam peiore ratione a meretricum patronis vel ab ipsis meretricibus corrumpi.

Praeterea, sic insistunt « feministae », nonne indigne ferendum est, ut tales leges scandalosam istam inter utrumque sexum inaequalitatem inducant, qua viri morbis suis miseras feminas impune inficere permittantur, dum solus masculinus sexus a contagio protegitur? Nonne pleraeque mulieres a viris vitiantur?

Cur ergo solae feminae, non autem iuvenes et viri qui lupanaria intrant corpus medico exhibere debent?

Inde leges proponunt, immo iam obtinuerunt, v. g. in Dania, quibus, pro ista necessaria corporis inspectione, poenae statuuntur contra quemlibet qui dolose vel imprudenter alium lue venerea coinquinaverit. Atque in pluribus iam regionibus, v. g. in Anglia, decreta de inscribendis et examinandis mulieribus abolita sunt. De inde consecuto meliore vel peiore morum et virium corporalium statu fautores et adversarii libertatis inter se certant et « statisticas » rationes appellant. (Cf. Moll, *Handbuch*, etc. p. 361 ss.)

Haec diutius versare non vacat. Verum universalius quaeri potest num causae adhuc subsistant cur lupanaria, immo infamis proprii corporis quaestus tolerentur. Timebant olim ne, suppressis meretricibus, honestae puellae ab impuris viris nimis vexarentur (1). Cum iam fortiore et sollertiore disciplina publica (*police*) utamur, estne cur talia formidemus? Nec viae occultae explendi libidinem vitiosis hominibus desunt. Pleraeque meretrices occultae sunt et leges fugiunt: quo etiam argumento contenditur leges istas abolendas esse. Anno 1911, Berolinensis civitas vix 3706 inscriptas in tabulis meretrices numerabat, dum circa 25000 ibi quaestum sui corporis facere videntur (2). « Berolini, ait Noldin (3), 5000 prostitutae publicae, 40000 clandestinae sunt ; Viennae, 2000 publicae, 20000 clandestinae. » Bruxellis (in civitate proprie dicta) anno 1904, sex tantum lupanaria exsistebant quae (*simul sumpta*) circa 60 meretrices continebant ; universim autem 190 scorta in tabulas relata erant. — Adde iam sociale scandalum ex legali ista recognitione manans. Propter meretrices, matrimoniale institutum irridetur, et qui novis rebus student inde contra praesentem ordinem invehuntur (4). Certe, in Anglia, domna Iosephina Butler publicam prostituendi corpus tolerantiam impugnavit. Berolini, Londini, lupanaria proscripta sunt ; in universa Dania et in urbe Neo-Eboracensi ipsum meretricium poenis afficitur.

Haec a theologo diligenter observanda sunt, ne utili reformationi sero adhaerere videatur, nedum ullam ipse laudabiliter inceperit (5).

---

(1) Cf. S. Alphonsum, l. 3, n. 434, ubi citat dictum ab Augustino : « Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus » (*De Ordine*, l. 2, c. 4, n. 12. M. 32, 1000). Addunt quoque, suppressis meretricibus, peiora peccata sodomiae, bestialitatis, mollitierum eventura esse. Verum iam diu responsum est, peccata ista per meretrices non auferri, multa autem alia mala superaddi. Cf. S. Alph. loco citato. — (2) Moll., *Handbuch*, p. 371. — (3) *De sexto*, n. 18, nota 1. — (4) Cf. v. g. Forel, *La question sexuelle*, p. 327: *Prostitution et proxénétisme*. — (5) Noldin etiam refert controversiam de publica prostitutione ; lupanaria autem nullatenus ipsi toleranda videntur. (*De sexto*, n. 18, in fine.)

Laudandae leges et institutiones.

Non est itaque cur de meliore morum publicorum statu desperemus. Interea, leges commendabimus quae, sicut in Belgio, stricte vetant ne cauponae in lupanari erigantur: qua sola lege infames domus numero valde minutae sunt. (Cf. Moll, *Handbuch*, p. 355.)

Laudabimus quoque municipales potestates quae sedula cura attendunt ne clandestina lupanaria constituantur.

Maxime laudabimus leges et societates, qualis internationalis consociatio « *Pour combattre la traite des blanches* », quae puellas a seductione et servitute protegere ubique conatur. In hunc finem multa quoque praestat internationale opus defensionis puellarum (*Oeuvre catholique de la protection de la jeune fille*).

213. — Affinis quaestio, nondum, quantum sciamus, a theologis versata, respicit tolerantiam cuiusdam *concubinatus in coloniis*. In comperto enim est, in variis regionibus Africae vel Indiarum, non paucos europaeos officiales tum civilis tum militaris ordinis, sive caelibes, sive a coniuge separatos, sibi mulierem gentis incultae, v. gr. Nigritarum, in concubinam assumere quam, dum ibi commorantur, loco uxoris servant, derelinquunt autem cum Europam repetunt.

Lugendum sane est istud europaeae corruptionis documentum, quo nostra praesentia, quae benefica et salutaris esse debebat, scandalosa et damnosa fit; confirmanturque vitia quae, si divinae Providentiae invitatio respiciatur, a nobis eradicanda erant.

Accedit gravissimum raptus periculum. Namque feminae istae populi imbecillis et parum culti, simul libidinosae ac facilioris vitae percupidae esse solent; plures in abiecta servitutis condicione degunt; moraliter omnes in manu atque arbitraria potestate cuiuspiam venalis parentis sunt. Quot itaque occasiones vir europaeus captare potest ad mulieres istas vi, pecunia, seductione obtinendas!

Quare istae feminae, etiam dum concubinatui assentiuntur, comparari nequeunt cum mulieribus nostrae regionis quae ultro ac deliberate illegitima commercia fovent; sed eorum consensus tamquam a minorenni profectus censendus est.

Quocirca magnopere laudandae sunt istae societates mercatoriae quae mandatarios suos ita seligere conantur, ut moribus suis nomen Europaeorum honestent, suaque auctoritate praedicationem evangelii non leviter promoveant.

Verum tot sunt et tales qui dissitas istas oras adeunt, ut casti mores ab omnibus sperari nequeant. Lex concubinatum cum mulieribus illarum regionum coercere seu abolere frustra tentarit.

Attenta ista difficultate, attenta opinione eorum doctorum qui ad peiora sodomiae, bestialitatis, mollitiei peccata vitanda tolerantiam meretricum in quibusdam saltem locis non reprobabant (1), probabiles rationes cur concubinatus de quo loquimur *tolerari* (non positive approbari) possit, afferri posse videntur.

Haec tamen potestas publica seu magistratus sollicite cavere debent :

1. Ut nulla legitima uxor, nulla quoque ad fidem conversa femina in concubinam admitti permittatur, quo sic cum nuptiis tum religioni congruus honor servetur ;

2. Ut severe reprimatur omnis concubinatus feminae quae non plene adoleverit, omnisque raptus et artificiosa seductio cuiuslibet mulieris.

3. Ut exteriori decentiae prospiciatur. Permitti nequit ut concubinae istae qua tales palam producantur, et quasi legitimae coniuges circumducantur et favoribus afficiantur. Oportet, contra, ut necessitas turpe istud commercium quodammodo velandi seu celandi tacitam rei reprehensionem contineat.

4. Ut qui castos servant mores tamquam per se officiis implendis meliores, ceteris saltem paribus anteponantur

Optandum denique est ut in Europa meliores istarum regionum cultores paremus ; utque, foedere inito, qui ibi boni exstant a respectu humano atque a vitiorum contagio magis protegantur.

---

(1) Cf. auctorem *De regimine Principum*, l. 4, c. 14; S. Alphonsum, l. 3, n. 434.

CAPUT III. — De vita pura restituenda seu de morum emendatione.

Ratio ordinis. Vitia in duplex genus cogi possunt.

214. — Quamvis sananda vulnera ad triplex genus ascribantur: *adulterium*, *onanismum coniugalem* et *onanismum solitarium*, duplex tantum libidinosa impulsio in his refraenanda et castitate corrigenda est, quas *adulterinam* et *onanisticam* vocare possumus. Prior, quasi magis physiologica, corruptum amorem prodit; altera, magis psychologica, inordinatam appetitus vim manifestat; prior, magis in obiecto, altera magis in subiecto vitium demonstrat. Quamquam inordinata vi homo in vetitum obiectum non ita raro ruere cernitur, ut utramque vitiosam propensionem exhibeat.

Quatenus autem *coniugalis* dicitur, onanismus nullam novam sensus inclinationem indicat, sed potius timorem illum incommodorum vel damnorum propter quem coniuges naturam offendunt, quamvis naturalis usus coniugii pleniorem sensus delectationem afferat.

Articulus I. — De adulterinis cupiditatibus.

Medicina adulterii.

215. — Praeter generales pietatis christianae indicationes, haec utiliter suadenda sunt:

1. Sedula et completa fuga *occasionis proximae*. Confessarius animum ad maximam liberalitatem in hac re disponere conetur, ut plus obtineat quam stricte praecipere possit, et paenitentem ad partes tutiores sectandas inducat.

Alter coniux interdum imprudentiae monendus erit. Imprudens est uxor quae ex religione maritum in theatrum comitari recusat: minime expedit enim ut maritus haec loca solus adeat; imprudens, quae familiarem consuetudinem mariti cum nubili sed innupta sua sorore inducit vel fovet: propter ipsam enim rationem qua duae sorores similes esse solent, maritus illecebris istius sororis, quas prius in uxore amavit, facile tentatur; ipse rursus est innuptae isti mulieri tentationis occasio. Imprudens

etiam est uxor quae non caute selectas praeceptrices vel ancillas in domum introducit vel admittit; imprudens, quae separato cubili uti cupit.

2. *Suppressio causae* quae coniugium minus felix reddebat. Confessarius, quantum discretio id sinat, attente inquirat in ea quae alter sponsorum alteri obiciat vel in altero desideret, si forsan quaedam imperite facta opportuno consilio removere possit. Fit, v. g. ut uxor in debito reddendo morosa sit; ut domestico ordini non satis prospiciat; ut munditiem in vestibus et corpore neglegat; dum ad felicem familiam valde confert ut omnia bene nitida et accurate composita sint, ut appositi cibi appetitum incitent, ut nulla perperam intellecta pietate coniux viro placere prohibeatur.

3. *Discreta severitas* in aestimando adulterii peccato. Tolerari nequit ut vir catholicus parvi pendere videatur quae contra fidelitatem coniugalem commiserit. Gravibus igitur verbis, quamvis sine ira, adulter a confessario corripiendus erit, maxime si frigide, aequo animo, talia accusare videatur.

Articulus II. — De onanismo solitario seu masturbatione

216. — In primis *diversae masturbationes* distinguendae sunt. *Masturbationes diversae ex aetate peccantis.*

1. D.r Francotte (1) numerat masturbationem *praecocem*, in infante vel puero; *adulescentium* masturbationem *ordinariam*, valde frequentem sed tamen accidentalem, quae temporaria esse solet; eorundem masturbationem *extraordinariam*, propter diuturnitatem qua ad annos plenae maturitatis producitur; masturbationem *serotinam*, quae post iuventutem, immo post aetatem maturam saevire incipit.

Prima, magis quam morale vitium, aegritudinem nervorum prodit; altera, magis moralis, facilius corrigitur; tertia, ambiguae est rationis, cum vel vitium morale usu confirmatum, vel morbum nervosum aut psychologicum

(1) *De quelques points de morale sexuelle*, p. 31.

manifestet. Quarta demum vel eorum est qui, malis voluptatibus satiati, ex quodam fastidio artes minus naturales libidinis quaerere incipiunt, vel etiam eorum qui nervis male affecti sunt.

ex vitii significatione,

2. Sub alio respectu, alia masturbatio instinctus venereos perversos (*paresthésie*), alia *naturalem* appetitum, cui satis fieri nequeat, indicat.

ex tentationum modo, genesi et tempore,

3. Alia, tum interdiu tum noctu voluntatem sollicitat; alia, mere per intervalla somni suggeritur; alia fere perpetuo, alia tantum post stata temporis spatia allectat.

4. Alia, a phantasiis impuris initium sumit, dum alia fere physiologica esse videtur.

5. Alii demum tentationi seu suggestioni statim, alii tantum post luctam et repugnationem conceditur.

ex curatione.

217. — Ipsae sanationis rationes diversae deprehenduntur. Apud alios sanitas derepente et uno momento restituitur: audita quadam sententia qua animus percutitur, vel propria motus cogitatione quae mentem invasit, aegrotus consuetudinem perfecte abrumpit. Tale quidpiam plerumque contingit propter extraordinaria adiuncta quibus novum quasi vitae initium datur: sic corriguntur qui saeculo valedicunt, qui vitam clericalem ducere incipiunt, vel etiam (sed rarius perfecte) qui ordinem sacrum suscipiunt, qui sponsalia celebrant seu honesto puellae purae amore capiuntur.

Alii, contra, sensim sine sensu sanantur.

Alii causam seu occasionem sanitatis clare deprehendunt, alii sine perspecta causa vel occasione sanantur.

Alii demum in perpetuum sanantur, dum apud alios, etiam post plures interpositos annos, morbus seu vitium denuo satis violenter recurrit.

Remedia generalia:

218. — Ut iam de *remediis* generalibus quaedam proferamus tristissimi morbi:

Fiducia.

1. Omnibus quotquot *vere rei* sunt, ista persuasio communis esse debet: certam victoriam, dummodo pugnare pergant, ab ipsis reportatum iri. Hoc testantur Apostolus et C. Tridentinum, quo verba Apostoli allegantur: « Deus non patietur vos tentari supra id quod potestis. Faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis susti-

nere (1) ». Hoc ex promissione qua Dominus infallibilem efficaciam orationi bene factae coniunxit manifesto colligitur. Hoc innumerabilia facta demonstrant eorum qui pessimas consuetudines penitus abiecerunt.

Persuasio victoriae vires pugnantibus addere solet.

Odium vitii,

2. Vitium tamen suum *odio* habere debent, maxime propter tristes eius notas offensae Dei, neglectae propriae dignitatis, violatae corporis sanctitatis, deminuti voluntatis imperii, atque etiam propter physica eius consectaria. In his tamen corporalibus detrimentis afferendis temperamento et iusta personarum discretione opus est. « Il faut procéder avec tact et mesure. Sans proclamer l'innocuité de l'onanisme, il (le médecin) se gardera d'en faire un épouvantail et de fournir des matériaux à une hypocondrie éventuelle. Il cherchera à éveiller les énergies morales, à stimuler les forces de résistance ; il s'appliquera à combattre la faiblesse nerveuse, origine possible du mal ». (D.r Francotte, ibidem.)

Studium fortitudinis et mortificationis.

3. Caput est ut voluntas *robur* acquirat. Omnia quae agit, a momento quo vigil fit ad usque decubitum, aegrotus firma ac forti quadam ratione agere assuescat ; se ipse vincat ; christianam mortificationem exerceat (2).

4. Vultne sincera voluntate curari ? Oportet ut plura omittat quibus libido commovetur : mollem vitam, potus inebriantes, turpiloquia, lectiones lascivas, impudicos aspectus, vana somnia.

Confessarii munus.

219. — Confessarii tamquam medici spiritualis et consiliarii partes sic describi posse videntur :

1. Confessarius, prout copiam habebit, genus vitii (quod varium esse ostendimus) dignoscere studebit.

2. Id dein maxime procurabit, ut aegroti isti seriam et non communem voluntatem vincendi consuetudinem concipiant. Benignus itaque illos excipiet ; animos addet ; rationes abhorrendi malum indicabit ; de fugiendis occasionibus monebit ; nihil imponet quod ipsis ingratum

(1) I ep. ad Cor. 10, 13. — (2) De genuina ratione firmam voluntatem comparandi utiliter legetur D.r Francotte, *Causeries sur des questions d'hygiène morale*, Liège, 1919.

sit. Culpam tamen ne extenuet, sed efficiat ut ipsi libenter paenitentiam sufficientem admittant.

3. Postquam bis vel ter redierint, insinuabit utile futurum esse ut certamen istud magis ex proposito ordinetur. Prout adiuncta ferant et casus postulaverit, ipsos invitabit ut extra confessionem, secreto tamen, de re cum ipso deliberent. Quod si annuerint, causas habitus qui ab haereditate, mala institutione, corruptoris arte, excessibus alcoholicis, culpis voluntariis proficisci potest, accurate indagabit.

4. Si quis profectus appareat, ipsis rem gratulabitur: maxime enim cavendum est ne umquam animo cadant. Quare cum, ipsa accusationis necessitate, peccata seu clades morales observent, iubeat eos etiam ad victorias reportatas attendere easque sibi indicare.

5. Non raro, sive ad animum confirmandum, sive ad physica remedia adhibenda, valde utile erit ut simul probatissimus medicus consultum adeatur; ut sic, collata opera, medicus et confessarius efficacius remedium afferre possint.

Ambo collata opera, efficacius haec; secundum prudenter a R. P. Gemelli (1) dicta, imperare vel adhibere poterunt: *a*) Ut aegroti libenti ac forti animo proponant se nullam *voluntariam* attentionem daturos esse idaeis vel imaginibus sexualibus quibus nimis saepe obsidentur: quare etiam nec narrent nec cum confessario vel medico discutiant ea quae in hac re experiuntur; *b*) Deinde ut disponantur ad *nullam* iam attentionem praebendam idaeis vel sensationibus sexualibus: si qui motus etiam vehementes oriantur, ad haec animo ne reflectant, ne quidem ad tristandum de huius modi commotione. — *c*) Ut consilia dentur *definita*, non autem nimis generalia et indeterminata. Ne, v. g. cuipiam dicatur: « distractione, quiete opus habes », sed ipse medicus vel confessarius declaret quomodo sit mente divertendum, quibusnam negotiis opera danda sit, quaenam et quanta quies sumenda sit. Simili ratione ordinem vivendi infirmo imponendam medicus accurate sicut pharmaca praescribat. — *d*) Ut in colloquiis de nobilibus officiis adimplendis, de copia ipsis oblata utilem vitam religioni, societati ducendi agant, ut sic sublimiores idaeae impuris paulatim succedant.

---

(1) *Non moechaberis*, 4, p. 189-192.

6. *Periculosa*, quae interdum tamen, sed valde caute adhiberi possunt, aestimanda sunt haec: *Consilia periculosa.*

a) Opera poenalia sub gravi reatu imposita: cum ab hominibus infirmae voluntatis facile neglegantur, causa sunt novae difficultatis conscientiae qua animus deprimitur;

b) Dispensatio a confessione (ob dubium reatum) ante s. communionem, cum actus externus, graviter malus, patratus est. Dispensatione huius modi horror vitii per se minuitur, et s. eucharistia minus honoratur;

c) Absolutionis dilatio;

d) Vivida descriptio detrimenti corporalis ex vitio timendi: quasi haec sit principalis ratio cur peccandum non sit.

7. Optima, contra, consilia, haec esse putamus: *Consilia optima.*

a) Firma propositi renovatio, maxime cum hora instat qua tentatio animum invadere soleat; immo, ante cognitam occasionem peccandi, votum ad horam vel ad diem emissum (spectanda hic est paenitentis qualitas et indoles).

b) Cura facilis somni, ne tentatus diu in lecto vigil esse cogatur.

c) Fiducia quaedam qua hoc vitatur, ne statim, occurrente tentatione, infirmus existimet se interius consensisse et ex gratia Dei excidisse: quae falsa opinio causa saepe est cur actus exterior malus subinde perficiatur.

d) Decretoria sed tranquillo animo suscepta voluntas abnuendi seu repellendi huius modi suggestiones, quae frequentes sunt: « Adest tentatio, iterum peccabo... Quandoquidem reus sum, consummemus peccatum, vel peccatum iteremus ».

e) Sublimiora proposita (*un idéal positif*) de vita sua futura. Ne nimis modicam expectationem habeat (1): spes ad fortia ducit.

f) Imploratio assidua et filialis B. M. Virginis Im-

(1) Hodierna lingua vulgari methodus ista dicitur « *sublimation de l'instinct sexuel* ». Cf. GEMELLI, *Non moechaberis*, p. 12. Cf. dicta supra, n. 172. 173, et 205.

maculatae, frequentissimus accessus ad s. mensam, cum magna fiducia.

g) Pluribus, *non tamen omnibus* (1), matrimonium suaderi poterit.

Quo modo cum certo genere personarum agendum sit.

220. — Est tamen hominum genus qui modicam propinquae sanitatis spem confessario dare solent. Nervis laborant, et de subiectivo eorum reatu minus etiam constat. Ad coniugium apti non sunt ; statum vero continentiae imprudenter tantum suscipere possunt. Hi patienter tractandi sunt. Conandum est ut quotiescumque suggestioni cesserint, propositum renovent, absolutione reficiantur, et interea ipsi numquam animo cadant. Ex maturiore aetate sanatio speretur.

Conclusio prioris Partis.

Veneri appetitus aestimatio. Quo conatus, spes nos ferre debent?

221. — Idem venereus appetitus nobis triumphos et clades parare potest. Nobilem habet usum, nobiliorem abstinentiam, turpem abusum. Virtuti castitatis locum dat, quae vitam privatam et socialem maxime honestat.

Quo tendendum sit, in incerto non est : *ad altiora*. Haec non nobis tantum eligenda sunt, sed aliis etiam fideliter inculcari debent.

Quam perfectionem apostoli christianis sui aevi proponebant, eandem aequalibus nostris praedicare ne dubitemus.

Eam christianorum genuinae rationis imaginem describebat auctor epistolae ad Diognetem : « Uxores ducunt ut omnes, liberos procreant, sed non abiciunt fetus. Mensam communem habent, non lectum. In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt. In terra degunt, sed in caelo civitatem suam habent » (2).

« Non quod, sic saeculo V. POMERIUS, animus umquam desinat in hac carne cum vitiis habere conflictum, sed quod eum alat ac provehat, et, quantum fieri potest in praesenti vita, perficiat ipsa numerositas triumpho-

---

(1) Cf. n. 207. — (2) FUNK. *Patres Apostolici*, t. I, p. 399.

rum : si modo non se in corpus sensibilium captus delectatione deiciat, sed exsecratione delectationum sublimiter roboratus, supra corpus se corporalium victor attollat, ac Deo suo, sub quo eum viventem desideria repudiata non vincunt, in aeternum glorificandum adhaereat (1). »

Mundus per veros christianos Christo lucrandus vel restituendus est. Summum est, ut tales habere procuremus. Inter ipsos protestantes iuvenes foedus de genuino christianismo profitendo et promovendo factum est (2).

In Gallia, quid catholici iuvenes laici non potuerunt, ut pluribus millibus, omnis ordinis, illibatos mores, excitata dignitatis conscientia, inspirarent ?

Quid non valemus, si finem istum intendamus, si animo fixum istud geramus, oportere ut Christiani sint *sal terrae ?*

(1) *De vita contemplativa*, c. 7. (M. 59, 484). — (2) *Deutscher Verband von Iugendbund für entschiedenes Christentum.*

PARS ALTERA

CASUISTICA

222. — Alteram partem *casuisticam* vocamus, quia in ea exponenda, minus de fine altiori et de universali vitae directione solliciti, quid quisque casus particularis contineat vel afferat honestatis aut reatus indagare nobis potissimum in animo est. Neque hic tamen controversias omittere et efficaces demonstrationes neglegere nobis licebit. Quare appellatio *casuistica*, potius quam in methodum, in res tractandas convenit. *Partis alterius argumentum.*

Hac porro ratione argumentum digeremus, ut prima sectione de actibus venereis eorum quibus mutuum commercium carnale ex statu fas est, seu de *actibus venereis coniugum* agamus ; tertia vero sectione de actibus venereis eorum quibus omne carnale commercium interdicitur, seu de actibus venereis *non coniugum* tractemus. *Ratio ordinis.*

Non enim ab illicitis sed a licitis exordiendum nobis videtur.

Porro, inter primam et tertiam sectionem, idest in altera sectione, ponemus specialem quaestionem de *sponsis*, qui, cum in via sint ad matrimonium, in mixta condicione quodam modo versantur.

In tertia sectione, primo de peccatis *consummatis* dein de *non consummatis* agemus : haec enim ex illis melius cognoscuntur.

Peccata consummata dividentur rursus in peccata *secundum naturam* et in peccata *contra naturam*.

Peccata vero non consummata alia *exteriora*, alia *interiora* esse possunt.

Hactenus de luxuria *directa*, quam excipiet caput de luxuria *indirecta*.

Capite demum quod maxime ad usum facere arbitramur, et quod de luxuria *larvata* agit, operi finem imponemus.

SECTIO PRIOR

De venereis actibus coniugum

CAPUT I. — De completo usu coniugi, seu de copula coniugali perfecta.

Articulus I. — Quisnam completus coniugii usus honestus sit.

Perfectae copulae notio.

223. — Ea est **perfecta copula** qua ambo coniuges, ex carnali utriusque coniunctione, cum seminatione viri intra vaginam uxoris, una caro fieri dicuntur.

Copula inter coniuges honesta ex obiecto.

Actus iste, inter coniuges, honestus est *ex obiecto*. Inquirendum itaque superest quid *ex fine*, quid *ex circumstantiis* praeterea requirat.

§ 1. — *De honestae copulae fine.*

Ex quonam fine honestetur, si petatur.

224. — *Proximum* agentis finem hic consideramus. Iam vero, **attento fine.**

1. Copula honeste **petitur** ad generandam prolem ; — ad testificandum amorem ; — ad sedandam concupiscentiam.

Ipsa enim natura utilitates istas copulae coniugali indidit ; nec separata unius finis prosecutione alter vel tertius per se impediuntur. « Quia, etsi non causa propagandae prolis concumbitur, non tamen huius libidinis causa propagationi prolis obsistitur, sive voto malo, sive

opere malo » : sic iam S. Augustinus (1) doctrinam istam confirmat, nixus ipso loco Apostoli : « Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram » (2).

si reddatur.

2. Copula petenti coniugi honeste **redditur**, quotiescumque grave *damnum* sive proprium, sive alterius coniugis, sive prolis iam conceptae non obstiterit.

Qui enim petenti coniugi obtemperat, ius huic acquisitum in re honesta observat.

Damnum proprium quod obstare possit.

a) Obstare tamen potest damnum *proprium* quod, v. g. propter *morbum* quo ipse afficitur vel cuius *certum contagium* est, reddens sibi timere debet.

Attamen, si gravis ratio assentiendi accedat, v. gr. ne petens formaliter peccet, maxime ne fiat adulter, ne pax domestica exsulet : malum istud suum, propter proportionatum huius modi causam reddens permittere poterit, dummodo ne ipsa mors ex copula imminere videatur. Tunc enim solum ob gravissimam et urgentissimam necessitatem, qualis ex seriis minis occisionis, infamiae manare potest, copula excusatur.

Damnum alterius coniugis.

b) Obstare quoque potest damnum *alterius coniugis*, qui v. gr. propter morbum cardiacum a medico omni usu matrimonii prohibetur. Gravi enim alterius damno alter coniux ex caritate et pietate occurrere debet. Obligatio tamen ista cum gravi incommodo non subsistit ; facilius enim quam proprium damnum, damnum volentis posthaberi potest. Si tamen mors alteri petenti immineat, temerariae isti vitae profusioni quam petens copulam meditetur, alter, nisi gravissimo incommodo excusatus, cooperari non potest (3).

Damnum prolis conceptae.

c) Obstare quoque potest damnum *prolis iam conceptae*. Quod damnum magis absolute praecavendum est: proles enim ius inviolatum habet, de quo nemo alter disponere potest, ne ipsi damnum inferatur; et parentes gravi pietatis officio ad damna ista praecavenda obligantur. Ut ergo coniux, debitum reddendo, huic damno

(1) *De nuptiis et concupiscentia*, c. 15, n. 17 (M. 44, 423). — (2) 1ª ep. ad Cor. 7, 5. — (3) Cf. Lehmkuhl, II, 1083.

materialiter cooperari possit, damnum saltem vere grave requiritur. Nec ratio impediendi alterius peccatum sufficiens erit.

Quid de prole concipienda?

Si autem agatur de *prole concipienda*, quae vel mortua vel morbo infecta nascitura praevideatur, alii usum coniugii non ideo illicitum reputant, cum proli melius sit esse vel fuisse quam non fuisse (1); alii, saltem in periculo incontinentiae, usum coniugii concedunt (2).

Nisi diversi ordinis consideratione prohiberemur, prioribus potius assentiremur. Proli enim melius esse nasci infirmam quam non nasci patroni quoque alterius sententiae concedunt, qui proinde minus consequenter condicionem periculi incontinentiae exigunt. Verum essentialis subordinatio coniugum ad speciem, seu primarius finis matrimonii non tantum ipsos vetat ne generent contra ordinem quem bonum speciei postulat, sed ipsis etiam officium *positivum* imponit efficiendi ut ea ratione quam bonum speciei postulat nativitas fiat, ac proin ut fetus vitalis et sanus edatur. Quia tamen officium positivum est, excusationem proportionatae rationis admittit; quae ratio eo facilius hic habetur, quod fecundatio post copulam incerta est, et quod proli forte concipiendae nullum damnum inferatur. Atque incontinentiae damnum etiam sociale est. Quare periculo incontinentiae copula excusatur.

Corollaria seu applicationes.

225. — Hinc casus sequentes solvuntur:

Copula exitiosa uxori.

1. Si medicus novam conceptionem *certo exitiosam* uxori fore declaret, uxor copulam declinare debet. Si autem mors non ita immineat, uxor in periculum ob gravem causam se inferre potest. Etenim, cum ipsa conceptio dubia sit, nec certum nec proximum periculum esse videtur. (Cf. Lehmkuhl, II, 1082).

De his rebus autem medicum simul peritum et timoratum adire oportet. Non desunt enim qui, propter modica indicia, personas parum continentes honesto coniugii usu inconsiderate prohibent. Quare Génicot (3) existimat rarissime tale periculum ex futuro partu constare ob quod gravis obligatio sit abstinendi usu coniugii.

---

(1) Cf. Sanchez, *De matrimonio*, l. 9 d. 21, n. 24 et 25. Génicot, II, 544. · (2) Sic Lehmkuhl, II, 1064, 3. - (3) Tom. 2, n. 544, 5.

2. *Phtisi* laborantibus copula sibi potius (nec semper graviter) quam alteri parti damnosa est. Gravi itaque obligatione abstinendi tales coniuges per se non tenentur; excusatio autem obligationis mediocris facile praesto est. Quare, observando tamen morbidum statum et medici consilia, sola moderatio in usu ipsis praedicanda est. Quod valde opportunum erit, cum ardentes esse soleant. *Copula phtisicorum.*

3. Ut propter gravem causam, copulam qua *lues venerea* importanda videtur pars infecta ab altero monito et consentiente, petat, id *tolerari* potest (1). Alter autem, propter huius modi causam, v. gr. si diuturna abstinentia secus imponeretur cum periculo incontinentiae viri, copulam istam admittere certo permittitur. *Copula eius qui lue venerea est infectus.*

4. Necessitas vel communis utilitas habendi, v. gr. qui in regnum succedat, copulam, etsi graviter periculosa sit, non tantum honestam sed etiam obligatoriam facere potest (2). *Copula ad bonum commune utilis.*

5. Nisi *gravi causa*, utputa periculo incontinentiae, excusentur, coniuges uti non possunt coniugio cum praevident certam necessitatem adhibendi remedium aut tractatum unde abortus, quamvis non intentus, certo vel probabiliter sequatur si copula fecunda fuerit. *Improbandae copulae.*

6. Praeterea copulae alterutri parti damnosae vel quae spem prolis vitalis non dant prudenter dissuadendae sunt, sicut communi hominum opinione improbantur. *Prudenter*, inquam, i. e. considerata etiam causa utendi coniugio. Maxime vero eos a copula avertemus qui inde in communem reprehensionem incurrunt, quales sunt qui, syphilitico morbo infecti, non satis convaluerunt ut a probo et perito medico innoxii existimentur. Usus unguenti antiseptici hic interdum permitti poterit, saltem si probabilitas conceptionis ipso usu non tollatur.

226. — Quaeres utrum necne peccet qui copulam propter *solam delectationem* petierit? *Quid qui copulam propter delectationem quaerat.*

De hac re habetur haec sententia S. Thomae. « Inordinatum et vitiosum est si quis cibis et venereis utatur propter solam delectationem (3) ». Atque inter propositiones decreto S. Officii 2 mart 1679 ab Innocentio XI reprobatas ut minimum tamquam scandalosas et in praxi perniciosas, haec, n. 9, reperitur: « Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus culpa caret ac defectu veniali ».

---

(1) Génicot, II, 544: Lehmkuhl, II, 1083, V, 2. — (2) Cf. Sanchez, *De Matrimonio*, l. 9, d. 24, n. 11. — (3) *Contra Gentiles*, l. 4, c. 83.

Quaesito autem facile hac ratione satisfit. Qui explicite non cogitat nisi de delectatione, aut ulteriorem vel diversum finem positive excludit aut non. Si ulteriorem vel diversum finem positive excluserit, peccat, quia bonum honestum repudiat, seu honeste agere renuit: homo enim propter finem honestum creatus est.

Si autem diversum finem non excluserit, non peccabit nisi immoderata cupidine (qua contra quodpiam officium velit delectari) vel immoderato usu. Honestum enim est, in hac vita, delectationes permissas moderate admittere. Dum ergo explicite solam delectationem moderate quaerit, honestatem illam tacite approbat et intendit. Quare etiam qui sic agit, nisi rigoristarum dictis deceptus sit, honestae actionis conscius erit.

Ut aliis verbis utamur: qui delectationem non vult nisi moderate, eam vult quatenus homini conveniens est, ac proin eam tacite refert ad utilitatem quam delectatio in praesenti vita habere cernitur.

Quamvis ergo profiteamur nefas esse ut propter solam delectationem coniugio etiam moderate utaris, nullum scrupulum peccati iis afferemus qui delectationem in moderato coniugii usu quaerunt, quasi propter solam delectationem egerint. Immo eiusmodi scrupulos ex animo evellemus ne catholici formidolosi videantur, sed ut nobiliore affectu ad meliora tendant.

Peccatum autem coniugis qui immoderate coniugio uti voluerit, ex officio quod praetermittit metiendum est, nec veniale excedit (1).

Honestas delectationis coniugii.

Porro omnibus constat neminem prohiberi quin delectationem recto matrimonii usui coniunctam capiat. Namque « delectationes bonarum operationum sunt bonae, malarum vero malae » (1, 2, q. 34, art. 1).

§ 2. — *De honestae copulae circumstantiis*

Circumstantiae. Quid cur *significet.*

227. — Ordine considerabimus circumstantias *quis*, *cur*, *quando*, *quo modo*, *quibus auxiliis*, *ubi*. Id unum monendum superest. Quaestioni *cur* per ipsum finem principa-

(1) Cf. eruditam dissertationem BALLERINI, *Opus theol.* tom. 6, n. 323-361.

lem et proximum responderi potest. Sed cum hunc iam consideraverimus, de fine remotiore seu minus principali et magis extrinseco ad quaestionem *cur* dicendum est.

I. — *Circumstantia: Quis.*

Copula sterilis vel impotentis coniugis.

228. — Naturaliter sterilis, immo, ut plures volunt, si ea impotentia fuerit quae copulam non impedit, *impotens*, impotentia temporali vel matrimonium subsequente, *qui* et *quatenus* copulae, i. e. penetrationis cum late dicta seminatione, capax est, completo coniugii usu non prohibentur.

In nostra sententia, nullus de impotentia matrimonium subsequente sermo hic habendus est. Quotquot enim copulam exercere queunt potentes aestimamus; de aliis vero, i. e. de iis qui copulari nequeunt, quaestio de liceitate copulae inutiliter movetur (1). Impotentes itaque memoravimus, propter opinionem eorum qui impotentem esse putant uxorem quae ovulum vel vir qui semen prolificum ex organi vitio subministrare nequeunt.

Post factum matrimonium, vere impotens, non statim tamen, fit vir cui ambo testes eripiuntur: ipse per aliquot dies fecundationis, per aliquod tempus copulae capax manet.

Quid si dubia impotentia fuerit?

229. — **Quid,** si quis **dubie impotens** fuerit?

R. 1. Dubie impotens matrimonium *licite* non contrahit nisi prius, diligenti investigatione, compererit se vel certo vel saltem probabiliter esse potentem (2). In dubio enim serio de potentia vel impotentia, lex naturalis ita interpretanda videtur ut caelibatum non imponat, sed ad statum, per se omnibus licitum, accessum permittat cuius facultas honestati morum utilissima est. Reverentiae autem sacramento debitae per intentionem condicionatam hic ut in aliis administrationibus satis consulitur. Quod nunc confirmatur c. 1068 § 2: « Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum ».

---

(1) De non nullis tamen qui, v. g. in provecta aetate, ad ostium tantum vaginae semen effundere queunt, dicetur infra, n. 240, 4. — (2) S. Alphonsus, l. 6, n. 1102; Lehmkuhl, II, 977.

Dubium intellegitur *prudens* (1), non leve istud quod moralem certitudinem non excludit. *Dubium* porro *iuris* aderit, si controvertitur utrum talis defectus, v. gr. occlusus canalis deferens, privatio ovariorum, necessitas gravis operationis subeundae, quempiam impotentem an sterilem reddant; dubium *facti*, si de necessitate operationis, de capacitate erectionis et effusionis in viro vere non constiterit.

Sapienter autem monet LEHMKUHL (2), post S. ALPHONSUM (3), partem cuius dubia tantum est potentia graviter alteri iniuriosam fore nisi eam de sua condicione certiorem fecerit.

2. *Post contractum matrimonium* (etiamsi iniuria commissa sit alteri parti), dubie capaces possunt, considerato naturae iure, copulam tentare quamdiu vera aliqua potentiae spes supersit.

Olim, postulante altera parte, iudex ecclesiasticus triennalem experientiam concedebat (4), computandam a lata sententia vel a tentata copula, prout querela mox post matrimonium aut serius tantum mota fuisset. Si, elapsis tribus annis, impotentia saltem moraliter constabat, iudex (petito interdum iuramento suppletorio et testimonio septimae manus) de nullitate matrimonii dabat sententiam, quae numquam tamen in rem iudicatam transibat, ita ut, adveniente potentia, matrimonium per se redintegrandum esset.

Verum, ab anno 1817, S. Sedes ad huius modi experientiam non iam recurrit, ac modus iste procedendi Codice novo suppressus est.

Nunc itaque coniugibus quorum alter est dubie potens, copulam (quamvis inutilis pollutio timenda sit) experiri licebit quamdiu spes potentiae adsit. Poterunt quoque, ob iustam causam, vel uterque communi consensu vel alteruter petere dissolutionem matrimonii rati et non consummati: haec, ubi probabilis est nullitas matrimonii et certa non consummatio, ad cautelam concedenda est.

Quid si impotentia certa sit sed fortasse temporalis?

230. — N. B. Coniux cuius impotentia ad copulam habendam *certa* est in praesenti, sed fortasse *temporalis*,

(1) Cf. WERNZ, t. 4, 2 p. n. 216, VIII. — (2) *Theol. mor.* II, 977 fine. — (3) L. 6, n. 1102 — (4) Cf. c. Laudabilem, *De frigidis et maleficiatis* (IV, 15), vel SANCHEZ, *De Matrimonio*, l. 9, d. 17, n. 26, aut BALLERINI-PALMIERI, tom. 6. n. 887.

ipse copulam interea tentare non poterit, cum res certo in simplicem vel duplicem pollutionem recidat (1). Si tamen impotentia sit in viro defectus erectionis qui repetitis conatibus paulatim corrigi speratur, aut in uxore vaginismus qui fortasse penetrationem admittet, vir conatus istos exercere poterit, dummodo meliore quo potest modo seminis introductionem procuret. Singuli enim conatus rationem recte inchoatae copulae habebunt.

Si vero uxor artitudine vaginae laboraverit quae facili operatione magis aperiri possit, licebitne coniugibus; ante factam operationem, uti coniugio, curando ut semen ad ostium vaginae apponatur? Id pendet a generaliore quaestione utrum necne talis usus coniugii umquam licitus sit: quod infra videbimus, n. 240. Probare enim non possumus distinctionem quam ALBERTI (2), loquendo de impotentia subsequente, efficit inter *temporaliter* et *perpetuo* impotentes, quasi plus illis quam his permittatur.

Quid si sterilitas artificio procurata sit?

231. — *Quid* autem *si sterilitas artificio* procurata sit? ALBERTI usum coniugii simpliciter permittit, quia non refert « utrum sterilitas a natura ipsa an ex arte processerit (3) ». Verum distinctione opus esse videtur.

Si fecunditas iam perpetuo impedimento impediatur (puta, in nostra sententia, sublata esse ovaria), usus coniugii honestus manet. Satis ergo erit ut si qui, in hac re, peccati auctores vel complices fuerint, de commisso peccato paenitentiam egerint.

Si vero temporale impedimentum posuerint (v. g. si oviductus ligati fuerint) impedimentum illud quam primum auferre debebunt; sine hac sincera voluntate, copula honesta esse nequit: vitio onanismi infecta foret. Quod si, per paucos dies, res immedicabilis fuerit, pars rea per se, seclusa gravi causa, v. gr. periculo incontinentiae, petendo coniugio abstinere debebit. Voluntas enim huiusmodi sterilitatis, v. g. ligandi oviducta, honesta esse non potuit nisi cum proposito abstinendi interea coniugio. Ergo si mala fuit, ad honestatem per propositum non nimis difficilis abstinentiae revocanda est. Vel, si haec altera ratiocinii forma magis placeat, positivum officium curandi mediis ordinariis ne ab utente coniugio impediatur generatio obligationem istam continet. Nec malitia ei qui sibi steriles copulas formaliter procurare intenderit meliorem con-

(1) WERNZ, T. 4, 2ª pars, n. 346. — (2) *De sexto et nono*, etc. n. 121, — (3) Ibid. n. 160.

dicionem facere potest quam est eius qui cum voluntate abstinendi coniugio temporale generationi impedimentum apposuerit. Si tamen unus solus reus fuerit vel maneat, coniux innocens nec delictum participans, suo iure petendi debitum coniugale non privatur.

Quid si pactio non petendi facta sit?

232. — **Qui promissione** alteri facta iuri suo petendi renuntiavit, debitum exigere non potest, amice petere non prohibetur, cum alter pactionem remittere possit. Promissio ista pactione unilaterali (qua quis voluerit se ex iustitia obligare) vel bilaterali contineri potest. Utraque per se valida est. Utraque communi consensu tolli potest. Immo, ubi alter in nimio periculo incontinentiae versari videatur, caritas alterum per se obligabit ut necessitati coniugis occurrat, aliquot copulas admittendo vel ipsam pactionem renuntiando. Cf. SANCHEZ. *De Matrimonio*, l. 9, d. 37, n. 18-23.

Quid si votum castitatis separatim

233. — **Quid**, si petens vel reddens **voto castitatis** astrictus sit ? Varii casus hic contemplandi sunt.

1. Votum *per se* nulla *iura* mutat. Quare qui voto ligatus debitum *illicite* petierit, ius tamen suum exigit. Alter itaque ex caritate ipsum prudenter ab isto consilio avertere debebit, vel, si ipse a voto liber fuerit, petendo debitum, alteri actum licitum reddere optime poterit. Perseveranti tamen in proposito petendi alter debitum reddere permittitur. De subiectivo reatu quem petens coram Deo contrahat nec iudicium ferre nec respondere debet. Cfr. S. ALPHONSUM, l. 6, n. 944; LEHMKUHL, II, 1089.

Ac perinde dicendum est si uterque, annuente altera parte, tali voto separatim astrictus fuerit. Huiusmodi voto nullum *ius* adimitur. Cfr. S. ALPHONSUM, l. 6, n. 994 et 948.

2. Petitio autem per se impeditur voto quod *ante matrimonium* erat factum, vel quod, cum alterius coniugis *assensu*, intra matrimonium emittitur.

Sine alterius assensu, durante coniugio, emissum votum *nec petendi nec reddendi*, nullum est; votum simpliciter *non petendi* in *sola uxore* validum est, quia maritus simili voto usum matrimonii suae uxori nimis impeditum redderet: uxores enim a petendo debito, prae timiditate et verecundia, refugere solent. Praeterea, probabilis sen-

tentia marito facultatem directe irritandi ipsius uxoris votum adicit.

vel simul emissum fuerit?

3. *Mutuo* autem *consensu* emissum ab utroque votum simultaneum castitatis, per se pactionem continet qua uterque iuri suo petendi (saltem quod ad exercitium seu usum), renuntiat. Quare *per se* neuter tunc debitum vel petere vel reddere potest: cum petens iam sine iure petat. Ipso autem voto coniuges prohibentur quominus pactionem mutuo consensu rescindant. Maritus tamen, probabili sua irritandi potestate usus, votum uxoris tollere non vetatur. Haec tunc pactionem remittere potest et votum mariti indirecte irritare, cum, nisi maritus debitum petere possit, ipsa expeditum usum matrimonii habere non existimetur. Cfr. SANCHEZ *De Matrimonio*, l. 9, d. 37, n. 9. 10. 15-17. 24; BALLERINI-PALMIERI, *Opus theologicum*, tom. 2, n. 689-693; tom. 6, n. 404.

Quid, si vir voverit se non usurum potestate irritandi?

Quid, si vir voveat *se non usurum* facultate irritandi votum castitatis ab uxore sola vel communiter ab ipso et ab uxore sua factum?

Voto huius modi potestatem irritandi sibi auferre nequit. Unde, etiam violato tali voto, irritatio valida erit. Quod si ratio iusta fuerit uxorem a voto suo liberandi, non putamus tunc usum potestatis ipso voto prohiberi: quia votum quo iste casus includatur non fuerit de meliore bono. Satius tamen erit ut maritus, antequam votum uxoris irritet, prius ipse a voto suo non irritandi dispensetur.

Peccatum coniugum qui votum neglegant.

Cum autem voto suo statum coniugalem exuere nequeant, coniuges qui, neglecto voto, copulam illicite petierint vel reddiderint, contra religionem, non autem contra castitatem peccarint.

Quaenam vota probanda sunt?

Ac per se manifestum est oportere ut coniuges vota non faciant nisi serio et prudenter: *serio*, ne Deus irrideri videatur; *prudenter* seu circumspecte, ne per se locum rationabili paenitentiae dent. Ab irrationabili autem paenitentia, seu ab animi inconstantia in bono proposito coniuges avertendi sunt.

Quid de incestuoso?

234. — Superiore iure, c. Si quis, 1, *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae suae* (IV, 13), *incestus* completus ab alterutro coniuge cum alterius consanguineis in primo vel altero

gradu commissus, coniugem reum, saltem si poenae ignarus non erat, iure ac facultate debitum *perfectum* petendi privabat. Lex nihil de actibus imperfectis statuebat.

Verum poena illa novo Codice sublata est, nec iam proin attendi debet.

Quid de eo qui dubitat de valore sui matrimonii,

235. — Gravior quaestio de illis movenda est qui de **valore sui matrimonii dubium non spernendum** habent: quemnam matrimonii usum facere possunt, vitare debent?

Hic solum dubium de valore *contracti* matrimonii examinamus. In nostro enim tractatu, qui non est de matrimonio sed de castitate, quaestio non occurrit versanda quatenus cum dubio impedimento foedus matrimoniale iungi permittatur.

Quaestionis difficultas et obscuritas, sicut in generaliore *probabilismi* argumento observandum quoque est, inde proficiscitur, quod, dum triplex status mentis: affirmantis, negantis, dubitantis clare distinguitur, duplex tantum voluntatis propositum esse potest: faciam aut non faciam, ita ut inter actionem et omissionem nihil medium poni possit. Quare, practica conclusio ad cognitionem intellectus perfecte aptari nequit, sed vel severior vel benignior prima specie apparebit: *severior*, si, in casu, dixeris Titio: Caiam, quae fortasse uxor tua est dimittere vetaris, cum ea tamen carnale commercium habere non potes; *benignior*, si eidem responderis: libere uti potes muliere quae fortasse non est tua, quae fortasse est aliena.

Si autem alter coniux debitum coniugale petierit, praesertim si in bona fide versetur nec dubitet, casus *perplexus* exoritur: debitum enim negando, periculum iniustitiae; debitum concedendo, periculum fornicationis vel adulterii (ac proin etiam iniustitiae) incurritur.

Prudens itaque usus principii reflexi hic adhibendus est. Iam vero, ut casus distinguamus:

ante diligens causae examen

1. *Ante seriam* rei *investigationem*, vel nisi dispensatione matrimonium certum reddere potest (quod tunc facere debet), dubitans, ex sua parte, omni *activo* usu, *perfecto* vel *imperfecto*, coniugii abstinere debet: cum conscientia enim quae vincibili dubio vitiata foret, se fornicationi vel adulterio exponeret.

Alteri tamen parti, in *bona fide* versanti, debitum interea reddere potest et debet. « Cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest sed postulare non debet : ne in alterutro vel contra legem coniugii vel contra iudicium conscientiae committat offensam. » Sic ipse INNOCENTIUS III casum authentice solvit in c. Inquisitioni, 44, *De sent. excomm.* (V, 39).

Nec bonam fidem alterius partis commonitione, quae incommodis saepe plena foret, turbare cogitur.

Responsi rationem allegat SANCHEZ casum perplexum, in quo minus malum, idest periculum fornicationis, prae maiore malo, seu periculo iniustitiae eligendum sit (1). Ratio ista minus valere videtur, cum dubii causa est praecedens matrimonium fortasse morte non dissolutum. Namque tunc periculum iniustitiae adversus priorem coniugem ad periculum copulae fornicariae accedit (2). Sed *possessio bonae fidei* dat coniugi petenti ius certum quod, ex sententia SANCHEZ, praevalet iuri prioris coniugis, quod incertum dicit, quia sit subiecti incerti, idest fortasse non viventis (*De matrimonio*, l. 2, d. 42 ,n. 6). Quare de illo qui alteras nuptias fecerit ante quam de obitu prioris coniugis sibi constaret, rescripsit Pontifex : « Si aliquis... de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quae sibi nupsit debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum ». [c. Dominus, 2, *De secundis nuptiis* (IV, 21)].

Exceptio.

Si tamen, ut recte excipit SANCHEZ, coniux qui non dubitat, iure petendi v. gr. propter adulterium, privatus sit, ei postulanti dubitans assentiri non poterit.

Disparet enim tunc periculum iniustitiae ; solum superest periculum fornicationis, quod negata copula vitari potest ac debet.

Quid, si ambo dubitent ?

Patet, si dubium commune utriusque fuerit, omnem matrimonii usum ante indagationem vel obtentam dispensationem suspendi debere.

Post factam inquisitionem ; si nuptiae bona fide contractae sunt,

2. Post factam inquisitionem, si dubium *invincibile* evaserit, — ac perinde res se habet, si ab initio infructuosa inquisitio vel inutilis futura demonstretur (3), — sen-

(1) *De Matrimonio*, l, 2, d. 41, n. 45. — (2) S. ALPHONSUS, l. 6, n. 903. — (3) SANCHEZ, *De matrimonio*, l. 2, d. 41, n. 47.

tentia quam S. ALPHONSUS (1) aestimat longe communiorem et probabiliorem, iis qui *bona fide* nupserunt omnem usum, etiam activum et spontaneum matrimonii permittunt; idque propter ius possessionis, quod, secundum opinionem quam S. ALPHONSUS (2) satis probabilem habet et argumentis tuetur, manere admittitur etiam si, praeter possessionem, altera probabilis ratio pro valore matrimonii desideretur, dummodo ne moraliter constet istud esse nullum. Vis itaque argumenti positivi pro nullitate perpendenda erit.

si nuptiae cum dubio factae sunt, sed dubium non est de priore matrimonio?

3. Si matrimonium cum *dubio de impedimento*, seu *mala fide* contractum sit, quamdiu non agitur de impedimento ligaminis, post inutilem investigationem, probabilis sententia usum matrimonii permittit sic nuptis personis, quae, quamvis bonam possessionem allegare nequeant, nihilominus protegantur principio: « In dubio standum pro valore actus »: quod magis valet de causa favorabili quale est matrimonium. Hoc ipsi S. ALPHONSO satis probatur, l. 6, n. 906.

Opinio ista fit communis, cum *probabilis* ratio pro matrimonii valore afferri possit. Sic SANCHEZ, et alii laudati a S. ALPHONSO, l. c. Quod enim ipsa male coepta possessio formaliter nullum commodum afferat: id manifestum est.

Quid, si dubium sit de priore matrimonio?

4. Si vero de *dubio ligaminis* impedimento agitur, plures (3) dubitanti alterutri usum activum, vel utrique dubitanti omnem matrimonii usum negant.

Non pauci tamen usum concedunt, in dubio invincibili, si ratio *probabilis* pro valore allegari possit. « Quia, ait SANCHEZ (4), — qui, teste LUGO (5), omnem istam rem optime tractavit, — satis est in moralibus sententiam probabilem amplecti ». Etsi enim, — sic aliquantisper perficiendum argumentum putamus, — probabilitas mortis

(1) L. 6, n. 904. Sed, a 6ª editione, aliud sentire videtur de illo qui dubitat, etiam propter rationes probabiles, de morte prioris coniugis, quia prius matrimonium tunc possideat. — (2) Ibidem, n. 905. — (3) V. g. LEHMKUHL, *Theol. mor.* II, 1076. 1077. DE SMET, *De sponsalibus*, etc. n. 238. — (4) *De matrimonio*, l. 2. d. 42, n. 9. — (5) *De Iustitia*, d. 17, n. 87.

prioris coniugis non sit nisi *facti* probabilitas, ex illa fit ut coniuges habeant *ius probabile*, cui iuri probabili graves auctores permittunt ut satisfiat. Versamur enim in materia iustitiae. De re agitur quae inter plures dividi nequit; ita ut divisionis solutio quoque excludenda sit. Agedum, in materia iustitiae, probabile ius, quamvis occultam compensationem non excuset, seu non sinat ut res alii possidenti eripiatur, permittit tamen ut qui rem detinet ea fruatur, dummodo paratus sit eam in statu in quo reperiatur ei reddere qui ius certum probaverit (1).

Rationi ergo consentaneum videtur, ut idem in hac re concedamus. Sane periculum concubitus cum non sua non excluditur; sed etiam si bona fide contraxerint, periculum istud plene subsistit. Itaque, quonam certo argumento effeceris, ut coniuges ius suum probabiliter acquisitum, propter incertum alterius ius neglegere debeant? Cur alteram partem, quae ab omni alio vinculo plerumque libera exsistit, severe ista poena plectas qua, cum nec deserere coniugem nec eo frui permittatur, ad perfectam servandam continentiam adigatur? Nonne ipsa ratio boni communis postulat ne, ultra quam stricte requiratur, continentia invitis imponatur? Quocirca indulgentia ista qua, post peccaminosam celebrationem, usus matrimonii habentibus ius probabile et in dubio invincibili versantibus permittitur, non est merus favor peccanti concessus, sed est ea ratio iura componendi quae utilitati communi prospicere non omittit. Argumentum quo isti coniuges usu matrimonii abstinere deberent non viderunt SANCHEZ (2), BONACINA (3), SPORER (4), RONCAGLIA (5), SALMANTICENSES (6); non vidit S. ALPHONSUS, in quinque prioribus editionibus suae theologiae moralis, nec in suo opere *Homo apostolicus* (7); non vidit BALLERINI (8). R. P. NOLDIN (9) quoque, omissa alia distinctio-

---

(1) Lugo, *De Iustitia*, d. 17. n. 91. — (2) *De matr.* l, 2, d. 42, n. 9. — (3) *De matr.* q. 4, punct. 4, n. 10. — (4) Tr. 1, c. 1, n. 77. — (5) Tr. 21, q. ult. c. un. q. 6, resp. 2. — (6) *De matr.* tr. 9, c. 15, n. 48. — (7) Cf. notam editionis GAUDÉ ad. n. 906. — (8) *Opus theol. mor.* Tom. 6, tr. 10, n. 424. — (9) *De sexto praecepto et usu matrimonii*, n. 98.

ne, usum matrimonii iis qui in dubio invincibili versantur licere existimat.

Observes demum; si unus solus dubia fide contraxerit, quam parum severitas priori coniugi (si exsistat) prosit. Tunc enim alteri petenti reddere debitum ab omnibus permittitur. Sed, semel concesso unilaterali matrimonii activo usu, quid priorem coniugem iuvabit si alter petere debitum prohibeatur ?

Ac restrictio ista iurium alteri coniugi saepe incommoda et ingrata erit ; immo, si uxor bonae fidei privilegio protegatur, non sufficit ut ipsa facere possit petitionem qua, prae verecundia, per se impeditur.

Quid lite pendente ?

236. — *Mota lite* de valore matrimonii, ex verbis c. Laudabilem, 2, *Ut lite pendente nihil innovetur* (II, 16): « Quod coniugum alteruter accusatus, ante probatam accusationem, iure quod habet in altero privari non possit », SANCHEZ (1) colligit permanere « idem ius ad petendum vel reddendum quod habebant coniuges ante litem motam ». Immo, ius istud perseverat donec duplex sententia pro nullitate lata fuerit.

Quid, si concurrant duo matrimonia incerta ?

237. — Quaestio ista maxime proponitur cum ambigitur utrum necne prius matrimonium, *certo validum*, morte alterutrius dissolutum fuerit. Quare factae conclusiones magis valebunt si coniugium istud incerti valoris fuerit. Verum accidit quoque ut, post matrimonium incerti valoris sed cuius ambae partes certo vivunt, alterum bona vel mala fide contrahatur, cuius valor e prioris nullitate omnino pendeat. Iisdem principiis, ad solvendum hunc nodum, utendum erit. Sed, dum, in casu quem hic supra considerabamus, ius prioris coniugis certum erat, possessio vero, propter incertam eius vitam, incerta; in praesenti casu, prioris coniugis est certa, ius vero incertum.

Pro utroque autem foro, « in pari causa, potior est condicio possidentis (2) ». Quare prius coniugium per se praeferendum est. Nec matrimonii istius privilegium discessu coniugis minui potuit. Unde per se, semper supponendo inextricabile dubium, discedens prius coniugium redintegrare debebit, si id facere potest; vel eius iura observare, si physice vel moraliter redire prohibeatur. In hac enim matrimonii causa, culpa vel consensus unius partis per se nihil

(1) *De matr.* l. 2. d. 41; n. 50. — (2) Reg. 65, *De regulis Iuris.* in 6°.

potest ad iura mutanda, cum haec sint inalienabilia. Secundis igitur nuptiis discedens uti non poterit. Attamen:

1. Si persona quacum secundo nupsit rei nescia erat et bona fide contraxit, huic suffragatur possessio quae, quia magis facto praesenti coniuncta est, alteri, prioris matrimonii, anteponenda videtur.

Quare bigamus, qui debitum petere non potest, — personae isti debitum reddere potest et debet.

2. Si secundum matrimonium longe maiore probabilitate valeat, illud praeferri poterit, cum probati auctores admittant causam tunc iam non esse aequalem. Atque ita matrimonium quod post baptismum conversus infidelis contrahit nuptiis quas in infidelitate probabiliter iunxerat; matrimonium in forma legitima coram ministro sacro contractum, dubio matrimonio clandestino non raro anteponendum erit.

Quod autem qui in infidelitate dubie contraxerit novas nuptias cum christiana parte post baptismum facere possit, id positiva S. Sedis dispositione permittitur (1).

II. — *Circumstantia : Cur.*

Quid finis extrinsecus non habendi prolem operetur ?

238. — Hoc loco, potissime consideranda est intentio qua coniuges generationem prolis vitare studuerint. Cui intentioni cum *abstinendo* tum *agendo* obsecundare possunt: *abstinendo*, copulam omittendo diebus quibus maior est spes fecundationis, vel meliorem modum copulae declinando; *agendo*, si positivum fecundationi impedimentum actione *ideo* facta, v. g. exercitatione quae sterilitatis spem det, posuerint.

Agedum, intentione fini naturae contraria *agere quidpiam* quo conceptio impediatur vel minus probabilis fiat, coniuges omnino prohibentur; idque, saltem si seriam vel notabilem difficultatem efficere existimaverint, sub peccati *gravis* reatu. — Cum autem is usus coniugii fit qui, in se consideratus, vel honestus, vel leviter tantum peccaminosus est, actus iste substantialiter vitiari nequit si meliore usu *abstineas* ne proles generetur. Cum enim nulla positiva obligatio per se exsistat prolem generandi vel

(1) Cfr. can. 1127 « In re dubia, privilegium fidei gaudet favore iuris ».

eius generationi positive cooperandi, intentio ista, in se indifferens et quae ob iustas causas positive honesta fieri potest, improbanda quidem erit si, consideratis adiunctis, amore proprio inficiatur; sed vitium istud venialem culpam non excedit. Cfr. NOLDIN, *De Sexto*, n. 68; DE SMET, *De sponsalibus* etc., n. 209, AERTNYS, *Theol. mor.*, t. 2; ALBERTI, *De sexto et nono*, n. 125. 130.

III. — *Circumstantia: Quando*

Quonam tempore copula permittatur vel non.

239. — 1. Dum uxor **praegnans est**, copula cum ipsa minime prohibetur. Nec levis utilitas quam ad abortum vitandum abstinentia habere potest copulam per se impedit, aut saltem graviter prohibet. Namque, etiam si noverit se ad faciles abortus dispositam esse, uxor ad causas quoque leves abortus fugiendas, sub gravi non

Quid si uxor gravida est;

obligatur. Si autem circumstantia quaedam, puta viri pondus, speciale periculum inducat, illud moderata diligentia, eligendo prudentem copulae modum, declinandum erit.

vel lac praebet;

2. Quae **ubera praebet** (seu infantem lactat) copula nullatenus per se prohibetur.

Namque ipsum detrimentum quod quantitas saltem lactis inde acciperet in controversiam venit. Nec, praesertim post aliquot menses, desunt media supplendi quod lactis defuerit. Cfr. ALBERTI, n. 24.

vel fluxum menstruum patitur?

3. Dum uxor *fluxum menstruum* experitur, lex mosaica usum matrimonii severe prohibebat. Sed cum lex ista suppressa sit, copula iam nullo *positivo* iure vetatur.

Nec damnum uxoris, saltem grave, timendum est. Superest naturalis quidam horror seu aversio quae, si contemnitur, virum prodit insolentis et parum ordinatae concupiscentiae. Quare mutua existimatio et amor isto copularum genere minime proficiunt. Fieri tamen potest ut ad obtinendam sterilis uxoris fecundationem, tempus menstruationis ut magis aptum a medico indicetur: quo casu, ut patet, usus iam nihil indecorum continebit. Cfr. CAPELLMANN-BERGMANS, *Medicina pastoralis*, 206.

Quid, si fluxus extraordinarius fuerit?

De *fluxu speciali* et diuturniore nihil peculiare dicendum occurrit. Est morbus de quo medici consilium ex-

quirendum est; ac dein, secundum generalia principia de usu matrimonii qui aegrotis permittitur vel prohibetur, iudicium de copula tunc exercenda feretur.

Copula post partum:

4. Satis proxime **post partum**, vir cordatus et parumper humanus nullam copulam postulabit ab uxore defatigata et cuius animus a commercio carnali tunc refugere solet, nisi ipsa *nymphomania puerperali* laboret. Huic autem obtemperandum non est. Vir autem usu matrimonii abstinebit, donec organa plene sedata fuerint et uterus perfecte restitutus sit: idest, per sex circiter hebdomadas.

Provida huiusmodi cura ad ipsam coniugii felicitatem conducit.

Primis autem post partum diebus, copula uxori periculosa est. Quare tunc facta petitio feralis et crudelis iudicanda fuerit. Atque abstinentia per unam, immo per duas hebdomadas, strictius praecipienda erit.

alterutro aegrotante;

5. Alterutro coniuge *aegrotante*, copula aestimanda est ex damno quod vel coniugibus vel proli iam conceptae allatura videatur. Petens magis reus erit, dum reddens facilius excusatur. Cfr. quae supra, n. 224. 225, de vitando damno diximus.

post prandium;

6. *Post prandium, post balneum*, nihil, saltem serium, copulae per se obstare videtur. In dubio, medicus consultetur.

ante S. Communionem;

7. In nocte *ante S. Communionem*, coniuges nulla lege positiva uti matrimonio prohibentur. Ut tamen interdum, v. gr. sollemnioribus s. communionis diebus, ex reverentia erga SS. Eucharistiam, mutuo consensu abstineant, ipse Apostolus hortator esse videtur his verbis: « Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus: ut vacetis orationi (1) », idest eo tempore quod speciali modo pietati destinatis.

Haec itaque cavenda sunt: ne coniux a frequentiore ss. eucharistiae usu propter coniugale debitum retrahatur; ne alter coniux ex alterius pietate minus contentus reddatur, ut tamen convenientia illa qua perfecta corporis et mentis puritas ad cultum et reverentiam angelicae

(1) 1 ep. ad Cor. 7, 5.

dapis pertinet etiam observetur, ita ut puritatis studium et amor honore SS. Eucharistiae tributo exerceantur et promoveantur.

in tio coniugii. Ac laudandi sane coniuges fuerint qui, TOBIAM imitati, triduana abstinentia primitias sui matrimonii ultro Deo dedicare voluerint (1). Id etiam valetudini corporis proderit, quod affectuosis istorum dierum commotionibus et novae vitae exordio iam satis fatigatur; coniugii autem felicitati, ex adaucta mutua existimatione temperantia ista non parum contribuere potest.

IV. — *De circumstantia: Quo modo* (2).

Quisnam modus naturalis?

240. — 1. Modus *naturalis* et per se servandus is est ut vir incubus uxorem succubam et ad se conversam cognoscat.

Quid, si mutetur? Iusta autem causa esse potest situm istum mutandi. Sine causa mutatus, ob minus ordinatam appetitus rationem, modus culpam venialem continet.

Nec mutatio *mortalis* erit, quam diu modus sufficientem seminationem intra vas permittat ut copula *de se* (i. e. praecise in se considerata, omittendo alia adiuncta quae spem istam excludere possunt) vere probabilem fecundationis spem afferat. Partem seminis amitti satis *parum refert*, quotiescumque primario fini naturae copula serio per se cooperatur (3).

Si tamen, mutato naturali situ, constiterit omne semen, v. gr. propter vasis laxitatem, amitti, consentiunt talem situm sine mortali peccato eligi non posse. Tunc enim modus iste ex se improprius fit generationi, nec naturalis est. Cf. SANCHEZ, *De Matr.* l. 9, d. 16, n. 5; S. ALPH., l. 6, n. 917; AERTNYS, II, 492.

---

(1) Tobiae, 8, 4. — (2) Cf. etiam n. 166. — (3) ALBERTI, n. 123, post BERARDI, monet paenitentes ambigue loqui qui declarent « se rem a tergo habuisse ». Verbis enim istis cum copula non naturalis tum copula legitima sed more pecudum peracta significari potest. Quaestione utrum necne actus nihilominus satis perfectus fuerit, ambiguitas dissipabitur.

2. Coniux qui, dum opus coniugale exercet, de ficticia copula cum alia persona delectatur, *affectu adulterino* graviter peccat.

Quid, si fiat cum affectu ad alteram personam, vel phantastica huius repraesentatione?

Huius tamen peccati reus non est maritus qui, ut quaesitum aestum facilius obtineat, pulchritudine alius personae (viventis vel depictae) propriam uxorem phantastice quasi exornet, et sic affectum ad propriam coniugem augeat. Verum, si de alterius personae viventis specie agatur, caveat ne eius desiderio teneatur vel capiatur.

Quaenam unio utriusque aestus requiratur.

3. Naturae consentaneum est et ipsius valetudinis causa commendandum est, ut ambo coniuges aestum voluptatis *simul tempore* experiantur. Ac reprehendendae sunt uxores quae commotionem consulto cohibent, maxime si hac ratione minus benevolum animum marito manifestare voluerint. Frigiditas tamen ista, cum generationem non impediat, gravis peccati per se insimulari nequit. Improbandi quoque sunt viri qui, de sua tantum satisfactione solliciti, uxoris participationem in voluptate nihil curant.

Legi tamen unionis sufficere videtur ut uterque aestus moraliter coniungantur. Quare, sive instante copula, sive statim post copulam, *uxor*, tactu proprio vel tactu mariti ad perfectam voluptatem fruendam adducatur, id grave non est, et, si causa quaedam accesserit, omni culpa vacabit. Morali enim unione aestus utilitatem suam servat quam ex provido Deo ad ipsam humanam generationem habere debet. Iusta causa fuerit si, ob minorem caliditatem, uxor in ipso congressu commoveri non potuerit, vel si ipse vir vix aliter ac visa uxoris excitatione excitetur, et copulam perficere potuerit.

Cave autem ne idem permittas *viro*, postquam uxor se retraxerit. Namque ex parte viri non fieret nisi inutilis pollutio. Cf. Noldin, *De sexto*, etc. n 70, c.

Seminatio ad ostium vaginae,

4. Ei qui nec contagio morbi vitando nec physica impotentia impeditur quominus vaginam penetret, semen *ad ostium* tantum *vaginae* apponere minime licet. Idque grave foret. Modus enim iste fecundationem non probabilem sed mere possibilem efficit.

Unanimis catholicorum sententia.

Quare, nullus est probatus auctor qui modum istum permittat eo consilio ut proles vitetur, vel, imminuta fecundationis spe, partus uxori periculosus vel exitiosus praecaveatur. Audiatur Bal-

LERINI: Existimandum non est « fas esse coniugibus imperfectissima ea ratione matrimonialibus iuribus uti, quotiens congredi aptiori modo possunt. Etsi enim generatim non teneantur summam adhibere diligentiam quo effectus a natura intentus certius sequatur; ad cavendum tamen quantum in eorum potestate est eum operis modum obligantur, vi cuius non solum praepediri sed etiam non obtineri nisi difficillime generatio posset (1) ». Audiatur NOLDIN: « Si perfectior modus possibilis est, non licet actum coniugalem hoc imperfecto modo exercere, quia hoc idem esset ac generationem moraliter impedire (2) ». Quare quoque manifestum est, verba LEHMKUHL (3) quibus coitum istum tolerat « in casu matrimonii certo valide contracti, quando impossibile est, aut mulieri graviter damnosum, perfectius coire », intellegenda esse de damno quod ex *ipso coitu*, qua tali, non autem ex sequente conceptione vel partu oriundum sit: ne contra apertissimam celebris theologi mentem, neomalthusianismo connivere videatur.

Quid si aliter fieri negueat?

Quid enim, si impedimento *physici generis*, v. g. nimiae caliditatis viri qui statim pollutionem experiatur, vel nervosae incapacitatis erectionis, aut vaginismi qui contactum non toleret, aut contagii vitandi (si casus iste detur) coniuges aliter uti coniugio prohibeantur?

Auctoris et aliorum opinio.

Ut prius ex propria persuasione loquamur, appositio seminis ad ostium vaginae rationem veri congressus habere nobis non videtur: potius quam copulam, duas simultaneas pollutiones a coniugibus exerceri dixerimus. Finem naturae etiam sic obtineri posse non diffitemur; sed id ad honeste agendum non sufficit, si ordinem naturae per separatum genitalium usum completum perrumpas.

Non pauci tamen ex probatis auctoribus, modum istum coniugibus quibus alius impervius est licere arbitrantur: Sic BALLERINI-PALMIERI (4); C. d' ANNIBALE (5); LEHMKUHL (6); C. GASPARRI, in 1ª editione (7); NOLDIN (8); ALBERTI (9). Nonnulli ex istis, nimis de solo fine naturae solliciti, olim etiam fecundationem artificialem a S. Of-

---

(1) *Opus theol. mor.*, tom. 6, tr. 10, n. 874. — (2) NOLDIN, *De sexto*, etc n. 68. — (3) *Theol. mor.* II, 1065. — (4) L. c. n. 873. — (5) *Summula*, t. 3, n. 431, nota 10. — (6) L, c. — (7) *De matrimonio*, n. 1061. Verum, in 3ª ed. n. 575. 576, diversae sententiae adhaeret, additis rationibus, quamvis S. Officium consulendum dicat. — (8) L. c. — (9) *De sexto*, etc. n. 122.

ficio reprobatam, ex necessitate permissam putabant. Timemus ergo ne eodem generis errore decipiantur. Quia tamen, dum semen ad vas apponitur, ambo coniuges in emissione et receptione seminis simul, idque satis immediate operantur, res non aperte illicita est, ac probabilitas sententiae gravium auctorum, — donec S. Sedes aliud decreverit, — concedi poterit.

Verum, etiam ex ista sententia, cum talis modus coniugibus non indulgeatur nisi quia meliore uti nequeant, debent tunc, mediis ordinariis, seminis introductionem in vaginam iuvare, ut re vera meliore quo possint modo congrediantur, et fecundationem ex mere possibili probabilem reddere conentur.

Ex eadem sententia istud sequitur, quod « perrarus erit casus in quo, ratione impotentiae, congressus coniugibus quasi illicitus interdici debeat ». (Ballerini-Palmieri, tom. 6, tr. 10, n. 873,)

Iidem scriptores, non solum ad prolem habendam sed ad alios quoque matrimonii fines, hunc usum coniugii illis qui aliter nequeunt permittent. Quare non stricte reprehendendus est senex qui, incapax factus penetrationis, hac ratione suo coniugio utatur. Cf. Ballerini, tom. 6, tr. 10, n. 873. 874.

N. B. Plura hic accurate distinguenda sunt.

Quid, de modica vaginae penetratione,

1. Aliud est semen ad ostium deponere, aliud, vaginam *parum penetrare*. Qui, alius modi capax, priorem modum eligit, graviter peccarit; qui vero alterum, *venialis* culpae reus fuerit. (Aertnys, II, 497, 1; Alberti, *De sexto*, etc. n. 122.)

de sene, de marito tentante copulam perfectiorem?

2. Etiam in nostra sententia, copulam tentare licebit senibus qui spem servant cuiuspiam penetrationis; licebit quoque marito cuius uxor fortasse penetrationem admittere poterit, etsi vaginismo laboret, idque etiam si plerumque effusio accidat extra vas. Cf. dicta n. 229.230, et Aertnys, II, 497; Ballerini, tom. 6, tr. 10, n. 873.874.

Comparatio impotentiae, liciti usus matrimonii, consummationis.

3. C. Gasparri, l. c. una eademque ratione quaestiones de *impotentia*, de *usu licito matrimonii*, de *matrimonii consummatione* solvit. Quamvis sententiam istam rationabilem putemus, haec potius cum aliis distinguimus. Respectus enim diversi nobis esse videntur, et ex paulo diversis rationibus conclusiones hauriendas putamus. Quodnam est immediatum contractus obiectum: inde *potentia* seu capacitas matrimonii aestimanda est. Postquam autem matrimonium valide contractum est, ipsa difficultas continentiae inter coniuges suadet ut usum coniugii qui solus superest possibilis facile concedamus; demum, consummatum dicemus matrimonium, ubi ratio maioris firmitatis matrimonii consummati deprehendatur. Quare *certo* impotentes habemus eum qui non potest

nisi ad ostium vaginae semen deponere (Cf. n. 72), cum talis usus matrimonii ab intenta copula nimis distet; sed *minus* certo usum illum coniugibus in supra explicata necessitate prohibemus, quia aliquid copulae servare videtur; omni seminis introductione consummari matrimonium arbitramur, ne, in aliquo casu, conceptionem prolis sine matrimonii consummatione admittere cogamur, cum proles maximum argumentum sit cur matrimonium, etiam in ordine naturali, dissolvi nequeat. Cf. n. 80. 87.

V. — *De Circumstantia : Quibus auxiliis.*

Fecundatio artificialis quaenam honesta esse possit.

241. — 1. *Fecundatio artificialis* (Cf. n. 88) illicita est, secundum ipsam S. Officii declarationem (1), quotiescumque semen infundendum praevia pollutione obtinendum est.

2. Verum si, ad gignendam prolem, conducere videatur ut semen, postquam intra vaginam modo naturali (non ergo in condom) receptum est, subinde extrahatur ut altius in vaginam proiciatur : neque ex fine, qui optimus est, neque ex modo, utpote qui nullum abusum venereum contineat, res in reprehensionem incurrere videtur. Cf. Génicot, II, 547, VI ; Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicae*, etc. p. 70 ss. Bucceroni, t. 4, n. 1052, p. 142.143.

3. Praeterea, si qua punctionis ratione semen (i. e. nemasperma) ex epididymo mariti sumatur ut in vas uxoris infundatur, haec ratio fecundationis artificialis damnanda non videtur, cum sine ullu abusu venereo, i. e. sine ulla sexuali commotione, finem matrimonii procuret.

Sed ab alieno viro semen ita suscipere, etiam assentiente marito, non licet, et contra matrimonii leges foret : uxor enim ex solo marito concipere potest, ut utriusque parentis cura puero per se obtingat.

Excitatio per imagines turpes procurata.

4. Denique, si ad se excitandum vir obscenis imaginibus opus habuerit, earum intuitus ante copulam, secluso pravo desiderio, per utilitatem istam et finem honestabitur. Cf. n. 240, 2.

---

(1) Die 24 martii 1897, ad dubium « An adhiberi possit artificialis mulieris fecundatio », S. Romana et Universalis Inquisitio respondit « non licere ».

VI. — *De Circumstantia: Ubi.*

242. — Ipse naturalis pudoris sensus hominem docet locum secretum operi coniugali seligendum esse. *Quo loco*

Quare, si forte deprehendantur in actu coniugii, coniuges copulam, etiam cum certa pollutionis praevisione (citra consensum in pollutionem), interrumpere possint. *Quid, si coniuges deprehendantur?*

In hac re parentes cavere debent ne filii, etiam vix infantiam egressi, carnale parentum commercium observare queant.

Ex reverentia loco sacro debita, patet actu coniugii in aede sacra abstinendum esse. Quod olim, ex iure positivo, tamquam grave sacrilegium locale prohibebatur, ita ut voluntaria simul et notoria seminis humani effusio ecclesiam profanaret. Quae causa profanationis in novo Codice silentio iam praetermittitur. Cf. can. 1172. *Quid, in loco sacro?*

Etiam olim excipiebant causam necessitatis, ut si, in ecclesia retenti, seclusa alia loci optione, in periculo incontinentiae versarentur, aut diu (per plures hebdomadas vel per mensem) ibi permansuri praeviderentur.

Articulus II. — Quisnam usus coniugii optandus sit.

243. — Ut supra n. 109, 3, 208, et 240, iam monuimus, optandum est ut usus coniugii tunc fiat cum coniuges libenti animo in eam consenserint. Huiusmodi enim commercio maior comparatur utrique animi satisfactio et beatior vita coniugalis, quam frequentiore copula cuius alter paene sit invitus. *Optandus usus, attenta frequentia,*

Optandus etiam est usus coniugii, cum alter alterius peccatum petendo vel reddendo debitum impedire potest. *Attenta occasione.*

Viro porro moderatus et suavis usus coniugii; uxori vero prompta ad assentiendum voluntas plerumque suadenda sunt; quamvis interdum res diversimode se habeant, ita ut vir, quadam formidine detentus, copulam minus libenter quam uxor exerceat. Cf. dicta n. 208. *Suasiones opportunae.*

Articulus III. — Quisnam usus coniugii debitus sit.

Obligatio reddendi.

244. — 1. Mutua traditione quae coniugio continetur, « mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier (1) ». Cum istis dictis ab Apostolo omnino congruunt etiam placita Kant (2), quibus, in matrimonio, altera persona ab altera partim tamquam res acquiri dicitur.

Quare expressae vel etiam tacitae alterius petitioni alter, actum coniugalem *reddendo*, obtemperare *ex iustitia* debet. Quae obligatio *genere* gravis est.

Atque observes, expressam uxoris petitionem verecundia facile praepediri.

Obligatio petendi.

2. Obligatio autem *petendi* non est nisi *caritatis* et *pietatis*. Exoritur autem quando ad *imminens* incontinentiae periculum alterius coniugis avertendum, vel ad pacem et amicitiam mutuam firmandam, id necesse fuerit ; quando patria heredem regni, vel pax et tranquillitas familiae filium qui parentibus succedat postulent.

N. B. Quia caritas omni proximo, pietas autem coniugi, patriae et familiae debentur, utroque titulo coniuncte debitum urgetur. Saepe tamen, quia respectus caritatis relationes inter coniuges, pietatis autem relationes ad patriam et familiam magis formaliter regere consuevit, caritate exigi dicitur quod bono coniugis, pietate vero quod communi patriae vel familiae bono postulatur.

Ius ad copulam per se fecundam. Inde iniustae artes

245. — 1. Ius quoque utriusque coniugis est eam ab altera parte obtinendi copulam quae spem prolis afferat quam adiuncta personae per se dare possunt. Quare, invita altera parte, uxor quae, sine diversa eaque proportionata causa sed ad sterilitatem obtinendam, excisionem ovarii vel interruptionem oviductus sibi procurat, non tantum quintum et sextum praeceptum quod ad se violat, sed etiam alteri coniugi gravissime vel graviter est iniuriosa.

---

(1) 1 ep. ad Cor. 7, 4. — (2). *Rechtslehre*, l. 1 c. 2, sect. 8 § 25.

Perinde ius coniugis violat uxor quae pessarium ad ostium uteri apposuerit, vel, post copulam, invito marito, semen expellere conetur.

Ovarii excisio quandonam licita?

Probe itaque observes, nullo futuri partus exitiosi periculo sed praesenti tantum tabe (*infection*) vel necessitate, iustam auferendi ovarii causam suppeditari; et gravis peccati reos esse medicos qui, occasione quadam data, uxori quae nimis in partu laborarit ovaria auferunt ut iam impune opus coniugii exercere queat.

Iniustae artes viri.

2. Nec dissimili modo peccarit seu iniustus fuerit vir qui, invita uxore, vasectomiam ideo admiserit ut generare non possit, vel corpus ita extenuarit, ut actui coniugali fere imparem se reddat, vel artes neomalthusianas exercuerit.

Peccatum negati debiti.

246. — Prudenter perpensis adiunctis, petenti *negare debitum* leve erit peccatum si, perspecta usus frequentia, levis materia apparuerit, vel alter graviter invitus non sit: v. g. si ad mutandum consilium precibus perducatur, dummodo proximum periculum incontinentiae aut alterius gravis incommodi vere absit.

Fit autem ut ex psychologico statu ac nevropathia, alter coniux vix superabili formidine v. gr. partus vel prolis invadatur, ideoque actum coniugalem abborreat. Cf. n. **243**. Is hortandus est et efficaci argumento a timore isto avertendus, potius quam ipsi scrupulos cum modica spe successus et non sine animi perturbatione inicias. Coniux enim sanus, quamvis res ipsi ingrata sit, facile tamen de iure suo satis remittere censetur, ut alter gravi peccato excusetur. Urgendo enim ius suum, graviori malo quam incommodo abstinentiae se suaque exponit. Hic itaque prudentiae et discretioni locus est.

Quid, si copula differatur in dies quibus minor spes est prolis?

247. — Usus coniugii *nulla lege* positive *praecipitur*. Quare, *mutuo consensu*, coniuges actum coniugalem vel nullatenus vel iis tantum diebus exercere possunt quibus minor est spes prolis (1). Id ipsis licet, attento *obiecto* consilii seu propositi, atque etiam attento *fine*, si is rationabilis fuerit. Talem esse posse intentionem non iam augendi prolem satis numerosam theologi fatentur.

---

(1) Cf. n. **10**.

Quamquam ratio ista hodie a sacerdote parum commemoranda videtur.

Quid, si amens aut ebrius petat?

248. — Nec *amenti*, extra lucida intervalla, nec *ebrio* debitum reddi *debet*, cum eorum petitio non sit actus humanus. Reddi tamen potest, nisi periculum necandi fetum iam conceptum obstare videatur.

Quid, si qui moechiam commiserit?

249. — Parti quae *moechata* sit (copula adulterina, sodomitica, vel bestiali) debitum negari potest : frangenti enim fidem fides impune frangitur. Excipe si alter quoque similiter peccaverit, vel si peccati complex fuerit, vel peccatum sciens ac volens condonaverit.

Recepta ista theologorum doctrina etiam can. 1129 Codicis confirmatur.

Hodierni doctores compensationem istam qua ius a peccante amissum peccato alterius partis restituitur, magis explicare non solent. Superioris autem aetatis theologi istam compensantionem severe urgebant, etiam si delicta nec numero nec pondere aequalia essent, ut si unus ultro ac sponte adulterium commiserit, alter vero quia iniuste a coniuge derelictus ; vel si unus semel tantum, alter vero pluries adulterium commiserit. Sic Sanchez, alios allegans (1). Fatemur magis nobis probari, tamquam aequitati magis consentaneam, opinionem eorum qui ad compensationem istam requirebant delicta quae quantitate et qualitate paria sint (2). Concedimus tamen iniuriam potius minorem matrimonio per actus contra naturam quam per perfectum adulterium irrogari, ita ut adulter ei qui sodomia peccaverit compensationem negare per se nequeat (3).

Adulterium vero quod *post separationem*, ab innocente committatur, non iam adulteria antea facta compensat. Quare « coniux innocens nulla umquam obligatione tenetur coniugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium (4) ».

---

(1) *De matrimonio*, l. 10, d. 6, n. 4-8. — (2) Ibidem, n. 4. — (3) Cf. Sanchez, op. c. l. 10, d. 6, n. 5. — (4) Can. 1130. Cf. Sanchez l. 10, d. 9, n. 30, qui hanc rationem affert, quod adulter, per sententiam separationis, iure in alterius corpus privatus erat, ita ut subsequens innocentis adulterium ei non iam sit iniuriosum. Sed Codex perinde dicit ubi privata auctoritate separatio facta sit.

Excusatio propter damnum

250. — *Grave damnum* vel periculum vitae aut sanitatis tam proprium quam prolis a debito reddendo excusat. Puta periculum contagii, propriam aegritudinem satis notabilem, *extraordinarios* partus dolores.

propter aliam causam.

251. — Etiam alia *iusta causa* a debito reddendo excusat. Plures, quibus assentimur, sed aliis negantibus, iustam causam esse censent magnum periculum edendi fetum mortuum. Ac perinde dicendum est de prole monstruosa vel miserabili. Tunc enim finis primarius naturae non ea ratione obtinetur quae ad bonum commune utilis est; atque uxori valde durum est ut omnia graviditatis incommoda cum periculo cuiuspiam infamiae aut dedecoris ferre debeat.

Nimis autem multiplicata proles quam ut *convenienter ali* possit iustam negandi debitum causa afferre non videtur. Res summum ita componi possit, ut usus matrimonii iis tantum diebus fiat quibus fecundatio minus probabilis sit. Cf. dicta n. **10.**

Omissa ista rem componendi ratione, intentum obtineri non posset sine diuturna negatione debiti, coniuncta cum nimiae incontinentiae periculo, quam alter coniux, qui ius suum secundum primarium matrimonii finem exercere vult, admittere non tenetur. Cf. LAYMANN, *De Matr.* c. 1, n. 16 ; PALMIERI, *Opus theol.* ed. 3, tom. 6, tr. 10, n. 401.

Quid, si petatur innaturali modo?

252. — Petenti *innaturali modo* copulam, quae tamen substantialiter honesta sit, haec ex iustitia reddi non debet. Ratio caritatis suadere vel etiam imperare poterit ut concedatur, ne gravius malum oriatur.

Quid, si petens iure careat?

253. — Ei qui *iure suo* petendi exciderit copula, ut patet, reddi non debet. Ac renuntiatio iuris per se non repugnat. Cfr. dicta n. **232. 233.**

Quid de bimestri optione superioris iuris?

254. — Iure superiore, neuter per *duos menses* debitum reddere debebat, cum tempus istud lege concederet ut ad deliberandum de ingressu in religionem (1). Quod tempus nonnulli putabant a die per iudicem ecclesiasticum praefinita initium habere. Atque episcopo facultatem prorogandi tempus concedebant. Semel consummato

(1) C. Ex publico, 7 *De conversione coniugatorum* (III, 32).

matrimonio, facultas tollebatur. Cf. BALLERINI-PALMIERI, *Opus*, etc. tom. 6, tr. 10, n. 482 ss.

Optio ista novo Codice merito suppressa est. Quare, ut sonat c. 1111, «Utrique coniugi *ab ipso matrimonii initio*, aequum ius et officium est, quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae.» Si qua ratio specialis ex modo quo matrimonium celebratum est, ex infaustis vitae communis initiis, iustam causam exceptionis dare videretur, remedium istud praesto est, ut ex Ordinarii auctoritate vel etiam propria auctoritate, si de causa constet et periculum sit in mora (1), coniux se ab altero separet et dispensationem a matrimonio rato et non consummato a S. Sede impetret.

Debeturne copula illicite petenti?

255. — *Illicite* petenti actum per se tamen et alteri licitum (ut si petat qui solus voto astrictus est vel cui copula nimis damnosa sit) debitum, ut vidimus, per se reddi potest.

An autem *debeat*, id controvertitur. Affirmat PALMIERI (2), post plures.

Cum agatur de persona ita proxime coniuncta ut sollicitudo de alterius bono spirituali aut physico rationabiliter importuna videri nequeat, negandam potius obligationem putamus. Alter non est rationabiliter invitus. Consonant verba S. THOMAE, saltem quando agitur de physico detrimento: «Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui facienda est vel alteri, non ei debet tunc restitui: quia restitutio ordinatur ad utilitatem eius cui restituitur (3)».

APPENDIX. — De consequente cohabitandi officio.

Debitae cohabitationis principium,

256. — 1. Obligationem reddendi coniugalis obligatio cohabitandi consequitur. Cohabitatio ceterum matrimonii naturae consentanea est, cum ex ipsa iuris definitione, matrimonium sit «viri et mulieris coniunctio, individuam consuetudinem vitae continens» (Inst. l. 1, t. 9, *De patria potestate*, § 1).

Eandem novus Codex canonicus his verbis sancit

---

(1) Cf. c. 1131, § 1. — (2) *Opus theol.*, tom. 6, tr. 10, n. 404. — (3) 2, 2, q. 62, art. 5, ad 1.

c. 1128: « Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset ».

Altero itaque invito, alter coniux diutius abesse sine necessitate non potest. Excipe casum adulterii, ut dictum est n. 249.

limites,

2. Obligatio tamen ista humano modo intellegenda est. Quare, cum onere plane extraordinario et non praeviso, uxor maritum in regionem longinquam sequi non debebit; ac bonum praestantius vel certe magis debitum et magis necessarium coniuges a cohabitatione excusare potest. Prudentum arbitrio permittendum erit quandonam, pro causae gravitate, maritus vel uxor diutius quam obligatio cohabitationis permittat, abesse censeatur. Quod si diu abesse marito necesse fuerit, uxorem, si commode possit, secum ducere debet. Cfr. S. ALPHONSUM, l. 6, n. 939.

sanctio moralis.

3. Altero coniuge invito, sine causa sufficiente abesse, erit *mortale :*

1. Quotiens mortalem debiti negationem includit;

2. Si non ad breve tempus fuerit: quod cum in se, tum ex damno aut tristitia alterius, pensandum erit.

Iustae causae absentiae.

4. Causae *iustae* esse possunt: honesta recreatio, curanda valetudo; necessitas vel propria vitandi damni aut familiae alendae, vel administrandae rei familiaris; exigentia boni publici.

Sic, religionis causa, viro brevem peregrinationem permittunt, dum uxori, cum vir sit ipsius caput, venia mariti opus est.

Quid si alter consentiat?

5. Sed neque *altero assentiente*, ideo statim, sine alia iusta causa, ad certum tempus discedere licebit, nisi « caveatur probabile periculum incontinentiae in alterutro, nullum damnum familiae consequatur, atque scandalum absit » (PALMIERI, tom. 6, tr. 10, n. 388).

Iuvandi sunt humiliores.

In qua re oportebit ut divitiores paupèrioribus vel humilioribus opitulentur qui, pinguiorem mercedem extra patriam quaerentes, ibi multis peccatis contra religionem et mores exponi facile possunt. Cf. quae in Belgio instituta sunt ad iuvandos illos qui, singulis annis, per plures menses, Galliam laboris causa petere solent; quid KOLPING invenerit ad protegendos eos qui etiam in extranea regione artem exercere discunt (*les apprentis*).

Ad dotem obtinendam negata cohabitatio.

Scriptores olim permittebant ut, ad solutionem promissae dotis obtinendam, vir cohabitationem per aliquod tempus recusaret, si efficax medium esse videbatur. Et virum dispensabant a praestandis alimentis uxori cuius dos promissa nondum soluta erat. Cf. S. Alphonsum, l. 6, n. 939; Palmieri, t. 6, tr. 10, n. 390. 391. Haec hodie parum usu veniunt.

Coniuges communi cubiculo utantur.

6. Optandum quoque et pro viribus curandum est, ut coniuges non solo tecto sed etiam cubiculo communi utantur. Cubiculorum enim separatio, praeter quam quod peccatis et suspicionibus facilem occasionem praebet, mutuo amori non leviter damnosa demonstratur, et, teste experientia, frequens causa est coniugiorum infelicium et divortiorum. Cfr. n. 208,[d] et 215,[1] atque ipsum Forel.

CAPUT II. — De incompleto coniugii usu.

Quid incompletus coniugii usus?

Incompletum vocamus omnem usum coniugii praeter copulam *perfectam*, i. e. ita peractam ut, ex parte coniugum, nihil generationi desideretur.

Articulus I. — De copula onanistica et similibus naturae violationibus.

Thesis VI.

Positio.

257. — Voluptas completa a coniugibus eo modo quaesita quo simul generationem positive impediunt, seu quo « libidinis causa propagationi prolis obsistitur (1) », i. e. **onanisticus coniugii usus intrinsece et graviter malus est.**

Per verba « *libidinis causa* », non asserimus ipsam prolis exclusionem libidine imperari, cum ipse partus moraliter impossibilis esse possit; sed etiam tunc onanistae, mere ad fruendum voluptate carnali, abutuntur coniugio, quando ad nobilem et fecundam continentiam a divina Providentia invitantur. Libido itaque intentionem qua

(1) S. Augustinus, *De nuptiis et concupiscentia*, c. 15, n. 17. (M. 44, 423.)

coeunt, non necessario eam qua generationi obsistunt designat.

258. Argumenta. 1. *Argumentum theologicum.* Iam ipsa Scriptura Sacra (1) detestabilem rem declarat fraudem qua ONAN, ne filius nominis fratris sui potius quam filius sui nominis principatum tribus Iudae obtineret, ad viduam istius fratris, secundum legem leviratus, accessit quidem, sed semen in terram effundebat. Atque, ex contexta oratione, ipse frater HER, ob similem quempiam matrimonii abusum, a Deo mortis damnatus videtur (2). Nihilominus, locum istum nimis urgere nolimus, cum ex textu ipso non ita clare constet utrum propter ipsum coniugale scelus an propter mixtam fraudem Deus ONAN percusserit. *Probatio ex revelatione,*

Sed traditio catholica, ab ipsis SS. Patribus profecta (3), quam unanimis sententia theologorum et magisterium ordinarium Ecclesiae ita testantur ut nulla formali erroris contrarii reprobatione opus fuerit, rem plane evincit.

2. *Argumentum rationis.* In onanistico coniugii usu, coniuges ambo vel alteruter, passione venerea abrepti, commercium carnale illo modo exercent qui actum sua relatione ad speciem privat et ad solos coniuges refert. *ex ratione.*

Atqui usus iste, qua talis, essentialem ordinem hominis in seipso, tum ut est *persona singularis*, tum ut est *pars generis humani* violat.

Ergo usus iste est intrinsece et graviter malus.

Violat ut est persona singularis: *passione* enim coniuges abripiuntur ad ita agendum *contra rationem*, dum essentialis ordo hominis in seipso postulat ut ratio sensui dominetur.

Violat ut homo est pars generis humani, et qua talis, speciei essentialiter subordinatus. Coniuges enim tamquam *individualem* et nomine proprio exercent actum qui primaria sua ratione est actus *speciei*, a coniugibus speciem humanam repraesentantibus et pro ea agentibus exercendus.

---

(1) Gen. 38, 9. 10. — (2) Sic. HUMMELAUER, in hunc locum. — (3) Cf. v. g. S. HIERONYMUM, ep. 22 ad Eustochium, n. 13. (M. 22, 40.)

Idest, genus humanum, ut est persona moralis, per copulas coniugales suae perpetuitati providet. Onanistae perpetuitatem istam modo quo coniunguntur positive excludunt.

Ad consequentiam. Actus ille est *intrinsece* et *graviter* malus. Est intrinsece malus: perspecta enim copulae onanisticae notione, malitia apparet. Est graviter malus, quia ordinem essentialem violat substantialiter. Homo autem observando relationes suas essentiales, finem suum attingere debet.

Probationis factae utilitas.

Ratio ista soluta est omni consideratione momenti quod in bonum privatum vel commune honestas illa habet. Ipse sane providus Deus, dum ordinem servandum imponit, communis boni tutor et protector est. Quid autem singuli actus utilitatis aut detrimenti afferant perpendere non debemus, ut inde culpam gravem aut levem esse statuamus. Peccatum mortale, ut in tractatu de peccato demonstratur, est *formaliter* actus substantialiter *contra ordinem* divina lege impositum, non autem *formaliter* actus contra bonum commune.

Fusior explicatio violati ordinis ad speciem.

Operae pretium videtur ut de *specifico* isto *respectu* quem actu coniugali requiri et ab onanista violari ostendimus, paulo distinctius vel explicatius dicamus.

Appetitus venereus, prima figura, directus perpicitur ad operationem utriusque coniugis communem, quae ad debitam generis humani multiplicationem, a Deo naturae auctore instituta est.

Bifariam contra ordinem istum, qui est totius facultatis, agi potest; sive frangendo relationem appetitus seu facultatis ad ipsam operationem communem: quod fit cum appetitus extra copulam satiatur; sive frangendo relationem peractae operationis ad naturae finem, cum iste finis directe impeditur.

Iam vero, pro varia ratione qua exercetur (1), onanisticus coniugii usus alterutram vel utramque relationem frangit.

Violat relationem *ad operationem*, vir qui se retrahit vel condom induit. Tunc enim vel copulam interrumpit;

(1) Cf. introductionem, n. 45.

vel, iam ab initio, copulam essentiali seminationis elemento privat, ita ut in utroque casu delectatio extra copulam obtineatur.

Violat relationem *ad finem* coniux qui, obstruendo uterum, vel destruendo nemaspermata aut expellendo semen, copulam artificiose sterilem efficit.

Violant *utramque relationem*, ut non raro hodie fit, coniuges qui, artes miscendo, duplicem securitatem a prole obtinere volunt.

Effugia praecluса.

259. — Nostra demonstrandi ratione, varia effugia abutentium coniugio praecluduntur: usum coniugii sterilibus permitti; eundem usum limitari posse ad istos dies ubi nulla vel modica spes sit prolis.

Quamdiu enim ipse usus coniugii naturali ratione completur, nulla substantialis violatio ordinis committitur; sed delectatio ex actu qui secundum rationem fit quaeritur. De efficacia enim actus in generationem humanam, nec propter ordinem rationis nec propter bonum commune coniuges positive solliciti esse debent. Non propter ordinem rationis, cum sine positiva generandi intentione actus coniugalis rationabilis esse possit (1); non propter bonum commune, cui sine ista sollicitudine a Deo provido satis provisum est. Dummodo homines secundum leges naturae coirent, Deus ita res composuit ut homines numero sufficienti nascerentur, sicut etiam satis multi, sine necessitate suicidii, e vivis excedunt. Quid autem intersit moraliter inter omissiones modi, temporis aptioris, et actiones fini institutionis matrimonialis contrarias, supra n. 238 vidimus.

Istud quoque addi potest. Quam diu nulla alia optio praeter copulam naturalem vel continentiam esse sinitur, bono communi semper consulitur, sive ipso usu, qui unionem coniugum firmat et spem prolis per se affert, sive ipsa abstinentia, quae animum roborat et mentem ad sublimiora studia paratam efficit.

Rationes secundariae.

260. — Variae tamen rationes quae magis extrinsecae sunt vel ex damnosis consectariis petuntur, utiliter allegantur, ut mentem

(1) Cf. n. 224.

ad intrinsecam rationem facilius et firmius capiendam disponant, et homines a nefariis istis consiliis efficacius avocent.

Itaque hae fere proponi possunt.

1. Ipse obvius sensus communis rem malam esse et gravem percipit. Quare observant anthropologistae copulis istis, quia conscientia illas improbat, mutuam coniugum aestimationem et dilectionem minime foveri. Atque, cum de bono speciei agatur, satis manifestum est delictum in hac re efficacissima sanctione a provido Deo punitum iri.

2. Si vero innumerabiles excessus consideres ad quos ipsa passionis vehementia, ruptis habenis, perducat; quantum bono cum domus privatae tum civitatis iam nocuerit; quantam « egoisticis » studiis lugenda incrementa dederit; quantum morbus iste iam ubique disseminatus sit vel proximam invasionem minetur; quo pacto ipsae academiae et quotquot patriae studiosi sunt iam omnibus votis et conatibus magis fecunda coniugia appellent: num dubitare possis quin tantum vitium sub gravi reatu prohibeatur? Ipso detrimento quod valetudini et felicitati coniugum affert, vitium istud a natura abhorreri convincitur.

Brevi verbo dici potest, de dignitate matrimonii actum esse, nisi abusio ista comprimatur.

3. Quod si coniuges difficultatem continentiae excusent, eiusdem nobilitates et meritum efferantur. Num sibi impervium dicere possunt, quod tot homines per omnen vitam tolerare debent vel ultro eligunt? Si instent se non esse ad continentiam vocatos, statumque coniugalem sibi ad opus coniugii electum esse, responderi potest multos, post similem electionem, physica quasi necessitate ad continentiam servandam adactos esse, qui a Deo gratiam continentiae fidenter petere et exspectare possunt. An moralis lex conscientiam minus imperiose quam physica corpus teneat? Quid, quod ipsi saepe imprudenti ratione qua coniugem elegerunt, omnis suae molestiae et difficultatis architecti fuerunt?

Quo tamen responsum suavius sonet, addi potest ipsos actibus imperfectis (de quibus postea dicetur) non prohiberi; ac plures esse coniuges qui his contenti sint, actui completo eligi etiam posse dies minus propitios fecundationi (Cf. n. 10).

4. Demum gravibus S. Augustini verbis, vel aliis similibus refellantur; «Qui hoc (propagationi prolis obsistere) faciunt, quamvis vocentur, coniuges non sunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandae turpitudini obtendunt (1).

---

(1) Ut id gallicis verbis reddamus: *Sous couleur de mariage, on convient d'un dévergondage à deux.*

Prorsus, si ambo tales sunt, coniuges non sunt: et si ab initio tales fuerint, non sibi per conubium sed per stuprum potius convenerunt. Si autem non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodam modo meretrix mariti, aut ille adulter uxoris. » (*De nuptiis et concupiscentia*, c. 15, n. 17, M. 44, 423. 421).

Cf. quoque dicta supra, n. 209.

Adversariorum placita.

261. — Praeter illos qui, doctrinae incuriosi, varios tantum praetextus vel rationes speciales allegant ad artes onanisticas sive extra sive intra coniugium exercendas, in duo genera cogere possumus eos qui inconcussa recti usus coniugii principia etiam theoretice negare et impugnare audent.

Alii, non de numero hominum sed de eorum qualitate se sollicitos esse profitentur. Corpore, ingenio, indole valentes generent quot filios possint; ceteris vero praesto sint, et quidem vili pretio, media sterilitatis, ut sic, sine damno sociali, coniugali voluptate frui possint. Sic v. g. FOREL (1), qui nolit cum neo-malthusianis, quos communi bono nocivos habet, confundi.

Doctrina neo-malthusiana

Ex iis qui neo-malthusiana placita aperte defendunt, secretarius foederis Malthusiani in Anglia (*Malthusian League*) (2), Dr. C. G. DRYSDALE, sic, coram *National Birth-Rate Commission*, 24 oct. 1913, Neo-Maltusianismum describebat:

« Neo-Maltusianism is an ethical doctrine, based on the principle of MALTHUS that poverty, disease, and premature death can only be eliminated by control of reproduction, combined with a recognition of the evils insepaparable from prolonged abstention from marriage. It therefore advocates nearly universal early marriage together with a selective limitation of offspring to those children to whom the parents can give a satisfactory heredity and environment so that they may become desirable members of the comunity. It further maintains that a universal knowledge of hygienic contraceptive devices among adult men and women would in all probability

(1) *La Questione sessuale*. Cf. p. 355. 356. 438. 471 versionis italicae. — (2) In aliis etiam regionibus, v. g. in Hollandia, huius modi foedus constitutum est.

automatically lead to such a selection through enlightened selfinterest, and thus to the elimination of destitution and all the more serious social evils and to the elevation of the race (1) » (*The Declining Birth-Rate*, p. 89).

Ambo itaque genera de meliore, perfectiore genere humano sunt solliciti, et parum inter se differunt, cum ambo selectioni prolis patrocinentur.

Communibus vero erroribus decipiuntur, quos sic paucis notamus.

refellitur. 1. Peccant falso ac funesto isto principio « media fine honestari », ita ut moralem mediorum considerationem omittant vel negent.

2. Mira « utopia » decipiuntur, cum *propriam* hominum utilitatem appellant ad obtinendas actiones *communi* bono utiles; quasi non saepe, in praesenti stadio, utilitates istae inter se pugnent.

3. Quare ipse FOREL neo-malthusianae scholae obicit quod in America et Nova-Zelanda, proles meliorum hominum semper rariores fiant, dum Sinenses et Nigritae usque magis multiplicentur; et quod, loco magis selecti generis humani, magis barbarum et idiotam praeparent (2). Atque ipse Dr. DRYSDALE fatetur in plerisque regionibus, si Bataviam excipias, effectus doctrinae infaustos fuisse *antieugenic*) : quem exitum imputat hominibus excultis, qui ipsi exercuerunt quod pauperioribus et miserioribus

---

(1) Idest, latine : « Neo-Malthusianismus est doctrina ethica, fundata in principio quo MALTHUS asserebat paupertatem, aegritudinem et praematuram mortem eliminari non posse nisi generationis restrictione. Principium illud componit cum agnitione malorum quae a diuturna nuptiarum omissione separari nequeunt. Quare modo fere universali commendat praecox coniugium et simul discretam prolis limitationem, ita ut soli isti nascantur quibus parentes naturale temperamentum et externas vitae condiciones procurare possint unde optabilia membra communitatis evadant. Praeterea contendit generalem divulgationem hygienicorum mediorum vitandae conceptionis inter adultos viros et mulieres id, ut maxime veri simile est, ultro ac per se, ope illuminati sensus utilitatis propriae, effecturum, ut ista prolis selectio fiat, et sic supprimantur egestas et pessima infortunia socialia, ac genus humanum ad meliorem statum ascendat. » — (2) *La questione sessuale*, p. 471.

inculcare debuissent. Et sic candide fatetur « altruismum », ut ipsi loquuntur, parum ex « egoismo » proficere. Ut factorum evidentiam effugiat, FOREL negat ante multa saecula selectionem istam cui patrocinatur sperari posse. — Quare ex suo ipsorum ore revincuntur.

Non raro auditur haec obiectio: melius est paucos liberos bene alere et instituere, quam multam prolem neglegere.

Cui difficultati respondetur, quaestionem non agi de numero filiorum sed de honestate morum coniugalium. Quod adversarii frustra ex sapienti egoismo expectant, nos ex incorruptis moribus multo melius sperandum esse demonstramus. Ubi puri mores fuerint, accedat mediocris mentis cultus : tot nascentur filii quot e re publica erit. — Quamquam etiam dubitari potest utrum rariores filii melius necne instituantur, nisi molliorem educationem, qua tam cito declinant familiae, promeliore habere volueris.

Corollaria.

262. — Ex facta probatione plura haec, ad usum pertinentia, colliguntur.

Intentio copulam impediendi.

1. Uxor *intentione* graviter peccat quae inefficaci ratione (vano remedio, cohibendo suam distillationem, surgendo ad mingendum) copulam sterilem reddere voluerit. Nec marito talia iubendi parere poterit, nisi ipsum prius de suo errore monuerit.

Querelae de prole.

2. Graviter illa quoque peccat quae, directe vel indirecte, per querelas de numerosa prole, etc. maritum ad onanisticum coniugii usum pertrahit, vel in eodem confirmat. Et cum quaelibet formalis cooperatio graviter damnanda sit, consilia sua revocare debet.

Vir utens condom, etc.

3. Uxor nullatenus permittere potest, ut vir pessarium in ea ponat, vel accedat tecto membro virili, vel eius corpore abutatur ut alio ac debito loco semen effundat. Praevalenti vi tantum cedere potest, fere sicut mulier innupta quae opprimatur.

Hoc tantum interest, quod ipsa magis in necessaria occasione, ob gravissima incommoda vitanda, vel propter propria sua iura tutanda versari censetur. Quare, secluso proximo consensus periculo, nec obliganda videtur ut thalamum timore abusionis deserat, vel marito copiam auferat abutendi vi sua.

Confessario autem satis erit ipsam docere, abusionem istam nullatenus permitti posse. De modo et gradu resistentiae opponendae, regulariter melius erit ut ultro nihil addat, ne uxoris condicionem, quae per se iam difficilis est, magis impeditam reddat.

Confirmatio ex responsis S. Paenitentiariae.

263. — Severitas ista, quam in opusculo nostro *Un grave péril moral* (1), quoque demonstravimus, egregie confirmatur binis recentibus responsis S. Paenitentiariae, 3 aprilis et 3 iunii 1916, quae hoc loco exscribimus.

Resp. 3 *april.* 1916. — Utrum mulier alicui actioni mariti qui, ut voluptati indulgeat, crimen Onan aut Sodomitarum committere vult, illique sub mortis poena aut gravium molestiarum minatur, nisi obtemperet, cooperari licite possit ?

Resp. a) Si maritus in usu coniugii committere velit crimen Onan, effundendo scilicet semen extra vas post inceptam copulam, idemque minetur uxori aut mortem aut graves molestias, nisi perversae eius voluntati sese accommodet, — uxor, ex probatorum theologorum sententia, licite potest, hoc in casu, sic cum marito suo coire : quippe cum ipsa ex parte sua det operam rei et actioni licitae, peccatum autem mariti permittat ex gravi causa, quae eam excusat; quoniam caritas qua illud impedire teneretur cum tanto incommodo non obligat.

b) At si maritus committere cum ea velit Sodomitarum crimen, cum hic Sodomiticus coitus actus sit contra naturam ex parte utriusque coniugis sic coeuntis, isque doctorum omnium iudicio graviter malus : hinc nulla plane de causa, ne mortis quidem vitandae, licite potest uxor hac in re impudico suo marito morem gerere. Miraturque vehementer S. Paenitentiaria, quod opposita sententia, cum humanae naturae dedecore, in quorundam sacerdotum animis (ut refertur) insistere potuerit.

Resp. 3 *iun.* — I. Utrum mulier, casu quo vir ad onanismum exercendum uti velit instrumento, ad positivam resistentiam teneatur ?

II. Si negative, utrum sufficiant, ad resistentiam passivam ex parte mulieris cohonestandam, rationes aeque graves ac pro onanismo naturali (sine instrumento), vel potius omnino necessariae sint rationes praegravissimae ?

III. Utrum, ut tutiori tramite tota haec materia evolvatur et edoceatur, vir talibus utens instrumentis oppressori vere debeat aequiparari; cui proin mulier eam resistentiam opponere debeat quam virgo invasori ?

---

(1) Cfr. Nouvelle Revue theologique, 1919.

Resp. Ad primum: Affirmative.
Ad secundum: Provisum in primo.
Ad tertium: Affirmative (1).

Ablutio vaginae.

264. — Quae uxor, completa copula vaginam ad expellendum semen laverit ut sic fecundationem impediat, onanismi graviter rea dicenda erit.

Quare nefas quoque est ut coniuges de industria seligant eam copulae horam qua uxor vaginam abluere solet.

Seposita vero omni fraude, debetne uxor consuetam ablutionem intermittere, quia aliqua copula paulo ante advenerit? Id, nostra sententia, debere non videtur. Res propter aliam utilitatem peragitur. Aliunde, quando regularis usus coniugii habetur, de fructu singularum copularum ea sollicitudo adhibenda non est quae ad postponendam ablutionem obliget. Idem facilius etiam permittemus, si uxor iam conceperit; quamvis ne tunc quidem ablutio ex intentione auferendi seminis permitti possit.

Severius responderimus, si rara fuerit copula, praesertim quia nulla valetudinis causa postulat ut hac potius quam alia hora uxor vaginam lavet.

De intervallo interponendo ut recte iudicemus, haec nobis ex recentibus physiologiae experimentis assumenda sunt.

In singulis effusionibus nemaspermata continentur immenso numero quem aestimant 250,000,000 ad 260,000,000. Ac si vir vaginam perfecte penetraverit, iam in ipso copulae actu multa nemaspermata uterum ingrediuntur. Novimus tamen uno nemaspermate quod intret in ovulum femineum fecundationem compleri posse.

Talis porro est motus nemaspermatum, ut centesimam metri partem intra decem momenta (sexagesimas horae partes) percurrant. Initium autem vaginae ab ostio uteri distat 2 1/2 ad 3 1/2 centimetris; 10 vero ad 15 centimetris a tubis fallopianis, ubi fecundatio

---

(1) Responsa ista primum prodierunt in opere *Institutiones Alphonsianae* Cl. Marc (1917), t. 2, n. 2116 et 2117. Hac occasione opportune monent Nederlandsche katholieke Stemmen, 1917, his responsis simul improbari assertum R. P. Prummer, O. Pr. quo hic distinguere nolebat casum quo vir mere se retrahit et casum quo vir involucro utitur.

locum habere solet nisi fiat in ipsis ovariis (1). Quare post semihoram vel unam horam, tot nemaspermata utero recepta sunt ut fecundationis spes talis facta sit qualis melior moraliter exspectari nequit. Etenim humor quo vagina aspergitur motum nemaspermatum impedit, dum madefactus uterus eorundem vim motoriam excitat. Itaque, quae nemaspermata in vagina remanent fecundationi vix prodesse possunt.

Si res ita se habent, cum aliunde noverimus non esse per se grave partem spermatis effusi prodigere, dummodo sufficiens altera pars salvetur, concludendum videtur iam post horam ablui posse vaginam sine notabili damno fecundationis, idque ob quamlibet causam licere. Qui severius sex horas intervalli postulant tacite supponunt nullam seminis partem, etiamsi rationabilis sit causa, voluntarie amitti posse.

Vir se retrahens.

265. — 5. Quando vir **mero retractu** abutitur matrimonio, actus, donec se retraxerit, omnino licitus exercetur. Quare, auctore ipsa *S. Paenitentiaria*, « cum in proposito casu mulier a sua quidem parte nihil contra naturam agat, detque operam rei licitae, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat », ipsa debitum reddere potest. [Resp. 1 feb. 1823 et 3 aprilis 1916 (2).]

Requirituine gravis causa ad reddendum debitum marito sic petenti?

266. — **Quaeritur**, utrum *gravis causa* requiratur ut uxor marito sic petenti debitum reddat, an simpliciter excusetur?

Sunt qui gravem causam postulent, quia uxor, sine gravi causa, peccato mariti mediate cooperari non possit (3). Alii specialem causam requiri negant, quia uxor tantum rei licitae operam praestat (4). Quod sane placet ipsi S. Alphonso, cum probabilius existimet uxorem, in his adiunctis, non solum posse sed debere debitum reddere (5). Hoc nimium existimamus, cum petitio mariti qui vult copulam interrumpere sit irrationabilis; immo, si aliter uti coniugio nolit, coniugi invitae iniuriosa. Hoc itaque omisso, rem propius

---

(1) Quando omnia optime procedunt, fecundatio iam post horam cum dimidio a facta copula locum habet. — (2) Allegata responsa S. Paenitentiariae gravem immo gravissimam causam adesse supponunt; sed mentio ista specialibus propositi casus adiunctis tribuenda est, « nec concludendum est, absente hoc gravi incommodo, non licere uxori debitum reddere ». (Ballerini, *Opus theol. mor.* tom. 6, tr. 10, n. 245. 246. — (3) Sic olim quidam antiquiores, et nunc R. D. De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, n. 146. — (4) Sic, post plures antiquiores, Ballerini, *Opus theol.* t. 6, tr. 10, n. 244. — (5) L. 6, n. 947.

consideremus. Duplicem respectum habet: *cooperationis* ad peccatum mariti et *correctionis fraternae*. Sub ratione *cooperationis*, nulla specialis causa requiritur ut uxor viro debitum *reddere* possit. Namque, ut optime observat S. ALPHONSUS, « ne materialiter quidem cooperatur peccato illius, cum non cooperetur seminationi extra vas, sed tantum copulae inceptae, quae per se omnino utique licita est ». Nec negatione sua aliud impedit praeter actum externum peccati quod maritus prava sua intentione iam commisit. Praeterea, copula *debita* est uxori. Haec, cooperando, saltem imperfectam rei sibi debitae praestationem obtinet. Ceterum, gravis causa reddendi vix umquam aberit. Atque etiam si uxor debitum a viro onanista (qui se retrahit) *petere* voluerit, ad causam quae per se uxori prodest nulla accedere debet: causa haec enim est quod uxori quae copulam cupit grave est ea copula privari. Perinde enim est ac si personae esurienti perpetuum vel diuturnum ieiunium imponas. Quare ipse S. ALPHONSUS (1) negat uxorem debere plus quam semel vel bis iure suo petendi ideo abstinere. Petit rem ad quam ius habet; maritus non peccat nisi propter malam voluntatem, cuius ceteroquin habitum gerit.

Verum alter est respectus *correctionis fraternae*. Fieri enim potest ut propter repulsam ab uxore latam maritus ad recte utendum coniugio adducatur. Tunc, si spes non sit nimis remota, vel uxori grave non sit copula abstinere, caritas uxorem obligabit ut emendationem mariti hoc modo procuret.

Attamen, ut sunt homines amore proprio affecti, plerumque efficacior erit supplicatio uxoris eiusque tristitia, coniuncta cum resignatione quae amorem proprium mariti nullatenus offendit.

Officia uxoris.

267. — Sed, ne peccato consentire videatur, debet « monitis ac precibus, pro spe fructus aliquotiens iteratis (necesse non est ut singulis vicibus faciat), virum ab hoc crimine avertere (2). Et si vir *declaret* se ad abusum petere, reddere non potest, nisi profitendo se in solam copulationem licitam consentire. (Cfr. LEHMKUHL, II, 1094.)

Postquam autem *vir se retraxerit*, si ipsa satiativam declarationem nondum experta sit, eam sibi procurare non licebit. Nec enim physice, nec moraliter pars unius perfectae copulationis delectatio ista esse potest (3). Sed cum difficile abstineat, plerumque

(1) Ibidem. — (2) S. ALPHONSUS, l. 6, n. 947. — (3) BERARDI, *Praxis* etc. I, 993, permittit hoc complementum, quia actus legitime inceptus ad debitum finem perduci possit. «Verum plane assentiendum est LEHMKUHL» (NOLDIN, *De sexto*, etc. n. 70). Cfr. quoque AERTNYS, t. 2, n. 497, III, Q. 2. — CAPELLMANN, *Medicina pastoralis*, ed. 15, iam omittit sententiam benigniorem 9ae edit.

in bona fide linquenda erit. Maxime silendum erit de consensu quem exortae facile delectationi praestare non potest, (Cfr. LEHMKUHL, II, 1095.)

Ius autem est uxoris negandi debitum viro de cuius mala voluntate ipsi constat. Immo ab illius toro se separare potest.

Simplex demum complacentia de effectibus onanismi (liberatione a partu, etc.) de se quidem illicita non est, sed eidem sine periculo non inhaeretur.

Quamdiu autem copula duret, consensus in eam, qua talem, et in delectationem eius non prohibetur.

Uxor utens pessario.

268. — Si ipsa *uxor* **pessario** uti vel post copulam semen expellere voluerit, vir, pro auctoritate qua pollet, illud ipsi vetare debet. Quod si nihil proficiat et gravia incommoda timenda sint, debitum ipse, ob iustam causam petere posse videtur. Actus ipse bene fit; vitium eidem est posterius et soli uxori tribuendum est; immo immediate post actum per se etiam fortasse corrigi potest.

Denique tandem culpanda ista uxor ei aequiparanda est quae, invito marito, oviductum ligaverit.

Scholion. De indebito seminationis vase.

269. — Qui **intra vas indebitum** uxoris (puta podicem) semen profuderit, imperfectae sodomiae communiter arguitur. Id tamen ex affectu quo ducitur aestimandum esse arbitramur; ac nisi uxor vicem quaesiti maris quasi suppleat, non videmus cur scelus istud sodomiae nomine nuncupetur. Iam vero fieri potest ut, appetitum omnino normalem servando, quispiam hoc peccato peccet mere quia physico impedimento vel timore prolis a congressu legitimo praepediatur. Plerumque autem paresthesia sexuali laborabit.

Utcumque res se habeat, peccatum istud, a sodomia et a copula onastica distinctum, et cui circumstantia iniuriae uxori factae et violatae sanctitatis coniugii etiam speciem adiungit, satis hoc modo accusabitur: » concubui cum uxore extra vas naturale ». Ad speciem enim non referre videtur in qua corporis parte (etiam si inter crura tantum) abominanda res facta sit.

Ratio agendi confessarii.

270. — **Confessarius** paenitentes, secundum generalia principia, de his rebus interrogabit et monebit. Haec tamen peculiariter notanda sunt.

1. Fervente controversia de his artibus, ita ut etiam ephemerides argumentum istud non raro volvant, bona fides in paenitentibus vix exsistere nec saltem diu perseverare potest.

2. Qui, dum sacramenta frequentant, in hac re errant, per verba, consilia imprudentia, facile aliis damnosi sunt; et ob leve indicium, rem a confessario permitti vel saltem tolerari existimant.

3. Agitur de gravissimo malo quod ubique, ob bonum commune, debellandum est.

His consideratis:

1. Confessarius ignotos coniuges generali interrogatione interrogabit utrum omnia in matrimonio bene se habeant, an aliquo scrupulo angantur. Id tamen non faciet, si positivum indicium sit vitium istud non esse apud paenitentem suspicandum.

2. Quos onanistas deprehenderit, regulariter de suo scelere monebit.

3. Si uxor, attento modo quo excessus committitur, copulam bene inchoatam admittere possit, sicut supra diximus, illam de sua facultate instruet, ne formalia peccata patrare incipiat aut pergat.

4. In raro aliquo casu, ubi bona fides extraordinariis adiunctis sociata fuerit, et periculum scandali simul cum periculo nimii abusus exciderit, culpam silentio premet.

Bona fides facilius aderit in uxore quae, denegato assensu, putat se omnem culpam in virum reicere posse, nec inter modos quibus abusus committitur distinguit; vel etiam in gravi morbo. Nec tunc nimii abusus timendi per se sunt.

Responsio S. Sedis.

Regulis istis consentaneae sunt responsiones S. Sedis, quae attento modo quo infandum vitium invaluit, severius quam circa medium saeculum XIX obligationem interrogandi urgent. Anno 1886, S. Paenitentiaria hoc dedit responsum.

«Dub. 1. Quando adest fundata suspicio paenitentem qui de onanismo omnino silet huic crimini esse addictum (1), num confes-

(1) Noldin haec merito observat: « In illis regionibus in quibus onanismi vitium late grassatur, confessarius fere semper ratio-

sario *liceat* a prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos, multosque sacramenta deserturos esse? Annon potius *teneatur* confessarius prudenter ac discrete interrogare?

II. An confessarius qui, sive ex spontanea confessione sive ex prudenti interrogatione, cognoscit paenitentem esse onanistam, *teneatur* illum de huius peccati gravitate ac de aliorum peccatorum mortalium monere, eumque, ut ait Rituale Romanum, paterna caritate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet, eundem dolere de praeterito, et habere propositum non amplius onanistice agendi?

R. Ad I. *Regulariter negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative*, iuxta doctrinam probatorum auctorum.

Consonant efficaces instructiones datae ab episcopis Belgii anno 1909 (Cfr. v. g. *Nouvelle Revue théologique*, t. 41 (1909), p. 616. ss.). Ac probati auctores his consentanea tradunt. Cfr. Lehmkhul, II, 1907; Noldin, *De sexto praecepto et usu matrimonii*: De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, n. 145. 146.

Effugium praecluditur.

Nec valet effugium aliquorum qui allegant « a confessario bonum paenitentis tantum curandum esse ». Munus enim correctionis fraternae non formaliter qua confessarius, sed qua proximus, cui ex confessione optima occasio praesto est, exercet. Quare usu veniunt ordinariae regulae correctionis fraternae, quae iubent ut bono communi in primis consulamus.

Id si quidem omnino cavendum est, ne ipsum confessarii silentium pro quadam tacita conniventia habeatur; quod hodie facile scandalosum foret (1). Prudenti autem

---

nabiliter supponere potest, paenitentem illud peccatum consulto tacere. Abstineat tamen a specialibus interrogationibus: an semen extra vas effunderint; an generationem se retrahendo impedierint, etc ». *De sexto Praecepto et usu coniugii*, n. 76. Ac Palmieri etiam fatetur probabilitatem vitii ex lata eius propagatione vires accipere, atque addit: « Bonam fidem in addictis huic vitio difficile est supponere; at si forte aderit, prudens interrogatio non nocebit » (nota ad tom. VI, n. 247).

(1) Rumor de indulgentia qua probatus quispiam vir quidquam concessit, statim spargitur; et quod ob peculiaria adiuncta permittebatur tamquam per se licitum perhibetur. Novimus sic ipsi, anno 1915, abusionem factam consilii quod medicus catholicus personae infirmae dederat.

et generali interrogatione confessarius nec bonam fidem per se turbat nec iam connivere ulli rationabiliter videri potest.

Articulus II. — De aliis actibus mutuis incompletis.

Consideratio generalis. Inter coniuges, actus imperfecti secundum se honesti sunt.

271. — Principium de actibus incompletis et mutuis. Actus venerei imperfecti, i. e. qui usque ad plenam appetitus venerei satietatem non perducuntur, quandam inchoationem et praeparationem actus perfecti secundum se continent, vel ad hunc tamquam complementa accedunt. Qua inchoationes vel complementa, moralem perfecti usus rationem participant. Quare, cum completus coniugii usus legitime coniunctis permittatur, incompletus usus per se honestus est.

Rursus autem, cum coniuges ad actum perfectum coniugii exercendum non obligentur, actus imperfecti, etiam deficiente complemento, suam honestatem servant. Et sicut ad actum perfectum et generationem disponunt (1), sic etiam secundarios matrimonii fines: bonum mutuae concordiae, immo et sedandae concupiscentiae iuvant vel iuvare possunt.

Sunt itaque secundum se, etiam sine praesenti relatione ad actum completum, vere *ex obiecto* honesti, ita ut eorum delectatio etiam honeste capi queat. Cfr. quae de delectatione scripsimus, n. 226.

Quinam, attento fine, honesti sint.

272. — Attento fine, ii actus omnino probandi sunt qui assumuntur ut actus coniugalis facilius et perfectius peragatur.

Probandi quoque sunt actus qui ad testificandum amorem usurpantur, vel ad dandam concupiscentiae sufficientem satisfactionem, ut culpa incontinentiae facilius vitetur.

Neque honestati repugnat ut coniuges ex his actibus moderata ista solacia et gaudia quae ad virtutem *extrapeliae* pertinent haurire velint.

---

(1) Cfr. n. 11. 17.

Quisnam modus honestus sit.

273. — Attento **modo** seu ratione, optimum consilium est ut coniuges, in intima sua conversatione, personalem dignitatem cum tenero affectu suaviter componere studeant, neque ex vilibus actibus delectari velint.

De modo indecoro.

De copulatione quam vase debito *perficere*, sed indebito maritus *incipere* voluerit, non pauci severe dicunt gravem hac ratione committi sodomiam imperfectam, propter affectum et inchoationem. Alii, contra, illud a mortali excusant. Sane, si affectu complendi actum in vase indebito modus iste adhibeatur, graviter ipso corrupto affectu peccatur. Verum, secluso isto affectu, reatus gravis nobis non demonstratur. Quodsi vir frigidus vix aliter excitari possit et ideo copulam sic incipiat, poteritne etiam venialis culpae inde insimulari?

De pollutionis effectu.

274. — Attenta circumstantia **quid**, seu attento **effectu**, cum in genere stricte venereo (deliberatae delectationis venereae) versemur, vis quam actus isti in *pollutionem* habent consideranda est.

Omittimus hic orgasmum seu pollutionem *intentam* vel *voluntarie in se admissam:* quod semper grave fuerit.

Verum ipse pollutionis effectus *in* sua *causa venerea* imputatur (ut postea n. **374** videbimus) nisi proportionata ratio activam eius permissionem excuset.

Quo modo actus distinguendi sint, et liceant vel non.

Hic distinguendi sunt, cum plerisque, actus *leviter*, actus *graviter* in pollutionem influentes, et actus ita *proxime* cum pollutione *coniuncti*, ut eius inchoationes esse dicantur. Primi actus *de se* cum pollutione *possibili*, secundi cum *probabili*, tertii cum *moraliter certa* pollutione conectuntur.

Quinam actus leviter,

1. Actus *leviter* influentes sunt pudicae amoris significationes (oscula, amplexus, verba tenera) et etiam minus pudicae obiter factae, vel quas ipsa coniugum experientia demonstrat inefficaces esse ut per se (in adiunctis ordinariis) pollutionem inducant.

Illi honesti actus non sunt umquam propter sequentem pollutionem (secluso consensus periculo) sub gravi reatu omittendi. Pollutio enim, si qua oriatur, semper accidentalis erit, alii causae non voluntariae, v. gr. nimiae coniugis calididati tribui debebit. Nec rei frequentia

iudicium mutat, dummodo semper consensus in pollutionem vere absit.

quinam graviter in pollutionem influant;

2. Actus *graviter influentes* sunt actus venerei *impudici*, nisi vel ex modo quo fiant vel experientia propria norint coniuges se ab ipsis non graviter commoveri, ita ut nullum serium pollutionis periculum afferant. Nec tunc, propter instantem pollutionem, remoto istius consensus periculo, actum coniugalem exercere coguntur.

Age porro, actus venereos qui graviter in pollutionem influunt coniuges efficere non possunt, nisi in adiunctis ubi, urgente pollutione, actum coniugalem perficere possint et velint, vel nisi gravi causa excusentur. ℣. n. 275.

Tunc enim, vel periculum pollutionis, propter quod solum graviter reprehendendi sunt, aufertur; vel, praeter veri similem pollutionis effectum, qui non intenditur sed permittitur, alter immediate bonus et proportionatus per se obtinetur.

quinam inchoata pollutio sint.

3. Inter actus quos solutis personis turpes diceremus, aliqui sunt (puta contrectationem partium sexualium, « irrumationem (1) »), adeo libidinosi ut in pollutionem tamquam in terminum *proximum* de se desinant.

Istis actibus coniuges sub gravi reatu abstinere debent, nisi fiant ubi copulationem coniugalem exercere possint ac velint. Sin minus, pravam intentionem produnt; nec ad fines honestos amoris significandi, temperandi libidinem ullatenus necessarii sunt, immo nec regulariter ipsum mutuum amorem fovent vel roborant.

Quia tamen aliquid inter actus istos et pollutionem distat, quia nondum sunt directa pollutionis inductio sed diversum terminum immediatum habent, in casu quodam extremo, num miserum coniugem damnabimus qui, ad gravissimum malum avertendum, invitus tali actui cooperatur, dummodo expressa pollutionis intentio semper excludatur?

Causae graves excusantes.

275. — **Quaeres**, de altero actuum genere, quaenam *causae excusantes graves* esse putentur.

Porro, graves causae censentur: necessitas fovendi mutuum amorem qui languescat; avertenda suspicio infide-

(1) S. Alphonsus, l. 6, n. 935.

litatis vel saltem propensionis ad alteram personam ; amputandum initium libidinis adulterinae ; compensandus usus perfecti coniugii, quando coniuges illum exercere non possunt, vel, *ob iustam causam*, prolem numero augere nolunt ; denique ipsa alterius partis petitic instanter facta vel ita facta ut denegatio aegre feratur. Tunc enim vel ipsa petitio gravem causam prodit, vel incommoda denegationis talem causam creant.

Quid causae istae operentur.

276. — **Quaeres,** quatenus, ob gravem causam, *actus graviter influentes* a peccato *excusentur*.

Actus isti, sic excusati, *licent*, non tamen simpliciter, sed quatenus gravi causa postulentur, non autem ultra. Quocirca :

1. Ubi coniuges advertant pollutionem *proxime* adesse, ab actibus istis cessare vel eos interrumpere debent. De qua imminente commotione, si commode fieri potest, alter ab altero monendus est.

2. Nisi gravis ratio dilationem istam non permiserit, vel ipsa copulatio ceteroquin, ob gravem causam, vitanda sit, actus exercendi sunt eo loco ubi, perfecto coniugii, usu, coniuges pollutionem praevertere possint.

3. Quo gravius fuerit pollutionis periculum, eo gravior causa requiritur. Id tamen sine anxietate accipiendum est, nec molestae comparationes seu gravitatum collationes instituendae sunt, sed satis est ut res morali intuitioni proportionatae videantur.

De copulae interruptione, sine pollutionis intentione.

277. — **De quadam perfecti usus coniugii compensatione.** Propter ipsam coniugii consuetudinem fit ut actibus quos, secundum se inspectos, inter illos numerare oportet qui proxime vel saltem graviter in pollutionem influunt, coniuges multo minus afficiantur, ita ut, *pro definitis personis*, *actus nonnulli* ad alterum vel primum genus ascribi possint qui per se ad tertium vel alterum pertinent. « Difficulter, ait LEHMKUHL (1), inveniuntur actus imperfecti qui absolute et pro omnibus sub reatu peccati mortalis interdicendi sunt, cum iidem actus idem pollutionis periculum non omnibus inferant. »

---

(1) *Theol. mor.* II, 1068. 1.

Sic, v. gr. ab incepta copula cessare, per se in alterutro, praesertim in viro, proximum pollutionis periculum inducit. Sunt tamen coniuges qui ex experientia norunt pollutionem sibi inde non imminere. Quare, quamvis alii coniuges illud *plerumque* sine gravi reatu experiri seu tentare etiam mutuo consensu non possint, alii, qui huiusmodi experientia edocti sunt, in copulae inceptae inhibitione inchoatam pollutionem sibi inesse negare poterunt. Nec propter pollutiones quae interdum evenerint interruptio copulae evadet inchoata pollutio, dummodo pollutio ne ita saepe obqriatur, ut accidentalis dici iam nequeat. Quare, prudenter perpensis adiunctis, gravis causa id efficiet ut coniuges istum imperfectum coniugii usum sine gravi peccato exerceant. Immo omnis culpa aberit, si urgens causa fuerit et rarissima pollutio incidat.

Constat ceterum esse honestos coniuges qui, ob alterius debilitatem, copulam perficere prohibentur, et, hac ratione, sedandae concupiscentiae et mutuo amori fovendo consulunt.

Culpa facilius abest quando copula physice et involuntarie prohibetur, quam quando obstat tantum voluntas, etiam rationabilis, non iam habendi liberos. Immo, nisi isti voluntati causa vere gravis subsit, coniuges isti, instante secus pollutione, copulam sic inchoatam perficere debent.

N. B. Qui, *altero rationabiliter dissentiente*, copulam sic interruperit, iustitiam graviter violarit, cum uterque ius ad copulam perfectam habeat. Cfr. dicta n. 245.

Caput. III. — De venereis coniugum actibus non mutuis.

I. — *De actu completo separato.*

De separatim quaesita vel admissa voluptate completa opiniones.

278. — **Completam voluptatem separatim** quaerere vel admittere neuter coniux potest. Qui fecerit, rem *intrinsece* et *graviter* malam commiserit. Id de *viro* omnes affirmarunt et affirmant. De *uxore*, fuit qui dubitaret (1), cum

(1) Ballerini, in nota ad Gury I, 429, ambigit num in mu-

ipsa in aestu copulae vel in pollutione solitaria nihil generationi essentiale emittat.

Dubium istud cohaeret cum vitiosa argumentatione qua propriam pollutionis malitiam ex seminis profusione plures repetere conantur. Cum autem vera malitiae ratio, infra tradenda, utrique sexui communis sit, certam conclusionem ita breviter efficimus.

Thesis VII.

Thesis. **Completa voluptas a coniuge separatim quaesita vel admissa, in utroque sexu, ad malitiam pollutionis, gravem contra iustitiam vel sacramentum malitiam addit.**

Ergo, multo magis quam pollutio personae solutae, ob duplicem istam causam, grave peccatum in se continet.

Demonstratio. Ad *antecedens*. Malitiam pollutionis contrahi, id per se manifestum est, nisi haec ponatur in profusione seminis ad generationem necessarii: tunc enim, cum mulier nihil essentiale profundat, verae pollutionis (moralis) incapax dicenda fuerit. Verum sententiam istam infra refutabimus.

Age porro, cum ex mutua corporum traditione in matrimonio, alter alterius corpus quod ad usum venereum completum possideat, qui coniux pollutionem quaerit vel admittit, si invito altero fecerit, imperfecti adulterii peccato peccat; assentiente altero coniuge, sanctitatem tamen matrimonii, in quo Deus vult ut facultas ista communi utriusque usui reservetur, violari non est ambigendum.

A sententia vero quae uxorem gravi culpa excusat,

---

liere voluptas completa quaesita malitiam pollutionis propriam haberet. Verum, si ita fuerit (quamvis BALLERINI peccatum grave affirmet), cum in matrimonio actus separati imperfecti a gravi reatu excusentur, gravis malitia *consequenter* excludenda fuerit ab actibus quibus *uxor* voluptatem perfectam separatim quaerit. Cfr. VAN ROEY, *Quaestio specialis*, p. 6.

solida probabilitas, etiam extrinseca, hodie abiudicanda est. A paucis saec. XIX insinuata, nullum probatum doctorem vere patronum habet.

II. — *De actibus incompletis separatis.*

279. — **Actus venerei imperfecti,** in proprium corpus ab alterutro coniuge exerciti, si *grave* pollutionis periculum *de se et pro coniuge* inducant, *ideo* sub gravi reatu prohibiti sunt. Effectus enim pollutionis talia agenti imputatur. Cfr. LEHMKUHL. II, 1073, et alios communiter.

Corollarium de actibus qui grave pollutionis periculum inducunt.

Quid de aliis actibus imperfectis?

Thesis VIII

280. — **Seeluso gravi pollutionis periculo, actus imperfecti solitarii alii simpliciter honesti sunt, alii saltem graviter culpari in coniugibus nequeunt.**

Thesis.

Demonstratio.

Etenim, sicut supra vidimus (n. 11-17), exercitatio minor necessaria vel utilis esse potest ad obtinendum aestum qui verae copulae, saltem in viro, necessarius est, vel, in uxore, pars copulae normalis est. Actus itaque isti utilitatem praeparationis actus perfecti, qui honestus et laudabilis est, de se continent.

Quare, si formaliter ad copulam referuntur, v. g. praesente coniuge quocum alter coire velit, actus isti prorsus honesti sunt; si ad copulam huiusmodi non referuntur, vel adeo, quatenus v. gr. alter coniux absit, ad copulam satis proxime referri nequeunt, tunc inordinatum aliquo pacto est ut coniux voluptatem quae ad opus commune pertinet separatim sibi quaerat. Essentiali tamen praesentis coniugii ordini non adversantur; immo aliquam utilitatem (inopportune quaesitam) servant fovendi appetitum venereum: quod, in statu matrimoniali, per se bonum est. Quare, cum SANCHEZ (1) et plerisque hodiernis, arbitramur venialem tantum malitiam in his actibus inesse.

(1) *De matrimonio*, d. 44, n. 16. Observes plures qui pro severiore

Vasquez (1) tamen severius respondet, nisi fierent intentione coeundi cum coniuge qui proxime adventurus speratur: quo casu, actus ab omni culpa excusat. S. Alphonsus (2) severiorem sententiam pro magis probabili habet, atque eam in praxi suadendam esse pronuntiat, tum quia coniux, corpore suo, quod alteri tradidit, uti non possit nisi se ad copulam disponendo: copula autem haberi nequeat; tum quia tactus morosi cum periculo pollutionis proxime conexi sint. Verum patroni prioris sententiae reponunt actus istos natura sua ad copulam disponere, nec requiri ut singuli ad definitam copulam disponant, sed satis esse ut appetitum usu perfecti matrimonii alant; atque illos tactus excludunt qui proximum vel grave pollutionis periculum afferant. Quare Bucceroni (t. 4, n. 1082) aestimat ipsis severioris sententiae argumentis probabilitatem benignioris demonstrari. R. D. De Smet (3) graviter reprobat actus qui ordinem positivum ad copulam habere nequeunt, cum fiunt v. g. dum coniux diu afuturus sit. Usum tamen benignioris opinionis confessario cui eius intrinseca improbabilitas non sit perspecta, permittit.

Idem, satis consequenter (4), ipsam carnalem delectationem de copula habita cum uxore eodem modo quo alios actus imperfectos aestimat, ac proin in iisdem adiunctis, sicut ipse S. Alphonsus, graviter reprehendit. Sed consequentia ista facit contra severiorem opinionem. Quod coniux de absente coniuge non magis quam viduus de defuncta uxore frui possit; ista nimia videtur severitas, scrupulis plena et moribus periculosa. Qui nihil permittit, ad omnia interdum excitat.

Actus cum aliis exerciti.

281. — Actus perfecti vel imperfecti **exteriores cum aliis**

---

sententia allegantur etiam coniugibus *mutuos* actus prohibere qui ad copulam non referuntur vel, cum copula impediatur, ad eam referri nequeunt. Cfr. Sanchez, d. 44, n. 11. 12. 15.

(1) In 1. 2, q. 74 art. 8, D. 113. n. 4. (2) L. 6, n. 936. — (3) *De sponsalibus*, n. 213, 2°. — (4) Istud tamen inter utrosque actus interest, quod actus imperfecti exteriores per se in mutua relatione peragendi sunt, dum delectatio interior, actus proprius singulorum necessario manet.

personis exercitis, ad malitiam luxuriae malitiam adulterii completi vel incompleti addunt, ut infra explicabitur.

Actus interiores.

282. — Actus interiores ex obiecto diiudicandi sunt. Quare, *delectatio morosa* (stricte sumpta) de copula habita vel habenda, desiderium copulae futurae, complacentia in praeterita, per se venialia quidem sunt. Voluptuosa delectatio, seclusa pollutione, saltem gravis non erit. Cfr. modo dicta n. 280.

Si vero circa obiecta illicita versentur, actus interiores erunt graviter vel leviter illiciti, prout obiectum tale erit. Cfr. de his actibus, S. Thomam, *De Malo*, q. 15, art. 2.

Quaenam lectiones, aspectus, etc. coniugibus gravia erunt peccata?

283. — Corollarium. Illud ex dictis consequi videtur. Aspectus, lectiones, sermones libidinosi coniugibus tunc tantum *in se* graviter culpanda sunt, cum vel adulterina desideria fovent, vel grave pollutionis periculum inducunt.

Inde quoque fit ut « libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent », et qua tales ipso iure prohibentur (1), et sub gravi reatu proscripti sunt, aliter, cum de lectione agitur, pro coniugibus, aliter pro non coniugibus intellegi possint. Principium enim est, universaliter sub gravi prohiberi libros qui *per se* (ergo minus universaliter) legentibus occasio proxima sunt gravis peccati. Qui ergo libri coniugibus tales non sunt per se, ipsis sub gravi positive non prohibentur. Cfr. nostrum libellum *De prohibitione et censura librorum*, n. 54. 57.

Diversitas sententiarum, praecipue S. Alphonsi.

284. — De copulatione quidem et pollutione, in se spectatis, concors est doctorum sententia. Sed de coniugum actibus venereis incompletis, sive mutuis sive non mutuis, alii aliis severius dicunt; et, omissa intrinseca consideratione, non pauci plurium sententias ita componunt ut eorum conclusiones stricto consequentiae nexu inter se aegre coniungi queant.

Iuvat asserta S. Alphonsi, propter S. Doctoris auctoritatem, hic breviter recitare.

Ipse mortalis luxuriae contra naturam damnat copulam in vase praepostero vel in ore inchoatam, quamvis debito vase perficiatur (2); — gravi reatu, ob gravem causam, actus mutuos qui grave pollutionis periculum inducunt non excusat, nisi pudicae fuerint amo-

(1) Canon. 1399, 9° q. 2. — (2) *Theol. mor.* l. 6, n. 915 et 935.

ris significationes (1); — graves probabilius esse autumat tactus turpes quos coniux, altero absente, in se ipse exercet (2). Quare a mortali non excusat delectationes de copula praeterita et quae non potest in praesenti iterari, si «non solum cum commotione spirituum sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea habetur (3)».

Ita auctoritati deferre conati sumus ut tamen nihil nisi secundum intrinsecas rationes approbaremus vel reprehenderemus.

APPENDIX. — Quaenam de matrimonio civili et de divortio civili practice observanda sint.

Quatenus catholici legi de civili matrimonii obœdire debeant.

285. — Quamvis in tractatu de Matrimonio quaestio de civili matrimonio et de civili divortio proprium locum obtineat, cum tamen, propter vim quam instituta huiusmodi in ipsam castitatem exercent, de utroque argumento in priore parte theoretice disseruimus, iuvat hic paucis verbis dicere quid catholici in hac re praestare possint vel debeant.

Ipsi itaque catholici legi de **civili matrimonio** obtemperare non tantum possunt, sed etiam debent: cum ut matrimonio suo coram Ecclesia celebrato vel celebrando civilem protectionem obtineant et proli civilia legitimi matrimonii beneficia conferant, tum ut ultronea sua docilitate caveant ne civili potestati praetextum seu occasionem dent promulgandi praescripta quae ecclesiasticis legibus magis contraria forent (4). Cfr. resp. S. Officii 12 ian 1881; instr. S. Paenitentiariae 15 ian. 1886. Et concors est doctorum sententia.

Non eo tamen animo civilem magistratum adire possunt ut coram ipso verum foedus matrimoniale contrahere tentent; sed mere unionem suam sub civili tutela ponere velint, animumque celebrandi matrimonium diei vel horae qua coram ministro Ecclesiae consensum exprimunt reservent.

---

(1) N. 923-934. — (2) N. 936. — (3) N. 937. — (4) Incuria quorundam fidelium occasio fuit cur fundamentali Belgii lege caveretur «civiles nuptias benedictioni nuptiali praeponendas esse».

Praeterea, quantum fieri poterit, civile divortium impedient atque Ecclesiae iura in matrimonia baptizatorum tuebuntur.

Quid magistratus civiles praestare possint.

286. — Licetne an non, in regionibus ubi lex civilis **divortium** introduxerit, magistratibus legem istam applicare partibus id petentibus, ita ut iudices sententiam pro divortio ferant, et officiales lege designati, v. g. syndici, novis nuptiis adsint: id controvertitur. In qua controversia, non levis apparet adiunctorum localium influxus. Probati enim auctores qui scribunt in Italia vel in regione quae a divortii lege immunis est, severius respondere solent quam incolae regionum ubi talis lex moribus recepta est. Neque id mirari debemus. Ubi lex ista non exsistit, omni conatu, atque ipsa reprobationis severitate, scriptores catholici contendere debent ne introducatur; ubi autem ita viget ut nulla eius supprimendae spes affulgeat, magis solliciti sunt de possibili modo quo boni magistratus esse et officio suo defungi possint. Sed ii quoque qui rigidiores partes tuentur, si moderate dicunt, v. g. Ill. D. Rosset (1), fatentur ab egregiis patronis defendi sententiam quae intrinsecam illiceitatem cooperationis magistratus negat. Benigniorem opinionem, ait Emin. C. Gasparri, qui tamen in severiores partes inclinare profitetur, « sive in theoria sive in praxi retinent, saltem ut probabilem, non pauci Antistites docti, pii, prudentes et Sedi Apostolicae addictissimi in Germania, Anglia, America, Gallia (2) ». Atque ut principalem auctorem opinionis istius allegat Lehmkuhl (II, 921 nota).

Ut dicamus quid sentiamus, quaestio ista universalem solutionem non habet.

Ipsa enim lex divortii, — sicut ipsa lex matrimonii civilis, quam peiorem arbitramur quia magis apertam continet ipsius matrimonii profanationem, quia usum habet magis cotidianum et plerisque necessarium, et ipsam divortii legem saltem remote praeparat, — potest, pro diversa intentione et diversis adiunctis, esse lex positivae approbationis et concessionis, vel lex merae permissionis

(1) *De sacramento matrimonii*, t. 6, n. 4084. — (2) *De matrimonio*, t. 2, n. 1554.

seu tolerantiae ; potest verum matrimonium vel legalem tantum institutionem attingere velle. Quare nutat iam ipsum principium unde absolute severiores proficiscuntur : « Lex est intrinsece mala ». Et contra ipsos non leve praeiudicium oritur eo quod, ante aetatem nostram, plures summi doctores legem de libello repudii pro mere permissiva atque *ideo* non mala habuerunt (1) ; et quod Barbosa (2) et Sanchez (3) excusarunt, tamquam mere permissivas, leges quibus christiani imperatores divortium plenum non negarunt. Praeterea, lex etiam mala potest paulatim ex iurisprudentia significationem mutare, ita ut sententia divortii et legis applicationes de mera tolerantia intellegantur. Et sic nutat quoque minor syllogismi quem rigidi benignioribus auctoribus opponunt : « Legis malae mala quoque est practica applicatio ». Iam propterea, atque etiam attento scandalo, inter recentem legem et antiquam distinguendum est. Fieri potest ut legi novae omni vi absistendum sit, ad recta principia inculcanda et ad experiendum si forte abrogari possit, dum, spe huiusmodi sublata, et firmatis principiis, mitius de cooperatione necessaria responderi potest. Quare severius responsum S. Officii, quod mox post novam divortii legem (27 maii 1886) pro Gallia latum est, facile componimus cum responso quo S. Sedes declaravit (14 sept. 1886) nihil per hoc responsum in Belgii condicione mutatum esse. Quod responsum hoc saltem significat, nullam vim universalem in declaratione pro Gallia inesse, ita ut de applicatione legis in Belgio nullum iudicium prolatum sit (4). Et merito quidem, cum iudicium variare queat.

Verum catholici iudices partes ad meliora consilia ad-

---

(1) Cf. omnino meditandam notam 115, Wernz, t. 4, ad n. 750. — (2) Ad Dig. t. *Soluto matrimonio*, etc. (l. 24, t. 3), rubric. 2 part. a n. 10. — (3) *De Matr.* l. 10, d. 1. n. 12. — (4) Hanc simplicem et rationabilem interpretationem praeferimus effugio aliorum qui ibi mere vident responsum « diplomaticum ». Allegatae in re morum calliditates pias aures populi christiani satis offendunt. Ceterum responsa S. Officii data pro Helvetia 3 ap. 1877, pro Gallia, 26 iul. 1887, confirmant, adiuncta peculiaria in responsis S Sedis considerata fuisse.

ducere conabuntur, nec ipsi inconsiderate, quasi res leves, tam graves causas tractabunt.

Nec repugnat, ut, in adiunctis quae nullam matrimonii adulterini approbationem contineant, magistratus civilis, lege ita facere coactus nisi officium resignare malit, ob causam publicae rationis, assistat civili matrimonio eorum qui essentialem sollemnitatem a canonibus praeceptam praetermittunt, vel adeo, propter prius foedus, matrimonium valide contrahere nequeunt. Cf. scripta a C. GASPARRI, op. c. n. 1530-1533 et a LEHMKUHL, II, 952 nota 1. De hoc casu severius respondet PALMIERI, tom. 6, n. 530, qui, n. 519-531, benigniori sententiae de divortii iudicio non obscure favet.

Quid, causidici, procuratores?

287. — *Causidici*, seu patroni causarum, cum partes repraesentent, causas divortii tueri non possunt nisi ipsae partes actionem intentare permittantur. Nec per se ulla legis civilis obligatione excusantur, cum causas declinare ipsis integrum sit. Immo recens quoque foro ascripti, qui sub antiquioris patroni ductu causas agunt (*les stagiaires*), cogi nequeunt ut aliquam causam, conscientia repugnante, defendendam assumant. Fieri tamen potest ut errores laicorum et nimia benignitas sacerdotum id effecerint, ut excusatio in divortii causis non admittatur. Res ex facto aestimanda est. Sane ob similes causas ob quas catholici magistratus id facere permittuntur, divortio civili materialiter cooperari causidici non vetantur. Bene itaque GÉNICOT scribit: « Quodsi in casu utique rarissimo advocatus huius modi litem detractare non posset quin gravissimum damnum pateretur, ex. gr. exclusionem ab advocatorum censu, posset cooperatio excusari, modo non petatur in contemptum religionis ». *Theol. mor.*, II, 562, 2°.

De *procuratoribus* (*avoués*) perinde ac de patronis causarum dicendum est.

Possuntne interdum partes divortium civile petere?

288. — Ad maiora mala declinanda quae aliter vitari nequeunt, licebit interdum ipsi parti catholicae, ubi separationis remedium non sufficiat, civile divortium petere: v. gr. ne proles adulterina viro innocenti imputetur; ne postea, cum ingenti damno, divortium contra innocentem qui sententiam separationis obtinuit, pronuntietur. Sed

antequam Ordinarius loci licentiam dederit, forum civile a parte catholica in hac re adeundum non est.

Quaenam, in hac re, theologis et sacerdotibus cavenda sint.

289.— *Theologi et sacerdotes* summa prudentia in his rebus versari debent; ne nimia severitate, cum maximo damno communi, vitam publicam civilem catholicis inaccessibilem faciant; ne nimia calliditate, S. Sedi diplomatica effugia et ambiguitates ascribant quas, in rebus moralibus, communis quidam honestatis sensus respuere videtur, ita ut huiusmodi explicationes non leve scandalum pariant; ne nimia benignitate vel ignorantia principiorum, passim omnibus permittant quod ob graves tantum causas paucis indulgeri potest, et, sic conivendo, causa sint cur gravissimi errores de matrimonio civili et de divortio in civitate invalescant.

SECTIO ALTERA

De mutua consuetudine sponsorum de futuro.

Quinam sponsi *esse intellegantur.*

290. — Sponsos (de futuro) eos vocamus quibus, sive ex pactione sponsalicia proprie dicta, sive ex aequivalenti introductione unius in alterius domum, certa et mutua est spes matrimonii.

Sanchez quidem (1) solos sponsos inter quos sponsalia de futuro absolute contracta sint respicere videtur. Plures autem theologi qui de licitis et illicitis inter sponsos agunt, quosnam sponsorum nomine compellent accurate definire non solent. Verum, quotquot personae certam matrimonii spem assecutae sunt, sive formali pactione vinciuntur, sive mutuo firmo proposito contenti sunt, in simili condicione versari videntur et vulgo *sponsi* (*fiancés*) nominantur; ita ut regulae tradendae in utrosque convenire videantur.

Prudens ceterum istarum regularum applicatio postulat, ut etiam inter sponsos formaliter tales distantia qua a matrimonio separantur non neglegatur; hi vero inter quos tractatus matrimoniales haberi coepti sunt iam ad sponsorum condicionem accedere censeantur.

---

(1) *De matrimonio*, l. 9, d. 46, n. 47.

Sponsalium utilitas

291. — Age porro, ad mutua coniugum *felicitatem* refert, ut prius quam foedus indissolubile contraherent, mutuam qualitatum, affectuum et propensionum experientiam facere potuerint; seu potius, namque sic magis secundum ea quae fieri solent respondebimus, ut si conversatione mutua noverint mutuam indolem propensionesque falso a se existimatas esse tales quae felix et fecundum coniugium promittant, honestus modus supersit nuptiis renuntiandi.

Ad *dignitatem* vero vitae coniugalis, maxime ad honorem uxori reddendum, expedit ut mutua existimatio et amor nobilior et firmior quam qui ex carnali concupiscentia exoritur foedus nuptiale fundet. Qui amor, ut vidimus (n. 178), iuveni praesidium vitae illibatae interdum fieri potest.

Quaenam amoris significationes honestae sint.

Amor porro ad externas significationes inclinat, et ipse per has promovetur. Quocirca « **amplexus** et **oscula** habita inter sponsos de futuro, in signum benevolentiae et ad conciliandum fovendumque mutuum amorem in ordine ad matrimonium contrahendum, licita sunt omnino, quia finis est honestus ». (SANCHEZ, *De matrimonio*, l. 9, d. 46, n. 50. Cfr. et 53.)

Impudicae sunt damnandae.

292. — **Significationes impudicae** per tactus, aspectus minus honestos, etc. sponsis de futuro nullatenus licent; immo, propter periculum gravioris abusionis et ipsam futuri matrimonii felicitatem, fortius, ab initio, declinandae et coercendae sunt. Non minus enim quam ceteri non coniugati, sponsi carnali commercio cuius ista initia sunt abstinere debent; felicitatem autem et dignitatem coniugii potius in discrimen vocant, nedum eadem iuvent. Sponsus enim qui erga puellam nondum suam insolenter agit, qua reverentia, qua urbanitate, qua moderatione se geret erga coniugem sibi subditam? Et quo magis ante nuptias carnalis libido fovetur, eo minus propter nobiliorem affectum iungentur. Cfr. SANCHEZ, *De matrimonio*, l. 9, d. 46, n. 51.

Quamnam fruitionem capere permittantur.

293. — **Fruitio sensibilis** ex honestis demonstrationibus capta licita videtur. Redit enim S. THOMAE regula: delectatio operationis bonae bona est.

Possuntne autem sponsi *quaerere* vel *consensu* admit-

tere delectationem non tantum *sensibilem generaliorem* (1), sed etiam *veneream*, quae priorem facile comitatur vel consequitur? Id, secluso periculo pollutionis vel consensus in eam, SANCHEZ (2) cum CAIETANO (3) NAVARRO (4) et quibusdam aliis, non graviter culpandum esse existimare videtur.

Benigna plurium opinio

Haec enim habet SANCHEZ: « Sponsalia excusant a mortali hanc delectationem quae copulae inchoatio est et in omnino solutis esset culpa mortalis (5) ». Ac postea: « Erit tamen venialis: tamquam otiosa et quae necessitate et pietate caret (6) ». CAIETANUS vero de iisdem osculis agens quae in personis solutis mortalia esse declarat, et distinguit ab osculis et amplexibus quae tamquam signa benevolentiae et familiaritatis inter sponsos de futuro plane licita pronuntiat, existimat oscula illa inter sponsos de futuro sicut inter sponsos de praesenti esse tantum venialia, idque propter hanc rationem, quia sponsalicium est inchoatio coniugii. — NAVARRUS, demum, l. c. adhaeret Caietano; et sponsis permittit quod aliis interdicit, id est frui voluptate quae oritur ex osculis, nulla distinctione adhibita.

reicitur.

Verum id hodie, cum plerisque, melius improbatur. Sponsi enim, quod ad copulam attinet, a personis omnino solutis nihil differunt. Ac proin, non minus quam istis, initium copulae, seu rei prohibitae, prohibetur. Nulla corporum traditio facta est; ergo nullus corporum usus licet; ergo nulla delectatio quae ad usum imperfectum pertinet, a gravi peccato excusari potest.

Quod enim ex osculo honesto specialis venerei quoque sensus delectatio facile nascatur, id ex carnis rebellione, propter rerum affinitatem manat; nulla autem venerea delectatio per se pertinet ad osculum honestum quod ab affectu nobiliore quam est venerea libido profiscicitur. Quare non valet hic: « Delectatio operis boni bona est ». Sed est aliquid inordinatum, ac sponsis aeque ac solutis vetitum. Sic potissimum argumentum quo adversarii utebantur ipsis eripitur.

(1) Cfr. n. 24. — (2) Ipse tamen non valde perspicue declarat quid nomine delectationis sensitivae sponsis non graviter prohibitae intellegat, ita ut eius mens ambigatur. — (3) *Summula*, v. *Sponsalicia*; et in 2, 2, q. 154, art. 4 in resp. ad 2 fine. (4) *Manuale*, c. 14 n. 18; et c. 16, n. 12, in fine. — (5) *De matrimonio*, d. 47, n. 6.

Nec dicere possunt: sponsalia sunt inchoatio matrimonii; ergo ipsis inchoatio copulae permittitur. Sunt enim inchoatio, non proprie dicta, quae omnia matrimonii iura inchoative daret, sed improprie dicta seu praeparatio per unionem animarum, non autem corporum. Praeterea, ut monet S. ALPHONSUS (1), sponsalia sunt promissio. Promissio vero tradendi rem, usum rei nondum permittit.

Oscula data propter delectationem.

294. — Qui *ad delectationem* (non veneream) capiendam oscula ista honesta dant vel colloquia ineunt (secluso periculo consensus in mortale), non quidem propter ipsum finem, ut sic sumptum, sed propter periculum quod fine honesto non excusatur, venialiter peccant (2). Carnali autem motui insurgenti resistere et positive renuntiare debent. Quare dehortandi sunt ut expresse et deliberate propter delectationem sensibilem oscula quaerant. Cfr. LESSIUM, l. 4, c. 3, n. 58. 59.

Consilia danda sponsis.

295. — Cum sponsi valde in excessus propensi sint, monendi sunt ut *temperate et potius parce* colloquia tenera misceant, nec patrium morem proborum in demonstrationibus excedant. Praesertim caveant ab osculis frequentioribus, ab osculis in os potius quam in genas datis, et a morosis amplexibus: haec carnem graviter commovere solent.

Quamquam nimietas aliqua non statim de mortali damnanda est.

Veneream autem delectationem sponsi formaliter repudient. Tunc si qua involuntaria oriatur, iusta causa excusabuntur. Iusta enim causa ipsis est amoris testificatio.

Haec ergo si rationabilis fuerit, principio duplicis effectus dat locum. Sponsus tamen qui in his demonstrationibus magis imminentem pollutionem sentiat, ut sincere agat, demonstrationem tunc suaviter interrumpere debet, si commode facere potuerit.

Sponsa maxime hortanda est ne quidquam permittat quod coniugibus reservatum est. Id nefas esse, et famae praesenti valde periculosum: ex qno id permiserit, iam, ante tempus, ita in potestate viri versari ut optionem

(1) L. 6, n. 854. — (2) SANCHEZ, *De matrimonio*, l. 5, d. 46, n. 50.

frangendi sponsalia non iam habeat, dum viro qui extra nuptias, ac proin sine onere, obtinuerit quod in coniugali statu tantum petere poterat, nuptias minus amabiles reddiderit. Atque etiam si constans manserit, felicitati coniugii obest quod sponsa sponsum ante celebratum matrimonium quodam modo satiet. Providus enim Deus sapienter constituit ut nova matrimonii onera novis gaudiis allevarentur.

Noverit quoque a se facilius quam a iuvene sine commotione carnali plura exerceri posse. Quare nimis multas amoris significationes ne admittat, nedum illas sollicitet. Neque inde ullatenus perseverantia sponsi timeat. Contra. Dum dignitati suae consulit, existimationem auget; nimia autem consuetudine fastidium generatur. Quod praesertim notandum est, ubi nuptiae diu differendae sunt.

Consilium itaque moderationis undequaque opportunum erit, dummodo ne inurbani aut austeri habeantur. Brevis haec regula statuatur: ne plus praestent, etiam si sibi permittantur, quam quod in hac re coram aliis, utputa parentibus, praestari potest.

Moralis autem excusatio facilius in reddente quam in petente aderit.

Quocirca non peccat per se *sponsa* quae admittit sponsi osculum quod, exteriore specie, honestum et consuetum est, quamvis affectum vel intentionem minus bonam suspicetur aut pro certo habeat. Soli enim actui exteriori consentit, qui bonus est; reatum alterius mali affectus vel intentionis non tollit, ita ut modica eius cooperatio facilem ex circumstantiis excusationem habeat. Cfr. CAIETANUM, in 2, 2, q. 154, art. 4 fine.

Quae tamen sponsa suavi displicentiae monitione sponsum ad meliora perduxerit, valde laudanda erit. Atque, ut ita agat, cum potest, hortanda erit.

Gravis parentum obligatio.

296. — Cum sponsi *tentationibus mali* satis exponi consueverint, grave peccatum committitur a parentibus quibus sponsorum conversatio curae non fuerit, vel qui eos solos esse imprudenter permittant (1). Ipsis ergo scrupulus incutiendus est.

Vitandus etiam nimius rigor.

297. — S. ALPHONSUS (2) periculo consensus in pollu-

(1) SANCHEZ, *De matr.* l. 9, d. 46, n. 52. — (2) L. 6, n 854.

tionem vel in motum venereum adductus videtur ut de isto argumento severe scriberet.

Oscula et amplexus mere tolerat ubi vigeat usus, etiamsi obiter facta sint; nec practice probabilem existimat sententiam quae delectationem sensitivam (non carnalem) sponsis concedit.

Haec quidem sancte monentur. Cavendum tamen quoque est ne honesti sponsi scrupulis torqueantur, et, propter nimium consiliarii rigorem, constrictam, formidolosam et impeditam rationem agendi habere incipiant, quae ipsos deridiculos reddat, non sine propriae religionis periculo, aliosque minus pios a pietate et a religione certius avertat et deterreat. Sincere honestam non autem timidam actionem praedicemus. Summopere optandum est ut ratio agendi bonorum aeque facilis et humana sit atque honesta et digna.

Mutua fidelitatis obligatio.

298. — Factis veris sponsalibus seu promissionibus, sponsi mutua quadam obligatione tenentur abstinendi omni alio commercio carnali, ita ut qui cum aliis luxuriose peccent aliquo modo iniusti censeantur. Hoc docet ipse sensus communis. Quare illi quoque parentes qui multa peccata iuvenibus indulgere solent, peccata sponsi cum extraneis graviter carpunt, ita ut causa ipsis adesse videatur sponsalia abrumpendi. Immo plerique theologi existimant fornicationem sponsae cum alio, quia, in communi existimatione, nuptias notabiliter minus appetibiles facit, speciem *gravem* accusandam ad peccatum addere. Res tamen controvertitur, ita ut confessarius de ista accusatione sollicitus esse non cogatur. Ius tamen et officium mutuum iis utiliter inculcare poterit. Cfr. BALLERINI-PALMIERI, t. 6, tr. 10. n. 75-82; et PALMIERI, eodem opere theol. tom. 2, n. 1007.

Quid, si sponsi frequenter peccent?

299. — Quaeres, quomodo agendum sit cum sponsis qui frequenter *in-mortalia* labuntur?

Supponimus de iis agi qui peccata ista vitarent si a sponsalibus soluti forent.

Itaque, si matrimonium *satis proxime instet*, occasio regulariter pro necessaria habenda est. Haec aptis mediis, cautione et usu sacramentorum in remotam convertenda erit.

Si autem matrimonium *remote distet* nec brevi fieri possit, casus fit valde implexus.

Etiam tunc occasio non raro pro plus minusve necessaria habenda est, sive quia periculum ex specialibus istius consuetudinis adiunctis non oritur, ita ut, hac sublata, alia dein aeque periculosa successura sit, sive quia matrimonii occasio est singularis pretii quae difficulter iterum aderit. Ubi huiusmodi ratio habeatur, fere eodem modo atque in priore hypothesi agendum erit.

Deficiente huius modi excusatione, occasio proxima quae non facilius in remotam convertatur, per se deserenda est.

Quod si, ut non raro evenit, obtineri nequit ut sponsi mox nubant, vel commercium abrumpant aut suspendant, saltem rariores fiant visitationes, adhibitis cautelis, et, praesertim a puellis, postuletur assiduus accessus ad sacramenta et usus confessarii stabilis.

SECTIO III.

De usu venereo extra matrimonium

CAPUT I. — De usu completo facultatis venereae.

ARTICULUS I. — DE USU COMPLETO SECUNDUM NATURAM

§ 1. — *De simplici fornicatione.*

Fornicationis definitio.

300. — Usus completus secundum naturam fit in **fornicatione**, quae, sub respectu *luxuriae*, describi potest *copula naturalis, extraconiugalis. Estque simplex fornicatio* copula quae *solo matrimonii defectu* vitiata est; i. e. quae, in commercio carnali, solum istum ordinem violat quem *natura specifice humana* seu rationalis, demonstrat necessarium: natura ista vinculum coniugale postulat.

Hanc definitionem praeferimus consuetae, secundum quam fornicatio simplex dicitur esse *concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu.* Etenim qualitas *soluti*, qua peccatum minuitur, ex loco

quem in definitione obtinet ad peccatum constituendum conferre videtur; et, dum proprie personas non coniugatas indicat, hic designare debet omnem personam quae nec foedere matrimoniali cum alia, nec obligatione speciali ad Deum (ex voto), nec coniunctione naturali aut legali pietatis (ex consanguinitate, affinitate, cognatione legali) cum persona quacum peccat coniungitur.

Concubinatus notio.

301. — **Concubinatus** dicit diuturnum *intentione* et *re*, inter easdem personas, carnale commercium, sive expressa quaedam pactio in tempus certum (1) vel sine certa die intervenerit, sive de habituali relatione seu consuetudine tacite (2) convenerint: seclusa tamen semper illa mutui iuris traditione quae matrimonii propria est.

Apud Romanos legale quodam modo fuit institutum concubinatus, quod descripsimus supra, n. **101** et **117** et hic in nota tertia.

Hodie mere consideratur ut « continuus status committendae fornicationis atque perpetua occasio (3) », qui, propter voluntatis pertinaciam, accidentali fornicatione gravior habetur, et interroganti saltem confessario aperiendus est, ut is de occasione fugienda iudicare possit.

De casu reservato

Non raro quoque adulterium *concubinarium* ab episcopo sibi reservatur. Ut fornicarii in illam reservationem incurrant, requiritur quaedam frequentia actuum qui non mere per accidens sint iterati sed intentionis nexu coniungantur, ita ut sit *status consuetudo;* aliis verbis, ut mulier eidem viro aliquo modo destinetur.

---

(1) Novimus in magna quadam civitate feminas iam ad tres, sex menses in hunc finem conduci, et officia locationis exsistere. Pactio apertissima habetur in matrimonio civili, quod, ubi copia sacerdotis est, catholicis non est nisi concubinatus. — (2) Sic in coloniis assumitur ab europaeis femina indigena quam diu vir a propria uxore separatus maneat. Cfr. n. **213**. — (3) Cfr. LEHMKUHL, I, 1037. — Olim magis attendebant ad imitationem status legitimi et ad meliorem educationis spem datam proli quae ex concubinatu quam quae ex vago concubitu nascitura videtur. Sub quo respectu, vagus cum pluribus concubitus peior est et peior aestimatur concubinatu. Quare inclinantibus se moribus, institutum concubinatus iuxta institutum matrimonii exsistere coepit, ita ut usque ad CONSTANTINUM legibus permissum sit concubinam praeter legitimam uxorem habere. Cfr. l. 4, D. 25, 7; et Cod. lege un. l. 5, t. 26.

[300-301.]

Ubi destinatio ista clara habeatur, v. gr. post matrimonium civile, pauci etiam actus sufficient (1).

In dubio, namque non facile semper est exploratas condiciones habere, casus, secundum canonem generalem, pro non reservato habendus erit. Cfr. cc. 299 et 2245, 4.

Propter reservationem etiam circumstantia concubinatus ei saltem confessario aperienda erit qui potestate in reservata careat.

Meretricii notio.

302. — *Meretricium* condicionem designat eius quae, fere cuilibet accessum dare parata, quaestum sui corporis facere solet. Meretrix, — quae apud quasdam gentes in certis adiunctis honorata est, — non pauca specie diversa peccata, alia iuxta, alia contra naturam, committere solet: eius tamen status speciem novam suis peccatis non indit. Quare condicio ista accusanda non erit, nisi propter publicum scandalum (2), et ad revelandam peccati occasionem.

Meretricis confessio.

Praeterea, indicata infami sua arte, iam levius ipsi accusandi onus evadit. Ut praecepto integrae confessionis satisfaciat, satis est ut genera peccatorum paucis verbis declaret; deinde, de peccatis *internis* indicet tempus per quod meretricem agere coeperit et continuaverit; de peccato vero *externis*, species principales (quatenus ipsa personas discreverit) enuntiet: cum coniugatis, cum personis sacris, et quotiens circiter illae rariores species occurrerint; addendo peccatorum suorum externorum numerum fere solitum in die vel hebdomada, quantum moraliter potest. Quamvis enim non nulli cum NAVARRO (3) contenti fuerint indicatione temporis quod in misero isto statu versata sit, cum revera aliquid plus praestare satis facile possit, et solita frequentia multum, pro loci natura et certis temporibus, variet, ratio nulla esse perspicitur cur quod potest indicare in confessione non debeat.

Copula onanistica

303. — Copula **onanistica** a copula fornicaria specie differt, cum contra naturam consummetur. Paenitentes tamen non raro distinctionem istam nec observant nec accusant. Atque, cum de illicito commercio agitur, reos qui cum altero sexu peccaverunt de alio abusu atque de *abortu* interrogare satis parum prodest.

---

(1) Duo tunc sufficere videntur. Cfr. REIFFENSTUEL, in l. 1, t. 4, n. 124. — (2) Cfr. PALMIERI, *Op. theol.* tom. 2, n. 1006. (3) *Manuale*, c. 6, n. 5.

304. — Age vero, quamvis ex peccatis in genere luxuriae consummatis fornicatio, attenta specie, minimum sit, hanc tamen conclusionem communem et certam tuemur :

Thesis IX.

Omnibus fornicatio est, etiam sola naturae lege inspecta, peccatum mortale.

Sententiae.

Sententiae. Ante CHRISTUM natum, ethnici, certe Graeci ac Romani, fornicarias copulas iuventuti indulgebant ; nec ex sacris Veteris Testamenti litteris vetitum colligi potest. Diebus tamen quibus CHRISTUS mortalem vitam egit, Iudaei puriora consilia professi esse videntur. Quare interrogati de praeceptis quae conversis ex Gentibus imponenda erant, apostoli praecipue iusserunt ut fornicatione abstinerent. (*Acta*, 15, 29.)

Nihilominus, plures haeretici, tum prisci aevi, ut Gnostici, tum saec. XVI, ut anabaptistae, negarunt fornicationem esse *ullo iure* illicitam.

Catholici quidam *ex sola lege positiva* non autem naturali repetendam esse putarunt fornicationis malitiam ; sive omnem, ut CARAMUEL (1) ; sive gravem, ut DURANDUS in l. 4, d. 33, q. 2, n. 10.

Inter propositiones quae ab INNOCENTIO XI, 2 mart. 1679, sunt « damnatae et prohibitae sicut iacent, ut minimum tamquam scandalosae et in praxi periculosae », exstat prop. 48 : « Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur ». Cfr. VIVA, in hanc propositionem, ubi argumenta CARAMUELIS dissolvere conatur.

Catholici itaque de intrinseca et gravi fornicationis malitia non dubitant ; in assignanda autem ratione satis laborant, ita ut PALMIERI (2) fateatur se non abhorrere

(1) L. 3 theol. mor. n. 1600. — (2) *Opus theol. mor.* tom. 2, n. 1008.

ab observatione TAMBURINI (1), efficacem rationem qua malitia ista e naturali fonte eruatur exsistere quidem, attamen « eam a priori nondum clare nobis esse compertam ».

Cur demonstratio pluribus difficilis sit.

Notio peccati gravis.

305. — Difficultates huiusmodi, quae in hoc ipso tractatu de puritate et in aliis argumentis moralibus occurrunt, ubi sensus quidam intimus grave esse statim percipit quod grave demonstrare non nulli desperant, originem trahere ducimus a nimis neglecta metaphysica pecati consideratione, et a confusione illa qua divina offensa et violatio ordinis essentialis, offensae inter homines et violationi ordinis secundarii quem humanae leges constituunt, aequiperatae sunt.

Peccati mortalis ratio, ut in proprio tractatu exponitur, ex substantiali contrarietate cum ordine rationis seu divino, non autem ex damno quod huic vel illi bono afferat formaliter haurienda est. Sed, neglecta generica venialis et mortalis peccati differentia, omne peccatum sub communi *actus inordinati* ratione ponere coeperunt, cuius varia gravitas dein, perpenso obiecti et consectariorum momento, aestimare voluerunt. Quae regula dimetiendi humana praecepta, — idest praecepta profecta ab auctoritate quae, nata ad tutandum bonum seu commune seu privatum, eius solo respectu actus imperare potest, — falsa est vel saltem sine usu generali, cum de essentiali ordine agitur. Tunc enim ista consideratio quantitativa « utilitarismi » vitio, idest nimia attentione ad bona quae nobis proxime adiacent, infecta esse cernitur, et variis difficultatibus locum aperit, quales istae sunt: « Cum poena peccati mortalis a tam multis despiciatur, a plurimis ignoretur, alterutrum dicendum est: aut poena ista bono communi necessaria non est; aut Deus bono communi non sat efficaciter consuluit »; — « Ratio damni communis in his vel illis adiunctis deficere videtur: cur, cessante etiam per accidens ratione, gravitas reatus per accidens non cessarit? V. g. bona prolis institutio nativitatem ex iustis nuptiis postulat; sed cum nulla spes concipiendae prolis habetur, cur etiam tunc fornicationem grave peccatum esse dicamus (2)? »

A quo difficultatum genere theologi qui mere secundaria ista argumenta afferunt aegre emergunt.

Persuasum quidem habemus summopere ad privatum vel commune hominum bonum interesse ut essentialis rerum ordo a sapientissimo Deo sancitus observetur; sed conexio ista inter iustitiam

---

(1) *Expl. Decalogi*, l. 7. c. 1, § 2. — (2) Cfr. R. D. VAN ROEY, *Quaestio specialis*, p. 24 fine.

seu honestatem et utilitatem nostram, debilem nostrum oculum facile fugit, nec debet esse perspicua, sicut respectus boni communis in lege humana cum principi tum subditis apparere debet.

Oportet itaque ut ab hoc altero principio exordiamur: *Grave peccatum est omnis actus humanus essentiali ordini* substantialiter *repugnans*, i. e. contrarius. Ordo enim essentialis seu qui essentiis rerum demonstratur habet suam *substantiam* et suam *integritatem*, atque actus malus eidem diversa ratione, perfecta vel imperfecta, opponi potest.

Laesio substantiae istius ordinis peccatum mortale constituit; laesio eius integritatis, intrinsece quidem mala est sed de se est venialis: est violatio accidentalis. Omnis autem inversio ordinis seu contrarietas, saltem cum agitur de ordine ipsius hominis vel facultatis eius, est violatio substantialis: ei ordini perfecte opponitur. Quare intellegitur quoque cur S. Thomas, 1, 2, q. 87 art. 1 ad 1 neget peccatum veniale esse *contra* legem, sed contendat esse *praeter* legem, et comparari cum peccato mortali sicut accidens cum substantia.

Cognita sic malitia intrinseca, eaque vel gravi vel levi, relationem deinde ad bonum commune generali ratione qua sapienti Deo fidimus inde colligere licet, directam autem relationis huiusmodi demonstrationem non quasi capitale quidpiam, sed mere ad argumentum principale illustrandum et confirmandum tentabimus.

Argumentum ex ratione theologica.

306. — **Argumentum.** 1. *Ex Sacra Scriptura, seu potius ex ratione theologica.*

Fornicarii aequo iure atque idolis servientes, adulteri, etc. a regno caelorum excluduntur *universaliter*. « Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, etc. regnum Dei possidebunt (1). » — « Qui talia agunt (fornicationem, immunditiam, etc.) regnum Dei non consequentur (2). » — « Hoc autem scitote intellegentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet haereditatem in regno CHRISTI et Dei (3). »

Observes autem, secundum interpretationem quam plures verisimilem existimant, nomine *avari* illum designari qui illicitam voluptatem appetit, qui inter illos est de quibus Apostolus supra scripserat: « semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiei omnis, in avaritiam ». (*Ad Ephes.* 4, 12.)

(1) 1 ep. ad Cor. 6, 9. 10. — (2) Ep. ad Gal. 5, 21. — (3) Ep. ad Ephesios, 5, 5.

Inde colligimus, fornicarios in iram Dei incurrere. Sed quo iure et an graviter *singulae* fornicationes prohibeantur, Scriptura *expresse* non dicit; neque stricte est fornicator, qui semel vel bis fornicatus est. Verum, non apparet cur in sola quadam actuum pluralitate, quae ceterum definiri nequit, ratio peccati mortalis primum inesset; satis autem receptum est, Lege nova, si leges de fide et sacramentis excipias, nullum divinum praeceptum promulgari praeter ea quae naturali lege continentur (1).

Indirecte ergo constat ex sacris litteris omnem fornicationem gravi eaque naturali malitia inici.

Ex ratione naturali.

2. *Ex ratione naturali.* Nisi in ipso fine, saltem in modo quo exercetur, commercium carnale essentialem suam relationem ad speciem servare debet: sin minus, contra naturam suam exerceretur. Ideo necesse est, ut naturali modo fiat a duobus qui se tamquam principium generationis compleverint. Per solum autem matrimonium se complere sic possunt, cum natura nullam aliam pactionem carnalis commercii ratam habeat. Principium enim generationis humanae tale esse debet quale species humana multiplicanda postulat, Quare duo tantum, in stabilem unitatem coniuncti, principium istud constituere possunt. Cf. dicta nn. 61. 104. 105.

A. Omni fornicatione volunt ambae partes, sine mutuo iure, sine mutuae obligationis vinculo, non quasi unum stabiliter effecti sed independentes et separati, precario consensu copulam instituere.

Ergo, omni fornicatione, concumbentes commercium carnale sua relatione ad speciem privant, ac proin ordinem in se ipsi, ut sunt partes generis humani, huic essentialiter subordinatae, violant.

Praeterea, cum id faciant passione carnali abrepti, iterum ordinem in se violant quatenus, postposita essentiali subordinatione passionis, homo se appetitu carnali contra mentem rationalem abripi sinit.

Violatio ordinis quatenus sunt partes generis humani

---

(1) Cf. v. g. Caietanum, in 2, 2, q. 154, art. 2.

maxime in concubitu vago apparet, ubi copula ad solum bonum individuale delectabile peccantium, inverso ordine essentiali, manifeste refertur.

Cfr. n. 258, similem demonstrationem factam de intrinseca et gravi malitia onanismi.

307. — Demonstratio corfirmatur detrimentis quae copula fornicaria bono communi affert. Quae detrimenta numero et gravitate crescerent, nisi sensus communis eandem gravis peccati nota afficeret. *Confirmatio ex detrimentis copulae fornicariae:*

Gravia detrimenta sic demonstrari possunt:

1. Quatenus copula fit *sine mutuo iure*, valet, tam ante quam postea, ad gravissimas excitandas contentiones, zelotypias, discordias, iurgia, certamina, caedes inter plures qui eandem feminam concupiscant, immo inter mulieres eiusdem viri cupidas. Hinc maximum publicae pacis periculum cernitur. Si, ad communem pacem tuendam, necesse fuit dividere bona exteriora, quae tamen, aliquo pacto, communiter possideri queunt, quanto magis necessaria perspicitur singularis proprietas rei quae communiter haberi nequit et insolentiore concupiscentia cupitur. *quatenus mutuum ius negat;*

N. B. Ratio tamen ista, magis directe quam periculum omnis fornicationis, necessitatem demonstrat instituti matrimonii. Quadantenus tamen etiam ad fornicationem impugnandam adhiberi potest, praesertim eam quae licita putaretur.

2. Quatenus fornicatio *nullum* inducit vel supponit *obligationis* vinculum: *nullum obligationis vinculum supponit vel inducit;*

a) Procurat, sine onere matrimoniali, maximam voluptatem, quae variis coniugalis vitae oneribus suscipiendis, tolerandis, leniendis deputata est. Inde nuptiae minus appetibiles fiunt, sicut frequenti etiam exemplo ostenditur eorum qui, quamvis in diuturno iam concubinatu vivant, matrimoniale tamen vinculum abhorrent et repudiant.

Quot autem socialia sunt matrimonialis foederis bona, tot surgunt accusatores et condemnatores copulae qua institutum istud labefactatur.

Ut bona ista brevissime recolamus: Matrimonium est arx debilioris sexus, cuius dignitatem et libertatem vin-

dicat; est praesens duorum felicitas; est perfectio ambarum personarum quae, mutuae et intimae amicitiae vinculo coniunctae, altera alteram complent, est spes futurae aetatis; est principium rectae et perfectae institutionis prolis.

b) Ordinem ad generationem vel nullum dicit, vel solum talem quo in radice et per se recta prolis institutio corrumpatur. Oportet enim ut instituendae proli addicantur duae voluntates quas firma pactio non autem arbitrium mutabile iunxerit, ita ut utriusque sexus qualitates et dotes in istud bonum conspirent; oportet ut duae istae voluntates prius intime coniunctae sint, ita ut quasi unum principium regens ac dirigens efficiant, sicut ambo corpora unum generandi principium composuerant. Huius modi firma pactio non est nisi coniugalis; huius modi unitas solo matrimonio inducitur. Cfr. n. 104.

Nec frequentes casus opponi possunt quibus ob morbum, mortem, alterutrius coniugis opera praepeditur. Multo enim melius alter coniux coniugem supplet quocum ita coniunctus fuit ut eius qualitates participaret; ac multo facilius coniugis mortui vota implet, quam vir separatam mulierem aut mulier separatum virum, cuius intimum animae commercium ignoravit, supplere posset etiamsi vellet. Post coniugalis consortii experimentum, superstes coniux, ex habituali alterius agendi modo, sine negotio suspicatur et detegit quomodo ageret, quomodo ipse agere debeat. Ac memoria sollicitudinis communis efficit ut superstes defunctum supplere magis formaliter studeat, quam si proles istius cooperationis beneficio numquam fructa esset. Quo imitationis studio fit ut etiam absens vel demortuus coniux salutarem actionem et auctoritatem exerceat.

meram corporum coniunctionem per se dicti.

3. Fornicatio non continet nisi *corporum coniunctionem*, aestuanti libidini concessam, citra nobiliorem istum affectum quo, in coniugio, prius animi quam corpora coniunguntur. Etiam in usu matrimonii mens materiae dominatur, voluntas passionem regit, ita ut ordo, dignitas personae humanae sint in tuto collocatae; dum in copula fornicaria haec inversa ratione se habent. Quare, dum in matrimonio, etiam sterili, copula plurimum valet ad ani-

mos nobilius sociandos, estque nobilioris coniunctionis simul effectus et quasi expressio seu manifestatio, copula fornicaria, si fecunda sit, mancam generationem praeparat; si sterilis, nullo fine honestatur atque humanae dignitati derogat.

Gravia esse ista detrimenta demonstratur.

Triplex hactenus genus detrimentorum attigimus quod fornicatio per se affert. Eadem autem oriri per se gravia ex singulis fornicationibus, exinde colligi potest quod una copula ad generandam prolem sufficiens est (1), ac sola iam valet ad magnam zelotypiam excitandam, ad virginem corrumpendam. Si vero rarae fornicationes aliter ac frequentes sancirentur, quisnam raritatis modum definiret, quisnam ad eam observandam efficaciter cogeret?

Periculum abusus.

Si iam praeterea consideres cum rei quae agitur momentum, tum, pro immensa appetitus vi, immensum alucinationis periculum, facile perspicies a provido naturae Auctore exceptionem nullam admitti potuisse quae, in re periculis plena, tot condicionibus stipari debuisset. Res ista, sic clamat practicum sapientis iudicium, singulorum arbitrio subducta esse debet. Subducta autem non erit, nisi omnis copula fornicaria graviter prohibeatur. Efficax itaque boni communis tutela universalem postulat eamque gravem omnis fornicationis prohibitionem.

De argumento S. Thomae.

308. — Argumentum quo utitur S. THOMAS (2) ad nostram demonstrationem satis facile reducitur. Ipse enim inde argumentatur quod fornicatio continet inordinationem quae vergit in nocumentum prolis quae ex tali concubitu forte nascitura sit, quatenus hanc debita educatione privet. Educationem enim prolis esse causam cur, in specie humana, commercium carnale fiat contra ordinem naturalem si fiat extra matrimonium, ipsi ultro fatemur. Neque argumentum istud infirmatur eo quod non ex omni concubitu proles aliqua nascitur, immo quod concubitus sunt qui nullam spem prolis dant. Etenim concubitus humanus manifesto dicit secundum se ordinem ad prolis generationem; ac proinde, secundum ea quae ordo iste postulat praecepta et vetita naturae de concubitu humano intellegenda sunt (cfr. **61. 105**). Nec refert fieri posse ut educationi prolis aliter provideatur. Tunc enim, ut scite advertit CAIETANUS (3),

---

(1) S. THOM. 2, 2, q. 157, art. 2. — (2) *Summa theol.*, 2, 2, q. 154, art. 2. — (3) In citatum articulum.

fit ut detrimentum quod inordinatio per se affert per accidens absit, aut tollatur; non autem, ne per accidens quidem, naturalis ordo in concubitu restituitur.

Neque obstat quod S. Doctor alleget « nocumentum vitae eius qui *est ex tali* concubitu nasciturus ». S. Thomas profecto non ignoravit steriles esse copulas, immo coniunctiones matrimoniales. Sed posuit concubitum cum suo effectu naturali, ut, per illud exemplum, assertum generale exprimeret.

Quod autem in responsione ad 6um gravitatem peccati inde colligat « quod ex uno concubitu potest unus homo generari », id non probat quantitatem damni esse formaliter aut universaliter considerandam in recta peccati aestimatione. Sed, ubi occasio habetur, S. Doctor sensibili ista demonstratione uti non renuit, nihil pronuntiando de valore primario vel secundario argumenti.

Cfr. modum quo Caietanus in citatum art. 2, q. 154, 2ae 2ae difficultates argumenti solvit, vel quo Ill. D. Waffelaert (1) rationes S. Thomae proponit.

Fatemur tamen mirum esse quod S. Thomas, ad excludendam obiectionem fornicantis qui prolis educationi sufficienter provideat, appellet legem positivam cuius determinationes fiunt secundum ea quae communiter eveniunt. Cfr. Palmieri, *Opus theol*, tom. 2, n. 1008. — Sed in l. 3 c. *Gentiles*, c. 122, tamquam principium naturale profert istud : « Rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea quae per accidens contingunt in uno individuo, sed secundum ea quae totam speciem consequuntur ».

Gravior est fornicatio christiani.

309. — Gravitas autem fornicationis in christiano augetur, eo quod suam dignitatem *membri Christi*, *templi Spiritus Sancti* foedare audeat (3). Dignitas ista, supra n. 97, explicata est. Sic autem res proponi potest, deficienter quidem, cum in hoc vitae stadio elevationem nostram supernaturalem adaequate assequi non possimus.

Demonstratur ex Apostolo :

propter indignam adhaesionem meretrici.

1. Secundum Apostolum (4), repugnat ut ille qui cum Domino unus est spiritus (v. 17), fiat una caro cum meretrice (v. 15. 16).

Quae ratio hanc veri similem explicationem admittit. Christianus, per caritatem, intimo eoque summo supernaturali vinculo cum Deo coniungitur. Quae unio fit in primis secundum spiritum, efficitque ut Domino adhaerens sit cum eo « unus spiritus » (v. 17). Consequenter ad hanc summam unionem, ipsum corpus, ut pars

---

(1) *De virt. card. temperantiae*, n. 138. — (3) Lessius, l. 4, c. 2, n. 53. — (4) Ep. 1 ad Cor. c. 6.

minor eiusdem compositi, fit membrum CHRISTI (v. 15. Cfr. ad Ephes. 4. 15. 16). Iam antea, v. 13, Apostolus inculcaverat mutuam destinationem corporis, tamquam membri, Domino, et consequenter Domini, tamquam capitis vel corpus regentis corpori; atque perpetuitatem istius dignitatis in futura resurrectione ostenderat (v. 14).

Fornicator, rursus, per consensum quem secundum concupiscentiam carnalem fovet cum meretrice, infimam coniunctionem cum hac init, unde unum corpus cum ea efficitur (v. 16). Et sic adhaerens meretrici proprium corpus ipsi in membrum tradit.

His positis, sic argumentari possumus.

Sicut, suscepto praecelso officio, viles artes prohibentur, et contra legem nobilissimae amicitiae foret simul consuetudinem quandam dedecoram quaerere, ita pariter, post unionem istam praecelsam cum CHRISTO, quae, usque ad corpus pertingens, totum hominem velut spiritualem reddit, ambire quidem licet unionem coniugalem, quae animos ac voluntates prius quam corpus coniungit, et quae non solum ordinationi divinae respondet, sed, sanctificata per sacramentum, ipsam CHRISTI et Ecclesiae unionem repraesentat; nefas autem est unionem infimi amoris affectare quae, ex sola concupiscentia carnali, unam carnem ex christiano et meretrice efficit, totumque hominem in vilitatem peccati carnis deturbat.

propter Deo iniuriosam profanationem.

2. Altera ratione Apostolus, v. 13-20, magis considerat Deo iniuriosam profanationem quam fornicatio continet.

Spiritus Sanctus in corpore christiani ut in domo propria habitat, quam per Christi sanguinem « magno pretio » sibi emit (v. 19). Itaque profanatio istius templi rationem sacrilegae iniuriae in Spiritum Sanctum induit. Iam vero, fornicatio est huiusmodi profanatio. Namque, dum in ceteris peccatis, si corpus instrumentaliter cooperatur, abusus fit rei exterioris (quae violatio dici potest peccatum contra hanc rem), in hoc peccato homo proprio corpore abutitur. « Qui fornicatur, in corpus suum peccat » (v. 18).

De toto isto argumento cfr. CORNELY in h. l., qui fuse id evolvit. Cf. etiam dicta supra, n. 97.

310. — Paucae supersunt memorandae difficultates.

Solvuntur difficultates: Praeceptum OSEE *datum:*

1. Iam dudum solitum est hic obicere praeceptum datum prophetae OSEE: « Sume tibi uxorem fornicationum; fac tibi filios fornicationum (1) », ubi Deus fornica-

(1) *Osee*, 1, 2.

tionem praecepisse videtur. Cfr. S. THOMAM, 2, 2, q. 124, art. 2, ad 2.

Resp. a) Neganda in primis est falsa illa loci expositio. Etiamsi, quod iam pridem controvertitur, res vere gestae sint nec allegorice dictae sint, OSEE feminam corruptam *uxorem* ducere et ex ea filios procreare iubetur.

b) Quod ad rem in se. Repugnat sane ut Deus, auctor naturae, generale statutum condat quo ordo naturalis pessumdaretur. Nec ordini supremo hominis ad Ipsum derogare potest. Reliqui autem ordines huic subiecti sunt. Exceptio igitur particularis qua, propter immediatum ordinem subordinationis ad Deum, homo bonum ordinis inferioris neglegere iubetur, nec legem generalem tollit, nec rectae rationi repugnat. Cfr. S. THOMAM, l. c.

Natura actus qui caritati contrarius non est.

2. Ut peccatum mortale sit, caritati erga Deum vel erga proximum contrarium esse debet. Namque omnia praecepta ad praeceptum diligendi Deum et proximum referuntur. Fornicatio autem neutri caritati repugnat, ne quidem proli nasciturae, cui melius erit sic esse, quam non esse.

Resp. Ad màiorem. Tertium addendum est: caritas hominis ad seipsum, quae etiam observanda est et in ipso praecepto dilectionis proximi continetur, cum iubeamur proximum *sicut nosmetipsos* diligere. Praeterea, proximus non est tantum homo singularis, sed etiam, nisi socialem hominis naturam negare volueris, sunt homines in communi seu societas humana.

Iam vero homo qui fornicatur, suo corpore abusus, ordinem in se ipse violat: quod est contra caritatem ad seipsum. Cum autem proles nascitura est, accidit quoque, contra caritatem erga homines in communi seu erga societatem, introductio membri illegitimi. Quare ad bonum generis humani inviolabilis ille ordo constitutus est, ut nulla copula extra matrimonium permitteretur.

Fornicatio inter steriles.

3. Copula fornicaria inter steriles rationem inhonestatis, quae ex prole sumitur, nullatenus participare videtur. Ergo.

Resp. Negatur antecedens: Proxima inhonestatis ratio non est damnum quod proli timetur, sed violatio ordinis

naturalis. Is autem statutus est attentis iis quae natura humana postulat ut generatio congruenti modo fiat.

In nostra ceterum demonstratione, difficultas ista nulla est.

Conclusio autem nostra confirmatur consequentiis obiectionis. Simili namque ratione, sublata prolis spe, etiam copula onanistica vel luxuria solitaria aequo iure permittenda foret. Si, cessante prolis damno, ordo commercii carnalis neglegi posset, non apparet cur una violatio tantum et non simul alia indulgeretur.

Verum repugnat ut natura quasi privilegium libidinis iis concedat quorum copula ad primarium finem coniunctionis sexuum conducere nequeat.

Quare id probe tenendum. *Obiectum* praecepti in relatione sexuali non est ut curemus prolis educationem : tunc utique, quocumque modo curaretur, observaretur lex naturae ; sed praecipitur talis usus facultatis sexualis qui, quatenus ex actione coniugum pendeat, et prolem generare possit, eique rectae institutionis praesidium comparet.

Fornicatio est etiam contra naturam.

311. — **Corollarium.** Quamvis fornicatio dicatur esse peccatum quod iuxta naturam consummetur, verissime tamen naturae specifice humanae repugnat. Natura cui non contradicit ea tantum est quae nobis cum brutis communis est ; sed rectissime dicitur peccatum *contra naturam rationalem.* Cfr. S. Thom. l. 3, *c. Gentiles,* c. 122.

Licetne coeptam fornicationem abrumpere?

312. — **Scholium.** *Coepta fornicatione,* ita ut orgasmus instet, immo ut mulier aestum suum iam experta sit, licetne huic virum repellere, vel ipse vir, se retrahendo, copulam abrumpere ; an contra, inceptum naturali modo opus malum iam perfici debet a fornicariis, qui sic eligant minus malum, ne ipsum naturae ordinem violent ?

Sunt qui posteriores partes defendant ; atque etiam Palmieri (1) in illas partes inclinat. Sanchez tamen, cum aliis, ipsis permittit ut copulam abrumpant (2). Immo existimat, supposita nova deliberatione, novum reatum probabilius committi ab iis qui copulam perficiant. Ab illicito enim opere desistere honestum est; peccantes nul-

(1) *Opus theol.* tom. 6, n. 384. Probabilitatem eius sententiae non negamus. — (2) *De matr.* l. 9, d. 19, n. 7.

lum ius habent opus malum perficiendi, nec, interrumpendo, maius malum eligunt. Pollutio enim quae sequetur praeter intentionem et contra eorum voluntatem accidet. Ob iustam autem causam licet, etiam cum praevisa pollutione, copulam ipsam coniugalem, praeter priorem intentionem abrumpere, v. g. propter invasionem hostilem, dolorem corporis, etc. Quo pacto paenitentia de incepta fornicatione, idest de re intrinsece mala, numero iustarum causarum excluderes?

Licetne, post fornicationem, abigere semen?

SANCHEZ addit, gravem quoque causam esse « ne fornicarius concubitus in grave educationis prolis detrimentum consummetur (1) ». Quocirca non contradicimus ALBERTI (2), asserenti generationem, in casu, expulsione seminis impediri posse; non contradicimus, inquam, saltem si mulier sincere paenitens fuerit, Actio ista cum superiore moraliter aequiperanda videtur. In utroque casu est, ob causam accidentalem, interruptio operationis fecundae, ante coniunctionem ovuli cum spermate. Namque, ut patet, abortum ideo procurare numquam licet.

Neque illi excusandi sunt qui, *ut liberius peccent*, ab initio statuant se, in fornicatione, sterilem tantum copulam exercituros esse.

§ 2. — *De fornicatione aliis malitiis adaucta.*

Principium distinctionis.

313. Una specie *in genere luxuriae*, fornicatio, ob accedentes varias malitias *heterogeneas*, diversa nomina accipit et ad varias species ascribitur.

I. *De copula adulterina.*

De Adulterio.

1. — Spreto *vinculo coniugali* exercita, copula illegitima **adulterium** vocatur. Adulter, quatenus corpus suum, a coniuge avulsum, alteri coniungit, carnem dividere conatur quam Deus, individuo nexu, unam ex duobus fecerat. Frangendo sic unitatem cuius pars est, *in se* ipse peccare contra *pietatem* cernitur. Peccat quoque contra

(1) Ibidem. — (2) *De sexto et nono*, n. 63.

pietatem *ergà alterum* coniugem. Et si matrimonium quod contemnit erat sacramentum, ut est omne validum matrimonium inter baptizatos, profanat vinculum sacramentale, ac proin *sacrilegium* committit (1), utpote qui re sacra abutatur. Denique, quatenus formalem contractum cum hoc coniuge factum violat, *iustitiam commutativam laedit.*

Omittimus detrimenta quae proli legitimae, coniugi innocenti, aliis quoque ex adulterio evenire solent.

Quid, si alter coniux assentiatur?

2. Innocentius XI, 24 sept. 1665, ut minimum tamquam scandalosam reprobavit, sub n. 50, hanc propositionem: « Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum ».

Assensu tamen suo alter coniux postremam notam violatae iustitiae erga ipsum certo auferre potest. Frustra non nulli obiciunt ius eius esse inalienabile. Nulla enim iuris abdicatio necessaria est ut consentienti non fiat iniuria. Satis est ut qui ius possidet ius suum positive non opponat. Cfr. opus nostrum *De iustitia.* Malitiam autem laesae pietatis, laesae religionis, alter coniux consensu suo nullatenus auferre potest. Quocirca:

Adulterium *assentiente altero coniuge* patratum *specie* differt ab adulterio cuius alter coniux invitus aut nescius fuerit. Sed non est simplex fornicatio, cum alias proprias malitias servet; ideoque proscriptam ab Innocentio XI propositionem minime tuemur vel excusamus.

Itaque adulterium, assentiente altero coniuge commissum, erit, qua tale, *distincte* accusandum. Quia tamen opinio quae specificam distinctionem huius adulterii ab adulterio communi neget extrinsecam quandam probabilitatem servat, obligatio distinctae accusationis urgenda non est. Cfr: Palmieri, *Opus theol.* tom. 2, tr. 6, n. 1014; Lehmkuhl, t. 1, n. 1049.

Quid si ambo adulteri sint coniugati?

3. Adulterium *duplex*, quod a coniuge peccante cum alterius coniuge committitur, tamquam tale accusandum est. Id plerique affirmant (2), contra Emm. Sa (3).

Ratio tamen est difficilis, cum utrumque unico voluntatis actu committatur; perinde est, sic ipse Sanchez, quasi duos uno ictu occideris. Iamvero, cum C. de Lugo (4), arbitramur non esse plura

(1) Cfr. Lehmkuhl, I. 1491. — (2) Sanchez, *De matrim.* l. 9, d. 15, n. 1: Lehmkuhl, I, 1049; Noldin, *De sexto*, n. 20. — (3). *Summa*, verbo *Confessio*, § *Quidam putat*, etc. — (4) *De Paenitentia*, d. 16, n. 135 et 140.

numero peccata in plurium occisione quae unico actu perficiatur. Lugo quidem (1) existimat «in peccato adulterii coniugati cum coniugata explicandum esse utriusque coniugium, quia adulter coniugatus contrahit diversam specie malitim ratione sui coniugii, et diversam ratione coniugii sui complicis.... diversa virtus esse videtur quae inclinat hunc coniugem ad servandum suum matrimonium ab ea quae inclinat ad servanda aliena matrimonia». Verum id minus nobis placet. Eaedem enim pietatis et iustitiae virtutes actum principalem et cooperationem vel complicitatem vetant. Brevis ratio a Lehmkuhl (2) data: «duplex ius alienum violatur», indiget explicatione ut eam probare vel improbare possimus.

Verior ratio haec nobis esse videtur. Contra atque in homicidio plurium, ubi solus occisor per se peccat, hic habemus duos peccantes ac proin duo numero peccata; uterque autem utriusque peccati reatum propter complicitatem contrahit. Coniux ergo cum alieno coniuge peccans sua accusatione tam suum quam alienum peccatum accusare debet. Hoc autem non praestaret dicendo, «feci adulterium»: solum actum suum principalem, non autem complicitatem cum alterius principali actu accusaret, Praeterea, tali accusatione, *positive deciperet* confessarium qui intellegeret: «feci adulterium cum non coniugata», quod falsum foret. Pari modo, qui plures uno ictu occidere voluerit et occiderit, aliquam pluralitatem in confuso indicare debet, ne confessarius intellegeret: *unam personam occidi*. Cfr. Lugo, *De Paenitentia*, d. 16, n. 141.

II. — *De copula sacrilega.*

De sacrilegio: reali,

314. — 1. *Copula fornicaria* peracta **post communionem,** antequam species sacrae corruptae sint, i. e. intra semihoram, gravem sacrilegii *realis* speciem induit. Cfr. Noldin, *De sexto praecepto*, n. 26.

Sollicitans **in confessione** *realis* quoque sacrilegii propter sacramenti abusum reus fuerit: Noldin, *De sexto*, n. 26, 4.

personali,

2. Facta a persona vel cum persona quae **voto castitatis** ligata sit, gravi *malitia contra religionem* ex violato voto vel ex complicitate cum violante inficitur.

Quomodo contra solam religionem peccent coniuges

(1) L. c. n. 140. — (2) *Theol. mor.* I. 1049.

qui matrimonio contra votum validum et permanens usi sint, diximus supra, n: 233.

Quamvis auctor peccati gravius quam complex peccet, cum tamen eadem sit peccati species, cum theologica tum moralis, distinctio ista in confessione omitti potest.

Sed si ambo voto ligati fuerint, duplex illud peccatum contra religionem debebit sicut duplex adulterium accusari. Cfr. C. de Lugo, *De Paenitentia*, d. 17, n. 135. 140.

3. Praeterea, si votum fuerit susceptione ordinis sacri vel professione religiosa (etiam simplici) perfecte vel imperfecte sollemnizatum, gravis malitia sacrilegii *personalis* accedit. Sed propter opinionem eorum qui omnis voti etiam privati violationem (omissa qualitatis consideratione) sacrilegam existimant, practice satis erit ut reus in confessione dicat: habebam votum.

N. B. Opinionem tamen istam pro intrinsece improbabili habemus: nemo enim privatus se vel rem sacram efficere potest.

Quid, qui duplici titulo se continere debebat?

4. Qui cum ex ordine sacro tum qua religiosus castitate adigatur, duplici titulo *eandem* sacrilegii malitiam contrahit, quam proin in confessione distinguere non debet.

Quid, qui peccatum suaserit?

5. *Sacrilegus* etiam propter complicitatem est qui personam sacram ad peccatum carnalem inducat.

Contra vero, a sacrilegio *personali* immunis est qui, voto castitatis ligatus, personam *non sacram* ad peccatum sive solitarium sive cum alia persona non sacra inducat, dummodo ipse libidinose affectus ne sit. Cfr. Palmieri, *Opus theol mor.* tom. 2, tr. 6, n. 1024.

Si tamen in confessione sollicitaverit, reus fuerit sacrilegii *realis*. Cfr. Noldin, *De sexto*, n. 26, 4.

De sacrilegio locali.

6. Ante novum Codicem canonicum, copula fornicaria in loco sacro peracta, gravem sacrilegii *localis* speciem induebat, saltem si publica vel notoria fuerat. Tunc enim voluntaria seminis humani effusione locus sacer polluebatur, ita ut reconciliatione indigeret. Quare actio illa, propter reverentiam loco sacro debitam, ipsa lege prohibebatur. Addidimus « saltem si publica vel notoria fue-

rat », propter probabilem opinionem eorum qui negabant per actiones occultas *grave* locale sacrilegium committi.

Praesenti iure, in c. 1172, quo violationes loci sacri enumerantur, voluntaria seminis effusio omittitur. A publica tamen fornicatione vix aberit nota impietatis. Impio porro usu locus sacer violatur. Adde enormem indecentiam in loco sacro, huius peccati, quod turpem tractatum cum alia persona supponit. Quare existimamus gravem localis sacrilegii rationem inesse in fornicatione quae in loco sacro committatur. Probati tamen doctores ad *grave locale* sacrilegium actionem postulant qua locus sacer polluatur. Cfr. BALLERINI, *Op. theol.* t. 2. n. 413, qui illos citat, etsi oppositam sententiam acriter tueatur. Infra de aliis peccatis contra castitatem sub hoc respectu agemus.

Quisnam sit locus sacer?

Locus vero *sacer* hic intellegitur *ecclesia* vel *oratorium publicum consecratione* vel saltem *sollemni benedictione* divino coltui dedicatum. Quamvis enim *coemeteria* inter loca sacra c. 1154 reponantur, atque, ex c. 1207, iisdem actibus quibus ecclesiae violentur; ob diversum tamen respectum, gravis sacrilegii localis malitia non imputatur aliis actionibus quae canonicam coemeterii violationem non continent. Contra atque, ante Codicem, existimabat, post d'ANNIBALE (1), LEHMKUHL (2), sollemnem saltem postulamus benedictionem, cum, ante huiusmodi dedicationem, ex cc. 1154 et 1191, 2, locum proprie sacrum non esse colligamus.

Denique *locale* sacrilegium in solo oratorio *publico* comitti putamus, quia c. 1191 ad sola oratoria *publica* ius ecclesiarum traducit; et oratoria semi-publica sollemniter benedici quidem possunt sed non debent. Quare, etiamsi per violationem benedictionem amiserint, reconciliari non debent. Confirmamur a LEHMKUHL (3), qui oratorium pubblicum supponit, atque a WERNZ (4), qui solis oratoriis publicis sollemniter benedictis applicat quod de ecclesiae pollutione, etc. declaravit.

III. — *De copula incestuosa*

De copula incestuosa inter consanguineos et affines.

315. — 1. Congressus cum **consanguinea** vel **affini** in gradibus in quibus matrimonium dirimitur, ad malitiam luxuriae gravem malitiam contra *pietatem* addit, et dicitur

---

(1) *Summula* tom. 3, n. 15. — (2) *Theol. mor.* I, 527. — (3) Ibidem. — (4) *Ius decretalium*, t. 3. n. 455.

incestus. Utendo enim sua iurisdictione, legislator, ultra vetitum naturale sed ob idem motivum pietatis seu reverentiae servandae, proxime iunctis nuptias efficaciter prohibuit. Quare etiam, *data dispensatione*, impietas cessabit et malitia incestus tolletur. Itaque qui, obtenta dispensatione, peccat cum sponsa consanguinea, hanc circumstantiam iam non debebit fateri. Cfr. S. ALPHONSUM, l. 3, n. 452.

2. Inter *christianos*, hodie, ex *consanguinitate* vel *affinitate*, impedimentum dirimens oritur in omni gradu lineae *rectae;* in linea vero *collaterali*, tres priores gradus dirimunt matrimonium inter *consanguineos*, duo priores inter *affines*. Dum olim canonica affinitas ex copula quae licita et illicita esse poterat oriebatur, nunc novo Codice *affinitas* in solo matrimonio valido, sive rato tantum sive rato et consummato, fundatur (1). Matrimonium autem ratum stricte non vocatur nisi quod sit sacramentum. Ex hac ratione dixeris nullam ecclesiasticam affinitatem gigni per matrimonium quod inter baptizatam et non baptizatam partem valide sit contractum. Huiusmodi enim coniugium probabilius non est sacramentum. Quia tamen mixta ista unio iure ecclesiastico regatur, ex satis manifesta legislatoris mente affinitatem ecclesiasticam ex ea quoque oriri plures putant. Sed hoc merito ambigitur, ita ut impedimentum non sit nisi dubium dubio iuris, an proin practice nullum. Pro matrimoniis autem inter non baptizato, leges civiles, vel, inter populos minus excultos, consuetudines vim legis habentes affinitatem definient et regent.

Antea, omnis affinitas (etiam ex copula illicita) matrimonium in omni gradu lineae rectae dirimebat, in linea vero collaterali, affinitas ex copula *licita* matrimonium in quattuor primis gradibus; ex copula *illicita*, in duobus prioribus tantum dirimebat.

Quid inter personas quae honestate publica matrimonio impediantur?

3. Matrimonium quidem etiam *honestate publica* impeditur. Sed haec nulla officia specialia pietatis inducit. Quare circumstantia ista fornicationis, quod sit facta inter personas inter quas, ob honestatem publicam, matrimonium esse non poterat, saltem sub gravi accusanda non est.

(1) Cfr. can. 97.

4. Ad *species* quod attinet:

a) Incestus cum *consanguinea* ab incestu cum *affini* specifice differre non videtur. Cum enim affinis alteri propter consanguineum coniungatur, « eiusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas ». Sic ipse S. THOMAS, 2, 2, q. 154, art. 9 ad 2. Aliter VASQUEZ, in 3 partem, q. 91, art. 1, d. 4, nn. 11-15; et LESSIUS, l. 4, c. 3, n. 79.

b) Neque *linea* aut *gradus* varias species inducunt, sive inter *consanguineos*, sive inter *affines*, cum in omnibus specifice una pietas violetur. Plures tamen, v. g. LEHMKUHL (1), ex eo argumentantes quod ratio pietatis inveniatur *per se* in parentibus, *in aliis* per participationem, primum gradum lineae rectae excipere velint. Sed frustra. In primis, ut C. DE LUGO observat, id de omni linea dicendum foret (2). Ac modo a S. THOMA audivimus: quando unum est propter aliud, ambo eiusdem speciei sunt. Cfr. NOLDIN, *De sexto*, n. 22.

c) Si tamen simul *aliud* pietatis officium violetur, circumstantia iam pandenda erit. Sic parentes cum filiis sub eorum potestate constitutis peccantes officio rectae institutionis graviter derogant. Sic etiam, ut tenent LUGO (3) et LEHMKUHL (4), incestus adulterinus cum noverca, vivente patre, hac quoque ratione pietati adversatur, quod atrocem iniuriam patri factam continet.

De copula cum spiritualiter cognato vel cognata.

316. — Peccatum carnis cum persona *spiritualiter cognata* non est proprie incestus, sed malitiam specialem habet ob violatam diversae rationis reverentiam (5).

Quae malitia gravis est, si cognatio ista dirimens matrimonii impedimentum inducat. Hodie enim, ex novo Codice, quamvis cum baptismus (6) tum confirmatio (7) spiritualem cognationem gignant, ea sola quae ex *baptismo* oritur dirimit matrimonium; estque impedimentum

---

(1) *Theol. mor.* I, 1050, post S. ALPHONSUM, l. 3, n. 448. — (2) *De Paenitentia*, d. 16, n. 315. — (3) *De Paenitentia*, d. 16, n. 222. — (4) I, 1050. — (5) Quidam tamen, v. g. NOLDIN, *De sexto*, etc. n. 21, communi incestus nomine utuntur ad designanda peccata cum personis spiritualiter aut legaliter cognatis. Cfr. PALMIERI, *Opus theol.* tom. 2, n. 1020. 1021. — (6) C. 768. — (7) C. 797.

minoris gradus (cc. 1079 et 1042, 4). Quae cognatio praeterea non iam nisi a baptizante et patrino vel matrina et tantum cum baptizato contrahitur (c. 768). Sublata itaque est cognatio quae per modum *compaternitatis* inter ministrum sacramenti et parentes baptizati seu confirmati, et inter patrinum vel matrinam et eosdem parentes inducebatur.

Olim impedimentum quoque ex confirmatione oriebatur; monebant vero in accusatione causam baptismi a causa confirmationis distinguendam non esse.

De copula cum legaliter cognato.

Sive cum ministro sive cum patrino vel matrina cognatio contrahatur, eius violatio per copulam speciem non mutat.

317. — *Cognatio legalis*, ubi et quatenus matrimonium dirimit, speciem propriam ad fornicationem addit. Quamquam de gravitate istius malitiae merito dubitari potest. Violatio autem reverentiae lege humana inter legaliter cognatos inductae a reverentia cognationis naturalis et spiritualis specie differre dicitur. Cfr. NOLDIN, *De sexto*, n. 22.

IV. — *De copula iniuriosa.*

De stupro.

318. — Deficiente alterius partis assensu, fornicatione gravis malitia contra iustitiam committitur, quae vel stuprum vel raptus erit. De *adulterio* iam diximus.

Prius de *stupro* dicamus.

Stupri essentia moralis;

1. Stuprum in *morali theologia* est oppressio luxuriosa personae invitae: sive aperta vi, sive dolo, v. g. fraudulenta matrimonii promissione, deceptione circa naturam aut malitiam actus (ut si ignorantia vel fiducia puellae seductor abutatur), sive, minis aut precibus adeo importunis ut violentiae aequiperentur (1), copula vel foeditas extorta fuerit.

Praeterea, si fornicatio in dedecus familiae mulieris, in gravem parentum maerorem redundet, gravem culpam contra caritatem continebit. Ac mulier tunc consentiens ipsam pietatem parentibus debitam graviter offendet.

Bis porro iniuriosus est qui virginem opprimat, cum, praeter abusionem eius corporis, ei praeterea signaculum

(1) PALMIERI, *Opus theol.*, tom. 6, n. 1010.

virginitatis eripiat. Cfr. SANCHEZ, *De matrimonio*, l. 7, d. 14, n. 7; NOLDIN, *De sexto*, n. 24.

notio canonica.

2. *Stuprum* non adeo raro est peccatum reservatum, ac poenis canonicis plectitur. Cfr. cc. 2357, § 1 et 2359, § 2, qui infra recitabuntur, post alia peccata externa contra sextum praeceptum.

Stuprum tunc, secundum antiquiorum sententiam, de sola *virginis invitae* defloratione intellegitur. Virgo autem censetur quae, etsi fortasse peccaverit, signaculum tamen virginitatis conservavit (1). Cfr. NOLDIN, *De Sexto*, n. 24.

Estne defloratio qua talis, accusanda?

3. Fornicatio cum *sciente et consentiente virgine* commissa nullam, ex sublata virginitate, malitiam novam, saltem gravem continet: consentienti non fit iniuria. Defloratioui tamen per peccatum cooperari; leviter caritati adversari videtur.

De raptu. Raptus notio moralis.

319. — 1. Dum in stupro iniuria ipso actu luxurioso committitur, actus exterior rapientis soli iustitiae adversatur. Est enim, in *theologia morali*, **raptus**: *iniuriosa privatio libertatis personae cuipiam ad libidinem explendam inflicta.* Persona itaque illa potest esse masculus aut femina, nupta vel innupta. Vis inferri potest cum ipsi personae quae libertate privatur tum iis quorum potestati subest. Ac moraliter rapi etiam censetur quae dolo et fraude privatur sua libertate.

Quid fuga?

2. Si qua puella maior cum amasio, insciis parentibus sponte discedat, raptus proprie non habetur sed *fuga*, quae, per se, nullam novam speciem fornicationi addit. De puella minoris aetatis attendas nunc ad c. 2353, infra allegandum.

Canonica distinctio impedimenti et delicti.

3. *Canonice* distinguendus est raptus qui *impedimentum* matrimonii constituit: non est nisi mulieris atque intentionem matrimonii supponit — de isto in tractatu de matrimonio agitur; — et raptus qui *delictum* est in foro exteriore puniendum.

Notio delicti.

Crimen porro *raptus* requirit violentam aut dolosam feminae honestae abductionem ab uno loco in alium, sive matrimonii ineundi sive libidinis explendae causa. Ex c. 2353, committitur etiam si puella minoris aetatis consentiens, insciis vel contradicentibus

---

(1) GRATIANUS tamen ad c. Lex 2, C. XXXVI, q. 1 definivit stuprum: «virginis illicitam defloratiouem», atque illicitam dicit quae fit saltem invito patre. Itaque postea tantum ad canonicam stupri essentiam accessit condicio virginis *invitae*.

parentibus aut tutoribus, abducatur. Ac dolus vi aequiperatur, ut iam antea responsum erat a Sacra Congregatione, 24 ian. 1608 et 27 aug. 1864.

Quid de abductione meretricis, sponsae?

Ad crimen itaque fori externi, abductio requiritur; sola privatio libertatis non sufficit. Sed consummatur iam si in ipso itinere libido expleatur. Abducta *meretrice*, delictum regulariter non committitur. Immo, secundum plures (1), qui argumentantur ex c. Cum causa, 6, *De raptoribus*, etc. (5, 17), 2, crimine immunis est qui abduxerit *sponsam*, immo illam quacum tractatus de matrimonio iniverit. Sic enim sonat caput memoratum: « Respondemus quod cum ibi raptus dicatur admitti ubi nil ante de nuptiis agitur: iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent ». Priora verba satis aperte huic sententiae favent, sed posteriora, ubi mulier dicitur consensisse, vim argumenti extenuant. Res itaque in incerto est.

Poenae canonicae.

Canon porro 2353 raptum his verbis describit et sancit: « Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur (2) ».

Ex c. autem 2354 § 1: « laicus legitime damnatus ob delictum... raptus.., ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et a quolibet munere, si quod in Ecclesia habeat, firmo onere reparandi damna ». Ex § 2, clericus, pro gravitate culpae, variis poenis, etiam depositione, plectendus est.

A quibusnam in isto peccato positiva iustitiae obligatio violetur?

320. — Qui, propter susceptum officium vel pactionem initam, *spirituale* vel *morale* bonum quarundam personarum curare debent obligatione *iustitiae* qua consensus

---

(1) V. g. Palmieri, tom. 2, tr, 6, n. 1013, post S. Thomam, 2, 2, q. 154, n. 7, ad 4, et Lessium, l. 4, c. 3, n. 70, contra Wernz, *De matrimonio*, n. 280 nota 32. — (2) Quod *abductio* etiam nunc requiratur, colligi potest ex oppositione c. 1074 § 3, qui expresse negat requiri abductionem ubi agitur de impedimento matrimonii. — Actus autem *legitimi* sunt: Patrini munus in baptismo aut confirmatione; administratio, ex munere, bonorum ecclesiasticorum; actus iudicis, auditoris, relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; suffragium in electionibus; exercitium iuris patronatus.

istarum personarum ipsos solvere nequit: si cum istis personis carnaliter peccaverint, iustitiam commutativam simul graviter violant.

Talem obligationem habent *episcopus* quod ad dioecesanos suos, *parochus* quod ad parochianos, *institutor* seu *Superior* collegii quod ad alumnos sibi a parentibus concreditos, *tutor* quod ad pupillum.

Quid de cooperatoribus habentis munus,

Cooperatores autem parochorum (seu Vicari coadiutores) et moderatoris collegii (seu magistri, praefecti disciplinae) hanc obligationem non participant; sed plerumque erunt iam hac ratione graviter *scandalosi*, quod ordinem sacerdotalem vel religiosum statum diffamaverint, et ipsam religionem in anima complicis labefactaverint.

de confessario,

De *Confessario* peccante cum paenitente est dubitatum. In comperto quidem est gravis *sacrilegii* reum fore qui occasione confessionis vel etiam notitia habita ex confessione abusus sit ad peccandum; immo qui in his adiunctis peccaverit quibus ex peccato irreverentia aut detrimentum redundaret in sacramentum (1): sed quaeritur de confessario peccante extra omnem relationem ad confessionem.

Ac fuere qui id affirmarent, nixi vel decretis quae peccata carnis specialiter confessariis prohiberent, vel vinculo cuiuspiam cognationis spiritualis quod ex isto sacramento contraheretur. Sic SANCHEZ, *De matrimonio*, l. 7, d. 55, n. 3 et 4.

Verum id cum C. DE LUGO (2) et plerisque recentioribus negandum est. Quam sententiam S. ALPHONSUS (3) probabiliorem existimat. Namque decreta positiva hodie sane nulla sunt; vinculum cognationis spiritualis gratis affirmatur, cum ex confessione, qua tali, nulla stabilis relatio inter confessarium et paenitentem exoriatur (4).

de patre spirituali?

Sunt, etiam nunc, qui quod de Confessario negant affirment de habituali *patre spirituali* etiam electo a paenitente. Quod LUGO satis facile concedendum putat (5). Sed id potius negandum ducimus. Sane, etiam electus

(1) Cfr. C. DE LUGO, *De sacramento paenitentiae*, d. 16, n.355. — (2) *De sacraments paenitentiae*, d. 16, n. 357, c. n. 359. (3) L. 3, n. 451. — (4) Cfr. DE LUGO, l. c. n. 357. — (5) Ibidem, n. 358.

pater spiritualis ex iustitia tenetur ad nullum fraudulentum consilium dandum, ad non abutendum auctoritate sua. Verum si tamquam aequalis aequali peccatum proposuerit et hoc acceptetur, mutuo consensu munus cessat vel interrumpitur, atque hic quoque veritatem habet illud: consentienti non fit iniuria. Non ideo tamen improbamus peculiarem horrorem quem huiusmodi peccatum parit; sed horror ille demonstrat enorme scandalum ac facilem abusum auctoritatis, qui illud peccatum comitari solet.

Severius autem dicendum est de illo qui auctoritate legitima ad munus proprie dictum patris spiritualis exercendum deputatur: quale habere consuevit spiritualis moderator monasterii. Nulla filiae spiritualis condonatio hominem tunc peculiari sua obligatione eximere potest.

De unctione antiseptica ante fornicationem;

321. — **Quaeres**, propter ea quae n. 48, p. 43 fine et 44 scripsimus de unctione qua contagium luis venereae vitari potest: 1. Utrum necne formaliter peccet, qui ante fornicationem, unguentum antisepticum adhibet ut a contagio immunis sit;

de unctionis consilio;

2. Utrum usus istius unguenti suaderi possit necne;

de unguenti venditione.

3. Utrum pharmocopolae unguentum istud venale habere liceat necne?

Ad 1. Quamvis, ut videtur (Cfr. TIMES, ian. 1917), in Anglia quidam anglicani scrupulose distinxerint inter usum qui peccatum praecedat et illum qui sequatur, et priorem prohibuerint, alterum approbaverint, ambigendum non est quin etiam a peccaturo factam unctionem formaliter inculpatam dicas. Casum non attingimus feminae quae unctione huiusmodi copulam paret infecundam.

Dubium et responsum.

Mala profecto est fornicationis intentio; sicut semper malum est peccare et velle peccare; sed malum non est peccando simul quaerere media, in se indifferentia, vitandi damnosas peccati sequelas.

Ad 2. Peccaret sane qui, revelando medicinam vel usum suadendo, quempiam ad peccandum induceret; sed nihil obstat quin ei qui peccare proposuit medium indices quo minore corporis detrimento peccet.

Ad 3. Venditio sane detrectanda foret, si homines hac ratione fornicatione abstinerent. Sed tot sunt qui se pe-

riculo contagii exponunt, ut talis fructus e negata venditione sperari nequeat. Rursus id dissimulandum non est: facilis copia praeservantis medicinae pluribus timorem fornicationis auferet. Sed cum lues venerea non soli peccanti sed pluribus quoque innocentibus impendeat, ita ut malum commune vocari queat, iustissima causa habetur hanc plurium tentationem permittendi. Ceterum exigua honestas est eius qui sola morbi formidine a peccato retrahatur. Addas remedium istud etiam coniugibus prodesse posse, ita ut eius usus actionem prorsus honestam comitetur.

Articulus II. — De usu completo facultatis venereae contra naturam.

§ 1. — *De pollutione.*

I. — *Pollutionis notio.*

Varia peccati nomina.

322. — Primo loco memorandum occurrit peccatum quod ex ordinaria circumstantia agentis, *solitarium*, ex debilitate animi quam prodit, *mollities*, ex frequentiore modo quo committitur *masturbatio* (1), et ex secretione liquida quae tunc emittitur, *pollutio* vocatur.

Pollutio viri, feminae.

Sicut ex parte anthropologica facile colligitur (2), vir, in pollutione, regulariter effundit semen specifice necessarium ad generationem, sed quod tanta copia praesto est ut maxima pars generationi re vera non inserviat; *mulier* autem liquorem emittit seu potius liquore interius madefit qui ad ipsam generationem nihil directe confert, activam tamen generationem seu copulationem iuvat. (Omnino accidentale est ut, propter aestum seu excitationem, ovulum decidat.)

Per se autem, *in utroque sexu*, effusio ista aestum comitatur quo alter alterum mire physice complet et ambo una caro fiunt ad novum generandum hominem.

---

(1) Hac saltem ratione quod vocem *masturbationem*, parum scientifice, explicare solent quasi sit manu facta stupratio. — (2) N. 7. 8.

Est itaque *pollutio*, separata a copulatione, liquoris istius effusio. *Pollutionis descriptio materialis.*

Porro, ad pollutionem efficiendam, omnis homo triplici vita sua contribuere potest: vita *vegetativa*, quae liquorem praeparat et, in definitis excitati organi adiunctis, illum effundit; vita *sensitiva*, quae coniuncta delectatione fruitur, eam phantasmate sibi depingit, atque passione prosecutiva appetit; vita *rationali*, quae delectabile quoddam hominis bonum in fruitione ista agnoscens, eam voluntate acceptat vel studiose quaerit. *Pollutio.* *Completa, incompleta.*

Tunc ipsa mens in his ita versatur ut aliis cogitandis prohibeatur.

Pollutio *completa* dici potest quae triplici vitae participatione sic perficitur.

Partialis autem exsistere potest.

Mere ad *vitam vegetativam* pertinet emissio non delectabilis qua saepe laborant qui *spermatorrhea* afficiuntur. Huiusmodi « secretio » cum « secretione » lacrymarum vel emissione urinae comparari potest.

Ad vitam *animalem* seu *sensus* ascribenda est pollutio qua, sine mentis ccoperatione vel assensu, solus sensus delectatur: ut si qua, praeter voluntatem, interdiu acciderit.

Media quodam modo est pollutio quam facultas superior sed sensu impedita participat. Talis est cui in *somnio*, voluntas assensum praebere videtur.

Pollutionem *completam* nomine pollutionis *psychologicae* pleno sensu compellamus, quatenus superiores vires psychicae in ea agunt; pollutionem vitae *sensibilis*, utpote quae ad vitam psychologicam inferiorem, nobis cum animalibus communem, pertineat, *deminuta significatione psychologicam*, vel etiam *animalem* dicimus; pollutio demum vitae *vegetativae* bene appellaretur *physiologicâ*, nisi hodie plures physiologicam appellarent pollutionem plene voluntariam quae ratione sanitatis (vera vel ementita) sine voluptatis approbatione procuraretur (1). Quare, ad confusionem vitandam, illam potius *corporalem* vocabimus. *Quid pollutio physiologica?*

(1) C. Lehmkuhl I, 1042, nota.

Moralitas pollutionis corporalis,

Pollutio corporalis extra rationem peccati versatur. Ut ait S. THOMAS (1) « quod est ex parte corporis... per accidens se habet ad moralem actum, qui non consideratur per se nisi secundum ea quae sunt animae ». « Pollutio, ait SANCHEZ (2), via naturali proveniens (in somnis), nullatenus est actus hominis nec eius voluntati subiectus, sed actus quidam et evacuatio naturalis, sicut sudor ».

animalis,

Altera pollutio (vitae sensitivae) saltem in statu vigiliae materiam rationem regendam exhibet: « nam sensibiles passiones sunt materia moralium actuum (3) ». Quare, quando homo sui compos nec incommodo excusatus, pollutionem animalem non impedit, peccatum veniale committit propter toleratam sine causa rebellionem sensus et quoddam consensus periculum. Iam obortam autem pollutionem positivo conatu (aliquantisper doloroso) reprimere, laudabile sed non necessarium est.

completae.

Tertia demum, plene psychologica, seu completa pollutio, quatenus ratio superior eam participat, peccatum mortale constituit. Cfr. hic subiectam demonstrationem.

Observes itaque, quod probe notandum est, tres istas pollutiones in *sua physica ratione* differre, cum pollutio completa non mere dicat quandam mentalem phaenomeni physiologici approbationem, sed participationem sensus qui delectatur et mentis quae delectationem veluti penetrat et ad eam cooperatur.

II. — *Pollutionis malitiae demonstratio*

Sententiae de malitia pollutionis.

323. — Aggredienda iam est gravis quaestio de *malitia pollutionis voluntariae seu admissae.* Quae quaestio tres partes continet. De voluntaria enim pollutione haec tria quaeruntur: estne malitia *intrinseca*; estne *gravis*; estne *specifice* distincta a malitia tactus libidinosi?

I. Sententiae. Malitiam peccati pollutionis, saltem in

---

(1) 2, 2, q. 152, art. 1. — (2) *In Decalogum*, l. 1, c. 2, n. 18. — (3) S. THOMAS, 2, 2, q. 152, art. 1.

viro, non fuisse ethnicis ignoratam, iam demonstrat MARTIALIS his versibus :

« Hoc nihil putas ? Scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipse tuo
. . . . . .
. . . . . .
Ipsam, crede mihi, naturam dicere rerum,
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est (1) ».

Ab ipsa tamen natura istam immunditiam damnari iterum negavit CARAMUEL (2), e cuius binis assertis sumpta est propositio 49 quam, ut minimum tamquam scandalosam et in praxi periculosam, damnavit INNOCENTIUS XI: « Mollities iure naturae prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali ».

Communis ergo catholicorum doctrina eam *intrinsece* et *graviter* malam esse affirmat. Verum, in accurata doctrinae demonstratione non levem difficultatem iterum experiuntur et varias vias tentaverunt.

Argumenta sententiarum perpenduntur.

II. **Varia argumenta.** Plures hanc rationem indicant, quod pollutio dicat *frustraneam emissionem seminis*, cuius destinatio exclusiva est bonum speciei humanae. Hanc rationem adhuc affert BALLERINI (3) ; atque ipse LEHMKUHL (4) nimis ad hanc effusionem attendisse nobis videtur. Dixeris quidem ipsum d. THOMAM (5) argumento ex seminis profusione usum esse. Sed sic potius « ad hominem » respondet. Obicienti semen esse superfluum alimenti S. Doctor reponit « esse superfluum quo indigetur ». Verum, in directa demonstratione corporis articuli, formalem luxuriae malitiam in vitioso usu venereorum ponit.

Porro ratio deducta ex prodiga seminis effusione duplici difficultati obnoxia est. Ipsa natura, vel invito homine, semen istud prodigit. Cur ob iustam causam v. g. valetudinis, idem mihi non liceret (6) ? Praesertim, cum

(1) Epigramma 42, l. 9, in Ponticum. — (2) Cfr. *Theol. intentionalem*, l. 4, n. 1960 et 1965. — (3) *Opus theol. mor.* tom. 2, tr. 6, n. 1026. — (4) *Theol. mor.* I, 1036 et 1039. — (5) 2, 2, q. 153, art. 3, ad 1. — (6) Ita iam SANCHEZ, *De matr.* l. 9, d. 17, n. 16.

tanta sit istius humoris copia, ut numquam dici possit: « haec pars effusa seminis generationi necessaria est ». Immo inutilis profusio ipsis hominibus permittitur. Namque, non minus quam in pollutione, in copulis sterilium personarum semen prodigitur.

Finis rursus cur natura semen praeparet non est sola prolis generatio.

Semen enim destinat operationi (copulationi) quae alias immediatas utilitates habet; ipsa autem ad tam multas copulationes impellit, ut plures necessario frustraneae esse debeant.

Itaque cur semen istud quod aliis modis prodigi potest, non liceat pollutione prodigere, id numquam ex profusione qua tali efficies, verum ex alia ratione quae, si inveniatur, formalem pollutionis malitiam nobis manifestabit.

b) Quare alii non in seminis iactura, sed in *perfecta delectatione venerea* malitiam pollutionis reposuerunt; idque saltem *principaliter*, ut aiunt; immo unice si consequenter loqui velint. Ita R. P. Eschbach, *Disputationes*, d. 4, c. 4, vel Nouvelle Revue théologique, t. 8 et t. 5, cui favet Palmieri, *Opus theol.* nota ad II, n. 1028.

Verum in hanc gravem reprehensionem incurrunt, quod delectatio naturam coniunctae operationis sequatur, ita ut prima ratio inhonestatis esse nequeat. Nec vis istius principii arbitraria quadam distinctione inter voluptatem veneream et alias voluptates effugi potest (1). Id summum concedi potest, quod, si conexa sit operationi per se malae, voluptas tales illecebras et tale alucinationis periculum creare possit ut ideo inordinatio existimanda sit gravis, et omnis accidentalis exceptio reicienda sit. Quare Sanchez et alii doctores scholastici ex delectatione mere necessitatem perpetuae et gravis prohibitionis collegerunt (2).

Ac praeterea, si inordinatio in ipsa delectatione insit, cum delectatio actus consummati et actus non consummati sola intensitate differre videantur (3), luxuriam imperfectam a perfecta specifice distinguere vix possit, ita

(1) Cfr. Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicae*, d. 4. c. 4, p. 483. — (2) Cfr. Sanchez, *De matrimonio*, l. 9, d. 17, n. 16; et Lessium, l. 4, c. 3, n. 108. 119. 122. — (3) Cfr. 2, 2, q. 154, art. 4.

ut in matrimonio vel omnem luxuriam solitariam vel nullam graviter malam esse fateri cogaris (1).

Non ideo tamen improbabilem habemus sententiam eorum qui, admissa intrinseca malitia actionis, contendunt eandem propter male quaesitam delectationem carnalem, adversari temperantiae, ita ut nisi delectatio ista coniuncta esset, diversa species malitiae quaerenda foret. Cfr. ad calcem libri, appendicem.

c) Quod si, cum non paucis, ad incommoda provoces semel permissae pollutionis, affirmesque fore ut, concessa in aliquo casu pollutionis honestate, homines, hac delectatione contenti, de matrimonio ineundo iam non satis solliciti essent, erunt qui, ut LECOMTE (2), et, post eum, BERARDI (3), veritatem huius effectus prorsus abnuant. Rationem autem istam ab extrinseco petitam esse iam perspicitur.

d) Non desunt qui *malitiam* pollutionis ex eo quod est actus contra naturam ; *gravitatem* autem ex coniuncta vehementi delectatione et consequente periculo frequentis abusionis quae bono speciei graviter adversaretur, desumendam putant. Sic v. g. R. D. VAN ROEY. Quae sententia magis ad veritatem accedere videtur. Incommodum tamen habet istud quod delectatio sequatur naturam operationis, quae hic in se non foret graviter mala ; et quod vehemens voluptas et ipsum abusionis periculum in variis casibus deesse possint, in quibus reatus saltem gravis logice negandus foret. Hanc posteriorem difficultatem ita solvit R. D. VAN ROEY, l. c. : « Ex communi periculo talis efficitur lex et rationabiliter effici debet quae *nullam* patiatur exceptionem. Secus, spectata rursus constitutione psychologica hominum, lex labefacteretur in seipso et finis intentus non obtineretur » (4). Quibus verbis ad legem naturalem traducit quae de lege positiva dici consueverunt. Priori difficultati respondet ad *opus* pollutionis ipsam delectationem *essentialiter* pertinere. (*Quaestio specialis*, p. 28).

Conclusio.

Inde iterum PALMIERI (5) : « Fatendum est esse aliquas practicas veritates humano convictui necessarias, quas ho-

(1) Cfr. quae Ill. D. WAFFELAERT optime obicit, n. 63, *De viriutibus cardinalibus*. — (2) *De l'ovulation spontanée*, p. 2, s. 1, c. 3, § 2. — (3) *Praxis confessariorum*, n. 849. — (4) *Quaestio specialis*, p. 23. 24. — (5) *Opus theol.*, tom. 2, n. 1036.

mines instinctu quodam rationali percipiunt et sentiunt, quarum tamen rationem prorsus demonstrativam, cum eam iidem homines analytice quaerunt, difficulter inveniunt... Inter huiusmodi veritates, haec quoque forte, de qua agimus, invenitur ».

Tres quaestiones de pollutione solvendae.

Attamen, post ea quae n. 305 de formali causa peccati gravis disseruimus, ubi de fornicatione sermonem fecimus, probatio non adeo difficilis esse videtur ; ac difficultas nata perspicitur ex modo quo ex gravitate detrimenti gravitatem inordinationis directe eruere voluerunt.

Quaestionem de *intrinseca* pollutionis *malitia* eiusque *gravitate* quaestio de *specifica* eius distinctione ab actibus imperfectis excipit. Quam omnes auctores catholici affirmant, si paucos excipias qui, post detectam veram organicam rationem pollutionis femineae, dubitare cooperunt utrum necne in feminis consisteret verum discrimen inter actum solitarium perfectum et imperfectum : qua explosa distinctione, onus accusationis sacramentalis allevaretur. Immo, et fuit inter illos qui in hanc consequentiam propenderet (1), ab actibus solitariis coniugatae rationem peccati mortalis inde abesse videri.

324. — III. Itaque, cum gravitatem pollutionis in utroque sexu, tum eius distinctionem ab actu imperfecto, conclusione attingimus quam breviter sic efferre possumus :

Thesis X.

Conclusio.

Omnis pollutio voluntaria, immo omnis consensus plenus in pollutionem casualem, sive maris sive feminae, intrinseca et gravi malitia inficitur, et a luxuria imperfecta specifice distinguitur.

Verba conclusionis exponuntur.

Ut non nulla verba explicemus : *voluntariam* vocamus hic pollutionem quae directe seu intentione quaeratur. *Consensus in pollutionem* dicit deliberatam fruitionem

(1) Fac observes, id nullatenus a Ballerini defensum vel admissum esse, sed potius a Lecomte, *De l'ovulation spontanée*. Cf. Van Roey, *Quaestio specialis*, qui, p. 6, et nota 6, huiusmodi suspicionem explicite a Ballerini avertit.

delectationis quae pollutionem etiam casualem comitatur, seu, ut ait LEHMKUHL (1), acceptatam subortae pollutionis voluptatem.

Casualis porro est quaelibet pollutio quae praeter intentionem accidit, sive aliqua actio nostra sive nulla ei occasionem dederit.

Pollutionis voluntariae malitia probatur.

His positis, hoc brevi **argumento** efficimus primum assertum : *Omnis pollutio voluntaria, intrinseca et gravi malitia inficitur.*

Tam vir quam mulier qui se polluunt, exercent qua *singuli* actum qui communi opera ut actus speciei exercendus erat. Igitur violando essentialem suam subordinationem ad speciem, propter suam individualem delectationem, actum sua essentiali relatione ad speciem privant. Iterum itaque recurrit, sed maiore vi, cum ipse ordo naturae animalis hic pessumdetur, duplex ista gravis malitia quae in fornicatione n. 306, demonstrata est.

De consensu in pollutionem.

Alterum assertum : *Omnis consensus plenus in pollutionem casualem intrinseca et gravi malitia inficitur*, sic brevitur **probatur.**

Consensus huiusmodi non est mera intellectualis approbatio facti physiologici, sed participationem mentis affert, concursum praebet qui in ipsa commotionem delectabilem, eam augendo, influit, eamque physice mutat ; ita ut pro corporali vel partiali pollutione, iam completam habeas. Qua activa participatione ratio iterum sensu abripitur ad fruendum singulatim operatione quae solum ut ad speciem pertinens amari potest. Quare activa ista participatio gradu quidem minorem sed genere similem voluntatis malitiam atque ipsa effectio continet. Ergo, qua malitia voluntas pollutionis vitiatur, eadem generice consensus in casualem pollutionem inficitur. Quae malitia, cum inversionem ordinis essentialis dicat, necessario gravis manet.

De specifica pollutionis distinctione.

Tertium assertum, *de specifica distinctione pollutionis a luxuria imperfecta*, hac ratione evincitur :

Actus non consummati luxuriae, sicut ex parte anthropologica facile constat, dicunt *secundum* se praepara-

(1) *Theol. mor.* I, 1039.

tionem actus consummati, atque ex ordine ad actum consummatum suam moralitatem immediate hauriunt, ut, pro actu ad quem referuntur, boni sint vel mali ; dum actus consummatus immediate ex ordine ad generationem quem habet vel quo privatur bonus vel malus iudicatur. Idque est utrique sexui commune.

Ergo, quamvis concedamus actus istos ad eandem speciem completam referri, specifice tamen, sicut inchoatum et completum, initium et terminus, medium et finis, eiusdem tamen rationis genericae, inter se specie differunt.

Nitimur doctrina quam S. THOMAS (1) his verbis reddit : « Aliqua inveniuntur differre specie dupliciter : uno modo ex eo quod utrumque habet speciem completam (2), sicut equus et bos differunt specie ; alio modo prout secundum diversos gradus in aliqua generatione vel motu accipiuntur diversae species, sicut aedificatio est completa generatio domus, collocatio autem fundamenti et erectio parietis sunt species incompletae, ut patet per Philosophum (*Ethic.* l. 10, c. 4) ». Et infra: « Peccatum cordis et oris non distinguuntur a peccato operis quando simul cum eo coniunguntur, sed prout quodlibet horum per se invenitur ; sicut etiam pars motus non distinguitur a toto motu quando motus est continuus, sed solum quando motus sistit in medio ».

Confirmatio conclusionis de intrinseca et gravi malitia.

325. — Argumentationem quam de intrinseco et gravi pollutionis reatu fecimus, iam pluribus considerationibus confirmare possumus.

Ex naturae intentione.

1. Considerentur haec varia, quae *natura disposuit.* Noluit ut proles extra matrimonium generaretur : ergo etiam illi vitio adversatur quod, libidinem augens, copulis quidem sed fornicariis faveret. Matrimonio gravia onera imposuit, simul maximam utilitatem ad commune bonum ei indidit. Quare, non sine gravi causa, tam vehementem delectationem cum activa hominis generatione coniunxit. Sed quo magis voluit intensam istam delec-

---

(1) 1, 2, q. 72, art. 7 c. et ad 3. — (2) Id est unum ens individuum, quod solis notis individuantibus a multis eiusdem speciei distinguitur.

tationem adesse, eo fortius resistit ne supprimantur vel extenuentur beneficia ob quae concessa est.

2. Consideretur *logica ista illatio*. Nisi singuli actus solitarii perfecti graviter prohiberentur, ne singulae quidem copulae onanisticae gravis reatus insimulari possent. Quae enim extra matrimonium exercentur quid continent, nisi binos actus solitarios perfectus cum complicitate unius ad alterius pollutionem? Intra matrimonium, malitia specialis quam pollutio contra iustitiam tunc habet consensu partis laesae auferri potest. Malitia autem gravis contra matrimonium ipsa gravi inordinatione contra naturalem actus finem fundatur. Hanc si negaveris, copulam onanisticam, mutuo consensu peractam, gravi reatu absolvere logice cogeris. *ex consectariis,*

3. Considerentur isti *effectus morales*.

a) Exclusa iam fornicatione, si solitaria extremae voluptatis venereae prosecutio *graviter prohibetur*: *ex effectibus moralibus severitatis,*

Voluptas illa individuo nexu copulae coniugali annectitur, qua optandae propagationi generis humani consulitur; mutuum inter coniuges amorem fovet, cum alter alteri tunc iucunditatem afferat quam ab aliis exspectare nequeat; reservatur in aetatem maturiorem, qua sine detrimento corporali exercetur. Atque interea, abstinentia victrix morale voluntatis imperium mirifice auxit; atque anima, ut se viliori appetitui subtrahat, ad nobiliora studia impense se convertere fere cogitur.

Praeterea, in statu matrimoniali, ipse mutuus amor et cetera adiuncta coniuges ad salubrem et sapientem libidinis moderationem adducunt, ita ut homo non sit totus in illis, ab altioribus curis non retrahatur, partialem saltem in fortissimum appetitum reportare victoriam doceatur, atque animi vigor laeta incrementa habere non desinat.

Appetitus istius voluptatis allicit ad societatem coniugalem ineundam, quae bono communi tantopere prodest.

Abstinentia, etiam *temporalis*, in hac re, triumphum de infimis desideriis agit, quod animo robur addit et hominem ad magna efficienda disponit. *Perfecta* autem seu perpetua continentia moraliter non obtinetur nisi ex studiis sublimioribus quae societati ac generi homi-

num praestantiores quam ipsum matrimonium utilitates praestant.

Servatus ergo ordo naturalis homini et societati humanae undequaque prodest.

indulgentiae. *b*) Fac autem *immunditiam istam non prohiberi* aut non graviter prohiberi, quod in hac materia illecebrarum perinde est:

Nuptiae de se fiunt *minus appetibiles*, cum praesto sit fere aequivalens satisfactio qua plures contenti forent. Vehementia ergo concupiscentiae sua utilitate privatur per concessionem quae hominem abiectis cupiditatibus addicit.

In ipso matrimonio, coniuges ad minus perfectum matrimonii usum alliciuntur.

Satis autem est mente recogitare quae de onanismo coniugali passim circumferuntur, quam multis filiis luxuria solitaria vitam veluti in radice praecidat. Hoc sensisse videntur qui similes ausus arguebant *anticipati homicidii*. Immo, nonne ipse MARTIALIS illud agnovisse probatur, cum immanitatem huius sceleris demonstrare volens, memorat HORATIO ex uno concubitu natos esse trigeminos, et geminos MARTI, atque ita pronuntiat:

> « Omnia perdiderat, si masturbatus uterque,
> Mandasset manibus gaudia foeda suis (1). »

Ipsa demum concupiscentiae *vehementia*, homo praeceps ruit ad infima, ita ut vires quoque corporis et salutem non raro prodigat, obtenebrata et enervata mente sublimioribus studiis impar fiat (2), atque in turpe foedissimae pravitatis mancipium redigatur.

Inde ratiocinium. His praepositis, iam, ad confirmandam nostram demonstrationem, sic ratiocinari possumus.

Natura permittere nequit ut ipsa operatio quae ad bonum societatis et speciei humanae tantopere refert, in

---

(1) Citato epigrammate 42, in Ponticum, l. 9. — (2) Sunt qui miram incapacitatem ulterioris acquirendae scientiae quam plures africani nigritae a pubertate experiuntur etiam si antea alacris ingenii esse videbantur, impura phantasiae invasione explicare conantur.

damnum cedat generis humani, humanae societatis, ipsiusque agentis. Illud permittere nequit; nequit etiam illud inefficaciter tantum prohibere.

Iam vero, ex factis considerationibus patet, si facultatem dares luxuriae solitariae, hanc de se ita exercitum iri, ut pactiones coniugales minores numero coniungerentur; ut in iis minus intima unio coniuges iungeret; ut hominum multiplicatio, praesertim per copulam legitimam, deminueretur; ut adulti homines qui speciem propagant viribus infirmiores essent; ut multi se totos his turpibus darent. Atque haec omnia fierent connivente natura!

Inefficacia sanctionis levis.

Vehementia autem concupiscentiae id efficit, ut prohibitio *sub levi* practice nulla sit. Et materia manifesto notabilis est. Grave enim est ut genus humanum pluribus legitimis filiis privetur. Immo unius vitae iactura vel suppressio est quidpiam momentosum, teste S. Thoma, sic ratiocinante: « Ex uno concubitu potest unus homo generari. Et ideo inordinatio concubitus quae impedit bonum prolis nasciturae, ex ipso genere actus est peccatum mortale ». 2, 2, q. 154, art. 1 ad 6.

Ceterum, ut observat Sporer (1), perpendendum non est quid semel *facta*, sed quid semel *licita* pollutio damni inferret.

aut exceptionibus circumscriptae.

Neque ipsa gravis prohibitio satis efficax foret, si non esset *perpetua*. Si enim post certum tempus, in certo statu, operatio ista excusaretur, homines, ex ipsa spe talium adiunctorum, motiva haurirent interea abstinendi matrimonio vel actu coniugali, aut obtinendi, etiam per nefas semel commissum (2), statum illum in quo sine gravi peccato usus onanisticus indulgeretur; aut non se emendandi a peccato cuius actus postmodum liceret; sicut nunc cernimus homines qui, spe dispensationis deinceps possibilis, invalida foedera nuptialia contrahunt, v. g. cum parte quae, facto divortio civili, legitimum coniugem deseruit.

Summa haec est: Si *bonum tutandum* consideremus,

(1) *Theol. sacram.* p. 4, c. 3, s. 5, n. 640. — (2) V. gr. per abscissa ovaria vel suppressos canales oviductus.

valent haec dicta a S. Thoma : « Quanto aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet ut circa illud rationis ordo servetur ; unde, per consequens, magis est vitiosum, si ordo rationis praetermittatur. Usus autem venereorum, sicut dictum est, est valde necessarium ad bonum commune quod est conservatio generis humani ; et ideo circa hoc maxime debet attendi ordo rationis ». (2, 2, q. 153, art. 3.)

Si vero *periculum abusionis* consideres : ob maximam propensionem ad illam libidinem et indolem huius concupiscentiae, quae usu acuitur, quaelibet in hac re concessa licentia extra matrimonium effraenatam libidinem de se infert.

Ego, ex utraque parte, *grave* naturae vetitum postulatur. Agitur autem hic de luxuria quae magis quam graviter illicita fornicatio ab ordine recedit. Cf. S. Thomam, 2, 2, q. 154, art. 4.

Difficultates solvuntur.

326. — IV. Ad difficultates quod attinet, ipsa nostra demonstrandi forma eas amputavit quae vel ex copula certo sterili, ex permisso caelibatu petuntur, vel argumenta impetunt quae ex frustratione seminis humani, ex annexa delectatione, ex consectariis quod ad matrimonium et hominum multiplicationem, minus feliciter depromuntur.

Nec validiora contra nostram positionem sunt binae istae :

1. Quod natura operatur nequit intrinsece malum esse. *Atqui* post stata intervalla, ipsa natura pollutiones efficit. *Ergo* pollutio non est semper seu intrinsece mala.

Resp. Dist. mai. Quod natura operatur nequit esse malum quatenus fit a natura, *conc.* Quatenus voluntarie ab homine, *nego.* Sic ex lege naturae morimur ; suicidium tamen est intrinsece illicitum. Quid, quod physica ratio pollutionis factae a natura ab ea quae fit a voluntate differt ? Natura enim pollutionem efficit quam incompletam dicimus; voluntate autem fit pollutio pleno sensu psychologica. Cfr. n. 322.

2. Saltem consensus in istam pollutionem non est malus, cum res non sit mala.

Resp. D. Consensus, i. e. approbatio speculativa et

nullatenus libidinosa, non est mala, *conc.*, vel *transm.* Consensus, i. e. activa participatio, seu acceptatio voluptatis non est mala, *nego.*

Instant. Ipsa acceptatio delectationis non est mala, namque est delectatio operis boni.

Resp. Nego assertum; ad eius probationem : Est delectatio operis physice boni, *trans.*; operis moraliter boni : nego suppositum, namque pollutio naturalis extra ordinem moralem versatur. Iam vero, bona delectatio ea est quae operationem *moraliter* bonam comitatur.

Sin aliter, gaudium de morte cuiuslibet hominis, etiam patris, bonum foret.

III. — *Factae demonstrationis corollaria.*

Corollaria.

327. — Ex demonstratione et argumenti genere plura colligere licet.

Pollutionis malitia essentialis.

1. *Essentialis* malitia pollutionis neque in iactura seminis, neque in delectatione coniuncta, sed in separato usu completo facultatis generativae reponenda est. Quod etiam ex 2. 2. q. 153, art. 3 hauriri poterat. Optime ergo, ut observat R. D. VAN ROEY (1), ab Ill.° D.no WAFFELAERT pollutio (moraliter considerata) definitur : *Usus completus membrorum genitalium extra concubitum.*

328. — 2. Ubicumque usus ille habetur, pollutio eiusdem rationis specificae agnoscenda est.

Quid supponat.

Usus ille completus supponit in masculo erectionem cum iaculatione seminis (saltem late dicti, etiam ergo si desint nemaspermata) ; in femina vero istas vaginae contractiones et motus cum distillatione, quae orgasmum comitantur. Immo sitne ipsa feminae distillatio necessaria : id dubitari potest.

Itaque, ut consequenter dicamus :

Inde quaenam pollutiones eiusdem, quaenam diversae speciei sunt.

a) Pollutio *viri* et *mulieris* specie non differunt. Haec est communis opinio, a qua LEHMKUHL, I, 1039, ut sibi constet, recedere cogitur. Sed id ipsum prodit defectum eius explicationis. Si essentia pollutionis ex frustrato se-

(1) *Quaestio specialis*, p. 5.

mine ad generationem necessario repetenda foret, femina logice dicenda esset pollutione carere, seu, ut animadvertit R. D. Van Roey (1), per suam ementitae rationis pollutionem non peccare contra naturam.

Quare persona quae actum completum accusat de suo sexu interroganda non est.

b) Non ideo tamen accedentem istam gravitatem pollutionis masculinae propriam, negamus, quam ipse Forel (2) sic notat: « La perte séminale par la masturbation a chez l'homme quelque chose de particulièrement déprimant, car elle manque son but ».

Pollutio *iuvenis* et *senis*, *puberis* et *impuberis* qui tamen copulae capax sit; et *eunuchi*, quamdiu copulae capax maneat, specie inter se non differunt. Sic etiam communis habet sententia, contra Noldin (3), et quosdam alios. Ballerini (4) vero pollutiones senum, impuberum, eunuchorum (quatenus semen inutile effundant) ad actus impudicos reducit, ita ut practice de exteriore actu completo interrogari non debeant. Sed cfr. dicenda infra de affectu, n. **332**, et **337**.

c) Ab illis pollutionibus specie differunt pollutiones *infantium*, *impotentium* qui, deficiente erectione (5), copulae capaces non sunt. Quamvis quempiam humorem emittant, actus imperfectus esse cernitur. Itaque si actus pravos confitentur, confessarius de actibus completis et incompletis distinguendis sollicitus esse non debet. Cfr. tamen quae infra de effectu actus completi scribimus, n. **332**.

Estne seminis expulsio aeque ac pollutio intrinsece mala?

329. — Cum completa pollutio, et quidem qua operatio et non tantum qua delectabilis, intrinsece mala sit (6), ne ad vitam qui-

---

(1) *Quaestio specialis*, p. 19, in nota. — (2) *La question sexuelle*, 9e édit. p. 235. — (3) *De sexto* n. 29, et sequitur ex notione quam dat pollutionis: hanc duplici elemento componit, delectatione completa, in qua essentia peccati consisteret, et frustranea seminis effusione contra ordinem naturae, quae specificam malitiam adderet. Haec nobis non probantur. — (4) *Opus theol.* tom. II, n. 1028. — (5) Qui praenimia caliditate impotentes sunt veras pollutiones experiuntur, ut manifestum est. — (6) Modus nostrae demonstrationis, ex ipsis notis pollutionis depromptus, id manifestum efficit.

dem servandam (etiam, ut videtur, contra atque insinuat ALBERTI, *De sexto*, etc. n. 57 fine, remoto sensu libidinis), si casus accideret v. g. ut semen morbidum aut corruptum expellendum foret, hominem sibi hanc pollutionem procurare liceret. Ficticium istum casum bene itaque solvebant auctores, quamvis infelici suo argumento impedirentur quominus rem clare probarent. Semen, sic ratiocinabantur, ad solam speciem multiplicandam nobis datum est; quare omnis administratio seminis nobis erepta est. Cuius rationis falsitatem SANCHEZ (1) bene perspexit. Quo pacto enim demonstraretur obligatio asservandi, cum periculo vitae, semen corruptum, generationi inutile immo damnosum, quod proin ad speciem multiplicandam nullum iam ordinem habet? Quid prohibet quin expellatur? Quare SANCHEZ rationem istam, allegando periculum allucinationis, perpolire et perficere conatus est.

Verum prohibitio pollutionis non est prohibitio effundendi semen sed utendi facultate generativa seu membris genitalibus. Quocirca, etiam ad explicandum cur ad vitam salvandam liceat abscindere ipsos testiculos quibus semen conficitur dum semen expellere vetemur, confugiendum non est ad subtilem distinctionem qua utitur LESSIUS: quia testes (seu testiculi) « sunt partes corporis, proinde de illis sicut de aliis partibus corporis disponere possumus. At semen proprie et vere non est pars corporis, nec propter illius bonum est institutum, sed prolis procreandae causa (2) ». Simplicius dicemus: cum nullus usus positivus sive testium sive seminis ad bonum speciei nunc praecipiatur, ob proportionatam causam et testes amputare et semen alia via ac pollutione expellere aeque licebit.

Potestne pollutio nocturna desiderari?

330. — 4. Pollutio naturalis, quae per somnum, in aetate adulta, interdum (3) iuveni vel viro caelibi accidere solet, *obiective* in nullam reprehensionem incurrit. Hoc iam cum SANCHEZ (4), LESSIO (5), BUSEMBAUM (6), plerique te-

(1) *De matrimonio* l. 9, d. 17, n. 15. 16. — (2) LESSIUS, *De iustitia*, etc. l. 4, c. 3, d. 14, n. 96. — (3) Quotiens? Id pro aetate, pro corporis temperamento, pro moribus, pro anni partibus variare solet. Ut pollutio iuvenibus bis in mense accidat omnino moderatum est. Sunt autem qui rarius, alii qui frequentius v. gr. singulis hebdomadis, eam experiuntur. Sunt quoque apud quos occurrit pluribus diebus continuis, a quibus dein nova pollutio maiore intervallo distat. De insolita frequentia, praesertim quae corpus fatiget, quempiam minus capacem ad laborem reddat, bonus medicus utiliter adibitur. Cfr. supra n. 32. — (4) *In Decal.* l. 1, c. 2. n. 19. — (5) *De iustitia*, etc. c. 3, n. 104. — (6) *De sexto praecepto et nono*, sub dub. IV.

nent (1), contra quosdam qui ibi quidpiam inordinatum deprehendunt (2). Quare eam simplici affectu desiderare propter commoda quae eam sequuntur, et de illa subsecuta gaudere licebit, cavendo tamen a praesenti libidinis excitatione.

per medium efficax intendi?

Licetne autem illam voluntarie, apto medio, procurare? Ut quaestionem illam prudenter solvamus, observandum est illam pollutionem in somnis sine delectatione sensus et commotione corporis non accidere. Cfr. SANCHEZ (3) et ipsum S. THOMAM, qui, sic iam rem explicat « Cum humor seminalis superabundat... *somniat* dormiens ea quae pertinent ad expulsionem huiusmodi humoris abundantis (4) ».

Quare qui illam directa intentione vult, intendit pollutionem non tantum vitae vegetativae sed etiam sensitivae et sic mente perficit ipsam pollutionem. Praeterea naturalis iam dici nequit pollutio quae definite voluntaria est tunc cum nihil manifestat a natura productum iri. Id itaque non magis licet quam cuipiam fas foret per voluntarias pollutiones diurnas nocturnas supplere. Optime igitur LESSIUS scripsit : « Nullo modo fas est illam (pollutionem nocturnam) procurare aut aliquo modo ad illam iuvare, aut aliquid eo fine ut eveniat facere (5) ».

Verum si quis homo caelebs emissiones spontaneas nocturnas difficiliores aut rariores expertus sit, et ideo male per diem nervose affectus sit, potest tuta conscientia aptam medicinam sumere, non quidem ut definitam quandam pollutionem obtineat, sed ut egestus in genere facilior reddatur. Nihil enim aliud directe efficit quam corpus suum ita temperare, ut natura regulariter agere possit.

Commendatio, oboriente pollutione nocturna.

331. — 5. Cum de ipsa seminis conservatione nulla sollicitudo habenda sint, probamus omnino commendationem factam a CAPELLMANN (6) ubi de pollutione nocturna agit : « Si spasmus et excitatio genitalium aliquanto deminuta est (antea enim plerumque fieri non poterit) vehementer

---

(1) Cfr. VAN ROEY, *Quaestio specialis*, p. 26, nota 4. — (2) Ibidem. — (3) L. c. n. 20. — (4) 2, 2, q. 154, art. 5. — (5) L. c. n. 104, 105. — (6) *Medicina pastoralis, De sexto praecepto*, II.

commendo ut (qui expergefiunt dum pollutionem patiuntur) statim vesicam exonerent (mingendo). Vesica enim adimpleta premit atque irritat vasa seminalia; quodsi vesica erit exonerata, irritatio semper valde minuetur ». Ista quidem actione, aliqua pars seminis citius expelletur, sed processus pollutionis citius abrumpetur, et nullus fit usus venereorum: quod solum vitandum est.

Pollutio affectiva.

332. — 6. Qui, sive vir sive mulier, sive impuber sive puber, sive potens sive impotens, casu vel per se vel per accidens usum completum frustra quaesierit, ita ut satiativae delectationis, quae usus completi *signum* est, expers fuerit, *affectu* quidem peccatum pollutionis committit, quod grave est; *effective* autem seu externe consummatae luxuriae non est reus.

Verum practice id interest inter impuberes, maxime quamdiu ab aetate pubertatis satis distent, et eunuchos, maxime qui sero castrati sunt, quod impuberes, qui nec copulam nec veram pollutionem sunt experti, ob ignorantiam suam in tactibus impudicis ab illo affectu potius immunes praesumentur, dum affectus ille in impuris conatibus eunuchorum facillime adesse censetur. Cfr. LEHMKUHL, I, 1039, 3. 4.

Quandonam mulier pollutione peccasse censenda est?

333. — 7. Mulier quae libidinosam satietatem experta est verum pollutionis peccatum admisit. Nec refert utrum necne effusio ista humoris vaginalis affuerit quae plerumque adest quidem, ad essentiam tamen peccati non pertinet. Aliter tamen alius de hac re dixerit (1).

Sed practice certum est a femina quae satietatem confessa sit nullam de effusione humoris quaestionem ponendam esse. Cfr. NOLDIN. *De Sexto*, n. 30 (2).

---

(1) V. g. BUCCERONI, *Institutiones*, Pars prima, vol. I, n. 813, collato cum 811. — (2) Observes, in hac re, quod interest inter BALLERINI et NOLDIN. BALLERINI, si a femina proprie dicta pollutio abiudicanda sit, omnia venerea eius propria ad actus imperfectos redigit; dum NOLDIN, etiam tunc actum completum ab actibus incompletis separat. Ipse enim distinguit specie actus incompletos, actum completum i. e. delectationem venereamm completam, et pollutionem, quae effusionem seminis (late dicti) superaddit. Cfr. 29, 3°.

IV. — *Conexa scholia; praecipue specificae pollutionis varietates.*

Quid inter nostram demonstrationem et aliorum interest?

334. — I. 1. **Demonstrationis ratio.** Rationes illae *extrinsecae* damni, periculi allucinationis, etc. quibus hodie non pauci *intrinsecam* et *gravem* omnis pollutionis malitiam demonstrare tentant, a nobis, in probatione, allegatae sunt ad conclusionem corroborandam, et ad confirmandam fiduciam illam qua persuasum habemus, ordinem a Deo sancitum ad bonum commune et singulorum plurimum interesse. Et quia per illas considerationes thesim mere confirmamus, non requiritur ut stricte universam rem efficiant, sed satis est, ut, ex luce affusa, de veritate completae concordiae inter ordinem statutum et boni communis exigentias, rationabiliter non esse dubitandum demonstrent.

Quaenam sanctio efficax aestimanda sit.

2. Porro, quando loquimur de necessitate **efficacis sanctionis**, efficaciam non eam intellegimus qua peccata re vera impediantur: constat enim in praesenti plurima omnis generis peccata luxurioe committi; sed efficacem ponimus sanctionem, quae talis est ut electio peccati stultissima appareat, ac propterea a pluribus etiam hominibus fugiatur, ita ut Auctor naturae nullatenus ob aliquam sanctionis exiguitatem cum peccato connivere videatur.

Quid ad speciem dandam influat subiectum agens,

335. — **Specificae pollutionis variationes.** 1. Ex subiecto agente seu circumstantia **quis**, specie differunt pollutio personae *solutae*, pollutio personae ligatae *voto*, pollutio personae *coniugatae*. Pollutio enim est quoque, minus tamen quam adulterium, matrimonio iniuriosa. Has itaque qualitates confessarius scire debet.

voluntarietatis ratio,

336. — 2. Ex **voluntarietate**, specie differunt pollutio directe *voluntaria* seu quaesita, et pollutio *casualis cui consentitur*: quia in pollutione casuali actus exterior culpandus non est. Excipe si quis obortam pollutionem augere voluerit: is enim voluntariae pollutionis fit reus (Lehmkuhl) I, 1039, 1).

affectus.

337. — 3. Pro vario **affectu**, variae malitiae internae ad similem actum exteriorem accedunt.

Inde distinguenda est:

Pollutio *simplex*, ex generali, non definito delectationis venereae appetitu, vel etiam sine expresso huiusmodi appetitu, ut si quis ad sedandam diuturnam excitationem, atque ipsam delectationem repudiando, pollutionem excitaverit. Repudiatio illa non impedit quin pollutio imputetur; erit tamen simplex, immo minus

gravis (in eadem tamen specie) ac pollutio propter voluptatem quaesita. Perinde dicas de pollutione quae, ex vera vel ex falsa existimatione, sanitatis causa procuretur.

Pollutio cum affectu *fornicario* ad alterum sexum sive in genere, sive ad definitam alterius sexus personam.

Pollutio cum affectu *sodomitico*, qui iterum vel eundem sexum in genere vel personam determinatam respicere potest.

Pollutio cum affectu *bestiali*, quo ab ipsa specie humana perversa libido recedit.

Pollutio cum alio *perverso affectu*, v. gr. ad personam mortuam, qua talem (*necrophilia*).

Pollutio cum *desiderio inefficaci* copulae vel alterius peccati.

Specialis malitia affectus in comitante imagine phantastica prodi consuevit.

Si affectus fuerit *simplex complacentia*, actus iis tantum malis notis inficitur, in quibus voluntaria complacentia posita est.

Si autem *desiderium* fuerit, malitiae quas qualitas personarum: sacrarum, cognatarum, etc. affert, necessario adduntur, nisi a desiderio condicionato affectus isti excludantur.

Plerique peccatores specificationes istas ignorant; de iis tamen utiliter interrogari vel moneri poterunt, si spes habeatur futurum esse ut inde a peccato magis alieni fiant.

Participatio alterius personae.

338. — 4. **Tactibus** procurata pollutio, ut sic, propter scandalum et alterius personae complicitatem, accusanda erit. Qui vero se polluat tangendo personam inconsciam v. g. dormientem, aut turba permixtam, per se simplicem pollutionem commiserit (1).

Quaesiti vel admissi tactus, v. g. pueri, puellae, varios pravos affectus facile praeterea produnt; vel, pro qualitate personarum, pro officio quo funguntur, alias malitias contra pietatem vel aliam virtutem continent.

In loco sacro.

339. — 5. Contra atque ante Codicem dicendum erat, pollutio voluntaria non iam violat ecclesiam (Cfr. c. 1172). Ut ergo *grave* sacrilegium *locale* constituat, leve enim in omni peccato gravi et externo inest, — oportet ut *sanctitati loci*

(1) S. Alphonsus, l. 3, n. 467.

specialiter de se repugnare demonstretur (1): specialiter, idest plus quam alia peccata gravia. Id quidem haberi communior sententia affirmat (2). Eius tamen veritas nos fugit. Luxuria ad proprium corpus non autem ad locum ubi fit de se refertur. Quare, nisi ex publica ratione qua fit, vel alterius cooperatione, ut in fornicatione, formalem loci sacri contemptum et impietatem sapiat, gravem **sacrilegii localis** ab illo actu, et multo magis ab actibus imperfectis abesse arbitramur. Nostra sententia, magis quam secreta pollutio, secreta blasphemia sanctitati loci repugnat: blasphemia enim directe opponitur cultui cui locus dicatus est. Nobiscum, ni fallimur, dixerint VASQUEZ (3), DE LUGO (4), cum ex dispositione iuris qua isti actus locum sacrum polluebant, gravem localis sacrilegii, quae completo venereae facultatis usui tunc inerat, repetant.

Modus. 340. — 6. **Modus** quo pollutio perficitur speciem per se non mutat.

Eiusdem igitur speciei erunt pollutiones *mentales* seu quae obscenis phantasmatibus procurantur, et pollutiones quae manu, compressis cruribus, contactu rei physicae, opera animalis, immo contactu personae viventis sed rei nesciae, ut *non raro* in conferta multitudine accidit, quaeruntur.

Eiusdem etiam speciei erit pollutio *nocturna*, apto medio per diem quaesita, et pollutio *diurna*. Si medium ineptum vel incertum usurpetur, affectu potius quam effectu peccabitur.

Sed attendendum est ad affectum qui modo adhibito saepe manifestatur.

Locus corporis 341. — 7. Nec **locum corporis** cuius excitatio pollutionem induxerit distinguere oportet. Itaque sive clitorina, sive vaginalis, sive uterina, sive papillaris fuerit, masturbatio feminae eiusdem erit rationis.

342. — Restat demum ut **gravitatem** completae pollutionis aestimemus.

1. Si mere ad *luxuriae genus* attendamus, cum homo

---

(1) BUCCERONI, *Inst. theol. mor.* t. 1, n. 495. — (2) Cfr. BALLERINI, *Opus theol.* tom. 2, n. 397-413. — (3) In 1, 2, d. 90, c. 3, n. 6. — (4) *De Paenitentia*, d. 16. n. 464.

qui se polluit, exteriore suo actu ab ordine naturae magis recedat, pollutio fornicationem gravitate superat.

2. Reatum tamen simpliciter minorem habere dicenda est. Accedunt enim, in fornicatione, periculum inordinatae generationis, reatus peccati alieni (ob complicitatem), audacia et maior obstinatio voluntatis, quae pudorem contemnit ut turpe consilium aperiat, quae vincit difficultates ut complicem inveniat.

A pollutione autem affectus contra naturam saepe abest; immo non raro affectus secundum naturam in illo peccato servatur, ut cum, deficiente fornicationis occasione, pollutionis peccatum committitur. Iam vero dispositio voluntatis principale peccati elementum suppeditat.

N. B. De pollutione *indirecta* seu imputabili in causa, cfr. ubi de luxuria indirecta.

§ 2. — *De aliis pravitatibus completis contra naturam.*

I. — *De Sodomia.*

Sodomiae notio theologica,

343. — Sodomia, *libidinosus concubitus duorum eiusdem sexus* definitur. Homo qui hac ratione naturam violat, sexu proprio delectatur. Quae fruitio corporis alieni sed eiusdem sexus, est sodomiae *theologice* essentialis. Supponit autem *concubitum*; seu applicationem unius corporis ad alterum, quamvis nulla penetratio organi sexualis in vas quodpiam requiratur. Completur autem sodomia, quando, in isto concubitu, agens satiativam delectationem obtinet, sive, facta penetratione, semen in vas alterius eiciat, sive mere intra crura aut in corpus externe effundat, sive nullum semen effundat, ut per se fit quando res inter mulieres agitur.

canonica.

2. Ad *canonicam* autem sodomiae perfectae rationem effusio in podicem pertinere videtur. Quare, quando non omne peccatum contra naturam cum alio patratum, sed *sola sodomia* reservatur, peccatum reservatum intellegitur ita perfectum ut alterius vas semen vel quasi semen ab altero effusum receperit. Quod vix inter feminas accidere potest.

Varietates specificae.

344. — 2. **Specificae** varietates.

a) Circumstantiae *voti*, *cognationis*, *vinculi coniugalis* malitia sacrilegii personalis, incestus, adulterii, addent.

De sacrilegio *locali*, redit observatio facta n. **314.**

b) Circumstantia *agentis* aut *patientis* speciem actus exterioris non mutat nec per se declaranda est. Patiens olim proprie dicebatur *pathicus* vel *mollis* (cfr. 1 ep. ad Cor. 6, 10).

In patiente tamen facilius quam in agente affectus perversus deesse potest.

Accusatio.

Quare etiam qui passivas partes declaret, praeterea aperire debet utrum necne ipse pollutionem expertus sit.

Contra, qui se fatetur *agentem*, pollutionem suam iam tacite confitetur; ei solam alterius pollutionem, cuius sua actione necessario complex fuit, accusare expresse debet.

Inter *feminas*, partes et commotiones potius aequales praesumi possunt, ita ut de pollutione interrogandae non sint.

Quid paederastia?

c) Cum puero commissa turpitudo ista speciale *paederastiae* nomen sortitur. Et quia puer consensus incapax est, moralis malitia stupri facile tunc accedit. Sic peccans dicebatur *paedico* vel *paedicator*.

Quo abominando vitio paganismus adeo infectus fuit, ut pueri ad turpia ista instituerentur, vel servi, etiam peracta castratione, destinarentur et venumdarentur.

Stupratio oris, etc.

345. — 3. Ipsa oris stupratio vel *irrumatio* (1), idest pollutio in ore alterius masculi peracta, mere *affectum* sodomiticum per se prodit, sicut in ore feminae affectum fornicarium per se manifestaret. S. Alphonsus, l. 3, n. 466.

In praepostero feminae vase peracta, nomine sodomiae imperfectae insigniri consuevit. Sed affectus attendendus est, qui saepe erit mere fornicarius, sicut cum in ore perficitur. Cfr. dicta supra 269.

Mutua pollutio.

346. — 4. *Mutua* denique *pollutio* per solos tactus, v. gr. manuum, est per se duplex mollities, ad quam affectus sodomiticus accedere potest.

---

(1) Idem nomen servatur quando abest pollutio. Cfr. S. Alphonsum, l. 6, n. 935.

II. — *De Bestialitate.*

347. — **Bestialitas** est concubitus seu *coitus cum bestia.* *Bestialitatis notio moralis,*

1. Ad *moralem* infamis istius peccati essentiam, opus est ut peccans bestiae corpore frui voluerit. Quod in abusione bestiae grandioris regulariter habebitur.

Sed cum quis minores bestia, utputa gallina, abutitur, fieri facillime potest ut bestiam eodem modo quo rem inanimatam quasi instrumentum pollutionis, propter imitationem organi feminei quaesitum, assumpserit. Tunc, morali aestimatione, pollutio cum affectu fornicario commissa esse nobis videtur; nec circumstantia bestiae, magis quam circumstantia rei inanimatae declaranda est.

2. Ad *canonicam* peccati essentiam, quando ipsa bestialitas *reservatur* nec severius quidpiam declaratum fuerit, *requiritur* et *sufficit concubitus copulae consummatae.* *canonica.*

3. Nec moraliter nec canonice refert cuiusnam generis vel sexus bestia fuerit.

Olim quidem congressus cum bestia alterius sexus periculum monstruosi partus creare putabatur, sed res hodie explorata est, nullum partum timendum esse.

III. — *De aliis congressibus innaturalibus.*

348. — 1. Olim recensebant etiam *congressum cum daemone* succubo vel incubo, qui, praeter affectum ad personam quam daemon figurabat, speciem *contra religionem* per se adderet. *Congressus cum daemone,*

Hoc unum in naturali potentia daemonis esse videtur ut, etiam sub figura cuiuspiam personae humanae vel cuiuspiam animalis, allato vero semine humano, fecundationem quandam artificialem peragat. De natura perfecte humana prolis, si qua nascatur, dubitari non potest.

Nullum vero hodiernum factum huiusmodi narratur.

2. Aliae autem perversiones contra naturam observatae sunt: eorum v. gr. qui cum femina mortua vel occisa (infra eius viscera) concumbunt.

[344-348.]

Variae istae perversi appetitus enormitates nomine proprio carent, ita ut indicata facti substantia accusandae sint. Si quis vero, excludendo sodomiam et bestialitatem, indicet a se copulationem contra naturam factam esse, hac etiam ratione luxuriam satis declaraverit, nec, inter istos excessus, gradus recessus a natura distinguendi videntur.

Assentiri non possumus ALBERTI (1), qui in copula cum cadavere, simplicem pollutionem agnoscit. Quamvis enim cadaver stricte nec homo nec bestia sic, peccans tamen eo non utitur sicut instrumento, sed afficitur ad ipsum tamquam ad hominem *mortuum*. Ceterum ipsa copula cum statua, si verus affectus sit ad *statuam*, non fuerit simplex pollutio,

IV. — *De comparata peccatorum gravitate.*

Comparata gravitas istarum perversitatum et fornicationis.

349. — 1. Propter maiorem recessum a natura, *bestialitas* (2) est ex iis quae nomen proprium habent pessimum luxuriae peccatum, quamvis *affectus* seu voluntas concumbendi cum *daemone* gravissimam malitiam contra religionem contineat.

Sodomia autem fornicatione peior est.

Atque enormitas tanta est, ut defectus complicis et prolis in bestialitate, vel solius prolis in sodomia, illam compensare nequeat. Alio modo, sicut vidimus, n. 342, res in pollutione se habent.

2. Quo modo autem de fornicatione *simplici* et de fornicatione *onanistica* inter se comparatis dicendum erit?

Res nobis ex *affectu* aestimanda videtur. Qui copulam onanisticam eligit ut minus mulieri noceat, minus perverso affectu ducitur quam qui onera mulieri ex partu subeunda contemnat, ut sibi plenius satisfaciat.

Qui vero voluptatem sine onere quaerunt, magis peccabunt quam qui conexa onera resignato animo ferre statuunt, ut secundum naturam agant.

---

(1) *De sexto et nono*, n. 58. — (2) S. THOMAS, 2, 2, q. 154, art. 12; S. ALPHONSUS, l. 3, n. 474; LEHMKUHL, I, 1047, et omnes

350. — Facta demonstratione perspicitur actus imperfectae luxuriae ab actu completo specifice distingui, quando in iis sistitur; sed si cum actu perfecto coniungantur, actus isti imperfecti, qui ad eandem speciem completam pertinent, *unum*, secundum principia generalia, cum specie tum numero peccatum constituent. Ratio enim distinctionis specificae tota in separatione ab actu completo nitebatur. Coniunctio hanc distinctionis rationem tollit, « sicut pars motus non distinguitur a toto motu, quando motus est continuus, sed solum quando motus sistit in medio ». S. Thomas, 1, 2, q. 72 art. 7 ad 3).

Numerica distinctio actuum imperfectae luxuriae et actus perfecti.

CAPUT. II. — De usu incompleto facultatis venereae extra matrimonium, seu de luxuria imperfecta.

Articulus I. — Notiones communes omnis luxuriae imperfectae.

351. — *Notio et divisio.*

1. Luxuria *imperfecta* esse potest sive quia *nullo actu exteriore* completur sed in mente seu voluntate quodammodo retinetur, sive quia *actus exterior* ad terminum suum naturalem non perducitur.

Notio luxuriae imperfectae interioris et exterioris;

Luxuriam posteriore ratione imperfectam, vocamus quamlibet satisfactionem non plenam appetitus venerei, extra matrimonium quaesitam vel admissam; seu quemlibet de se *non satiantem* motum venereum a voluntate effectum vel acceptatum.

Supra, n. 28, motum venereum descripsimus delectabilem exteriorum partium sexualium immutationem, ac monuimus non nimis id urgendum esse ut delectatio in ipsis organis sexualibus sentiatur; quocirca motum venereum experiri eum qui ex obscena phantasia patiatur erectionem, quamvis erectio in se nihil voluptatis continere ipsi videatur.

2. Venerea porro satisfactio potest esse *quaesita* seu *voluntaria*, quam voluntas elegerit vel intenderit;

quaesitae vel admissae vel permissae, idque passive vel active.

Admissa seu *acceptata*, quam, aliunde obortam, voluntas assensu suo amplectitur.

Mere *permissa*, quae nec electa nec intenta oritur et cui voluntas positive non adhaeret, quamvis eam non impediat vel non vitet.

Permissio enim *passiva* aut *activa* esse potest: passiva quidem, quam ex aliis causis alienis manare sinimus; *activa*, quam ex propria actione nostra, praeter tamen electionem et intentionem nostram, ut effectum vel certum vel veri similem, secuturam esse praevidemus, neque ideo actione abstinemus.

Cum permissione conectitur quaestio de luxuria indirecta, quae proprio loco agitanda est.

Quid, de divisione secundum et contra naturam?

3. Divisio actus *secundum* et contra *naturam*, saltem si de actu exteriore agitur, hic recurrit. *Affectus* enim potest naturae obsequi vel adversari; verum actus exterior imperfectus in se neutrum dicit; sed ex fine agentis, ex actu perfecto ad quem refertur, id aestimandum erit. Cfr. Van Roey, *Quaestio specialis*, p. 17, fine.

Quid constet. Sententiae de gravitate peccati.

352. — *Intrinseca* malitia directe quaesitae vel admissae voluptatis venereae extra matrimonium inter catholicos non controvertitur: omnis affectus venereus, omnis motus venereus directe quaesitus vel admissus, est luxuriosus, i. e. vitiosus seu extra medium castitatis.

Celebris autem quaestio de perpetua eius *gravitate* mota est; de qua tres potissimum sententiae prodierunt.

Prima *sententia*, cuius defensores ad superiorem potius aetatem pertinent, alios motus venereos *graves*, alios *leves* esse putant, pro minore vel maiore distantia qua a perfecta satisfactione separentur. Sic Sanctius (1), Cardenas (2) et plures alii. Ut hanc sententiam propius explicaret, auctor quidam modicam aestimavit declarationem quae octavam partem perfectae non attingeret. Ipse S. Antoninus verba quaedam habet (3) ob quae Thomas Sanchez eum ab hac sententia non alienum fuisse iudicat. Sanchez ceterum fatetur eandem sententiam sibi aliquando

(1) *Selectae disputationes*, d. 21, n. 19 in fine. — (2) *Crisis theol.* tr. 5, *De castitate*, d. 45, c. 7. — (3) 3 p. tit. 16, c. 1, § 10, Notab. 1.

non displicuisse. Sed, sic ipse : « Re bene considerata rationibusque perpensis, tamquam certissimum tenendum iudicamus, nullam reperiri parvitatem materiae in delectatione venerea (1) ».

Altera itaque sententia delectationes venereas ex toto genere graves esse docet. Sic SANCHEZ (2), Ill. D. WAFFELAERT (3), et plerique hodierni.

Tertiam sententiam sic verbis reddit et propugnat DE MOYA (4) § 9 : « In rebus venereis non datur moraliter et practice parvitas materiae, physice vero et speculative loquendo negari non potest ».

Teste Ill. D. WAFFELAERT, prima sententia nondum a S. Sede damnata est, vel reiecta ut improbabilis.

Exstat quidem prop. 40 « ut minimum tamquam scandalosa » proscripta ab ALEXANDRO VII, 18 mart. 1666 : « Est probabilis opinio quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis ». Sed iam proscribi potuit eo quod nec inter osculum momentaneum et protractum, singulare et repetitum, nec inter modicam et notabilem delectationem, ullam distinctionem faceret. Quare vis istius propositionis, quae, ceterum, mere tamquam scandalosa reicitur, facile effugitur. Praeterea de sola delectatione *quaesita* sermo in ea fit. Delectatio mere admissa non attingitur.

ANNO 1612, P. AQUAVIVA, Praepositus Generalis S. I. prohibuit religiosos S. I. quominus ut *tolerabilem* admitterent (nedum ut veram aut probabilem) sententiam quae asserit (extra matrimonium) in delectatione venerea, *deliberate quaesita*, materiam levem haberi posse. Quod praeceptum a Congregationis Generalis nonae decreto 24 ad *deliberate admissam* delectationem extensum est.

Nihilominus postea, 15 ian. 1659, Revisores Romani S. I. ad provinciam Gallo-Belgicam responderunt : « Vir doctus qui se accusat de venereis tamquam de peccatis sua opinione (quam non vult deserere) solum venialibus ob levitatem materiae, (nonobstante decreto citato) a confessario Societatis absolvi potest et debet ».

---

(1) *De matrimonio*, l. 9, d. 46, n. 6 et 9. Retractatio autem ista prodiit in Lugdunensi editione, a. 1654. Cum vero SANCHEZ a. 1610 obierit, haec retractatio aliena manu facta est. Quae autem *In Decalogum* l. 5, c. 6, n. 12, legitur, spontanea fuisse non probatur. — (2) *In Decal.* l. 5, c. 6, n. 12. — (3) *De virtutibus cardinalibus*, n. 191. — (4) Tr. 6, Miscellanea, d. 2, *De peccatis*, q. 2, § 3.

Sic responderunt, ob sententiae benignioris probabilitatem *extrinsecam,* quam *tunc* negare non poterant.

Ab eo tamen tempore, adeo invaluit sententia quae, saltem in luxuria directa, nullam parvitatem materiae admittit, ut « externa illa probabilitas quam opinio parvitatem materiae in re venerea defendens olim habuit, vim suam exercere amplius plane non possit (1) ».

In tertiam vero sententiam nulla reprehensio incurrit.

Argumenta allata pro sententia benigniore,

Agedum, auditis sententiis, de eorum argumentis quaedam notanda sunt.

Benignior sententia, ut per se patet, facili hac ratione utitur, esse etiam actionis graviter malae parva initia quae, in se volita, venialia haberi consueverunt. Sic ira, ab ipso Domino, tamquam initium homicidii corripitur. Nemo tamen omnem iram sub gravi fugiendam esse contendet.

pro severiore,

Ad severiorem sententiam probandam, duplici potissimum via uti solent.

Alii hoc afferunt argumentum quod auctoritate S. Thomae (2) munitum existimant: Actus luxuriae imperfectae mortales sunt quia consensum in delectationem concubitus vel luxuriae perfectae continet.

Quod si obicias cum Lessio (3), actus istos, puta oscula, ex minoris delectationis intentione fieri posse, respondent, cum Caietano (4), vim et efficaciam istius intentionis elidi natura operis, quod de se *inchoatio* sit actus perfecti. Verum inchoatio alia remota, alia proxima, alia notabilis, alia modica seu exigua esse potest. Quo iure gravem reatum actus consummati ad omnem eius inchoationem, etiam remotam et levem traducas?

Argumentum Caietani hac quoque forma proponi potest. Intrinsece et graviter malum est velle v. g. oscula ut pars sunt copulae illicitae. *A.* Qui extra coniugium in osculis quaerit vel admittit delectationem veneream, illa vult ut pars sunt copulae. Venerea enim delectatione quam afferunt copulam praeparant et circumstant. — Om-

---

(1) Lehmkuhl, I, 1028. — (2) 2, 2, *q.* 154, art. 4. — (3) L. 4, c. 3, n. 57. — (4) In 2, 2, q. 154, art. 4.

nia ibi cohaerent ; sed perspicua propositionis maioris probatio desideratur.

Alii itaque, alteram viam ineuntes, speculativam et abstractam considerationem deserendam putant, ut ex concreta et practica observatione gravitatem omnis directae luxuriae eruant.

Quod argumentum sic proponi potest : « In directa luxuria, gradum futurae excitationis definire non possumus, neque eam, postquam exorta est, intra certos limites continere. Omnis ergo directa luxuria permissionem gravis motus, idque sine ulla iusta causa, infert. Id autem grave est. Dein, ob maximam nostram fragilitatem et concupiscentiae vehementiam, voluntas quae luxuriosam minoris gradus delectationem deliberate amplectitur, quasi per devexum it ad completam voluptatem, mediante actu imperfecto sed gravi, appetendam.

Si auctor naturae hoc sine gravi reatu facere sineret, debilis illa moralis sanctio per se ad peccatum consummatum voluntatem alliceret, nedum eam refraenaret. Obstat autem immensum alucinationis periculum, ne lex illa particularibus exceptionibus circumscribatur.

Hoc argumenti genere, cum non paucis, utitur v. g. Lehmkuhl (1), quando scribit : « Quaelibet venerea delectatio initium quoddam seminis humani commotionis atque effusionis est, vel saltem effundendi periculum proximum secum fert ; quia, excitatione facta, non ita est in hominis potestate ulteriorem etiam progressum sistere atque repellere ; quare eius malitiam participat ».

Hanc quoque rationem difficilem esse fatemur. Nonne iidem scriptores, quando praesentis quaestionis sollicitudine non occupantur, v. gr. cum de mutua coniugum consuetudine agunt, ultro actus distinguunt qui grave vel proximum, et actus qui leve et remotum tantum pollutionis periculum inducunt.

Ac, transmissa etiam illa conexione pro luxuria *quaesita*, qua veri specie idem de luxuria *mere admissa*, qua quis in modicam, iam exortam delectationem, sine ullo

(1) L. c. I, 1028, ubi, sibi constans, seminis effusionem et commotionem formaliter appellat.

illam augendi studio, consentit, valere asseras? In sua demonstratione imperfectam delectationem mere admissam silentio praeterire solent.

Difficultates quas in istis ratiociniis capiendis experimur non ideo tamen allegamus, ut vim conclusionis enervemus. Contra. Conatus isti facti ad eam invictis argumentis fundandam; facilitas qua argumenta plus vel minus claudicantia ab optimis ingeniis acceptata sunt, et concors ista catholicorum sententia, — quae tanta est, ut iam sua aetate SPORER (1) suspicatus sit nullum quod ad rem vigere dissensum, et verbis tantum seu modo dicendi catholicos doctores differre, — luculente testantur communem conscientiae visionem qua omnes sentiunt nihil in re venerea a severitate detrahi posse quin tantum damnum commune oriatur ut error concessionis in ipso eius effectu deprehendatur.

Quod profecto satis esse debet ad persuadendum.

Ut tamen rem ab intrinseco perpendamus, sit haec conclusio nostra:

Thesis XI

Conclusio. **353. — Omnis deliberate quaesita vel admissa extra matrimonium delectatio venerea intrinsece et graviter mala est.**

Probatio. Quod sic efficimus. Omnibus fatentibus, quilibet motus venereus, qua talis, ad copulam coniugalem seu ad actum perfectum legitimum, ordinem habet essentialem et quidem ipsa facultate venerea definitum: est naturale eius initium ac praeparatio.

Omni autem deliberate quaesita aut admissa delectatione venerea extra matrimonium, ordo iste facultatis tollitur; atque in solum bonum individuale, contra relationem ad speciem, usus venereorum quaeritur vel acceptatur.

Tollitur, inquam, ipse ordo facultatis, cum haec sit tota

(1) *Theol. sacr.* p. 43, s. 5., c.

immediate propter speciem, et tantum servato ordine ad speciem individuali bono utilis esse legitime possit.

Ergo denuo deprehenditur hic duplex ista ordinis inversio quae supra, iam bis (n. 306 et 324) notata est.

Omnis autem actus contra ordinem inducit gravem reatum, quando ordo iste essentialis est et substantialiter violatur. — E. Gravis reatus omni deliberate quaesita aut admissa delectatione venerea, extra matrimonium inducitur.

Atque hanc quantitatis considerationem hic neglegendam esse, directe hoc modo efficere possumus.

Quantitatis consideratio tunc utilis est, quando, propter modicam quantitatem seu intensitatem, ipsa actionis qualitas ita mutatur ut actio quae contra substantiam ordinis fuisset, iam non sit nisi contra eius integritatem seu ordinem essentialem accidentaliter tantum violet. V. gr. modicae officii violationes ordinem pietatis, caritatis, iustitiae substantialiter intactum esse sinunt; cum nec parens eas graviter ferre, nec laesus graviter invitus rationabiliter esse possit.

In quolibet autem usu venereorum extra matrimonium, continetur ea inversio ordinis essentialis qua actus speciei quasi opus singularis hominis exercetur, et ratio passione abripitur ad violandam subordinationem quam homo ut pars speciei sub specie constitutus est.

Excluditur effugium.

Observes itaque, ut difficultatem ab initio amputemus, gravitatem vel levitatem actus imperfecti nullatenus ex actus perfecti proximitate repeti, sed exinde hauriri quod, in se consideratus, actus relatione sua ad speciem privari non possit. Utique, quia praeparatio est actus perfecti, ad speciem refertur, sed non formaliter qua praeparatio, quae tunc in proximam et remotam distinguenda foret, sancitur. Sed, sicut quando ex qualitate actus inordinatio generice venialis esse demonstratur, venialitas ista in tota specie servatur et ob nullam quantitatem gravis fit, sic, servata specifica et substantiali ordinis privatione, nulla apparens rei exiguitas peccatum ex gravi leve facere potest.

Vis demonstrationis.

Demonstratio autem admissae voluptati aeque ac voluntariae communis est, sicut probat supra explicata vis consensus quo actus psychologice mutatur et ab ordine vitae vegetativae vel animalis ad supremum seu rationa-

lem, ubi peccatum mortale est, evehitur. Cf. supra nn. 322 et 324.

Rationem factam iam dein confirmare poterimus argumento quod ex lubrico rei istius genere alii scriptores, ea quam exposuimus ratione, mutuari solent.

De difficili loco S. Thomae.

354. — Ipsa nostra demonstratione viam munivisse nobis videmur ad melius intellegendum locum istum S. THOMAE (1) quo plures, ut hic supra diximus, inducti sunt ad exstruendum argumentum quod, nostra opinione, inefficax dicendum est. « Consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale, et non solum consensus in actum; et ideo, cum fornicatio sit peccatum mortale, et multo magis aliae luxuriae species, consequens est quod consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale, et non solum consensus in actum. Et ideo, cum oscula et amplexus huius modi propter delectationem huius modi fiant, consequens est quod sint peccata mortalia, et sic solum dicuntur libidinosa. Unde huiusmodi secundum quod sunt libidinosa sunt peccata mortalia. »

Diversimode S. THOMAM interpretati sunt: alii, quasi venialia aestimaverit oscula sine affectu ad coitum data, quamvis propter delectationem carnalem quaesita sint; alii, quasi omne osculum libidinosum affectu copulae seu actu completo vitietur. Utrique errare nobis videntur. S. Doctor sane oscula propter minorem delectationem quaesita non ignoravit, nec illa a mortali excusavit, cum peccata mortalia esse pronuntiet quaecumque libidinosa sint. Quo modo facta cotidiana osculorum sine copulae intentione et tamen libidinis causa datorum ignorare potuit? Immo, nonne ipse graduum diversitatem in peccato interno formaliter tradidit, l. 2, q. 72 art. 7 ad 1, peccatum cordis per tres gradus distinguit, qui gradus, in prima obiectione, sic referuntur ex AUGUSTINO (2): Primus est, « cum carnalis sensus illecebram quandam ingerit, » quod est peccatum cogitationis; secundus gradus est « quando sola cogitationis delectatione aliquis contentus est »; tertius gradus est, « quando faciendum decernitur per consensum ».

Verum istud intellegenti capiendum dedit: Cum omnis delectatio venerea eiusdem speciei sit, omne libidinosum osculum consensum in delectationem *specifice* eandem infert; quae proin delectatio coniungitur actui qui, sicut ipse actus perfectus, ad speciem essentialiter refertur, nec potest, sine mortali peccato, relatione ista privari.

S. THOMAS itaque nostrum argumentum paucis verbis insinuavit ibi et in q. XV, art. 4, *De Veritate*: « Quidquid homo

(1) 2, 2, q. 154 art. 4. — (2) *De Trinitate*, l. 12, c. 12 (M. 42, 1007. 1008).

agit ex consensu talis delectationis (fornicationis), ad hoc ut huius modi delectationem nutriat vel teneat, totum est peccatum mortale ».

Quid de generaliore delectatione sensibili dicendum

355. — Ratio facta delectationem *sensibilem generaliorem* (cfr. n. 24) non attingit. Haec enim delectatio, qua generalior est, actus venerei non est propria, nec proin *ordinem essentialem* ad speciem dicit.

Quare, sine causa vel nimis ad proprium bonum relata, accidentaliter tantum ordinem hominis in seipso turbat, ita ut venialem tantum culpam contineat, si affectus ad facile comitantem motum venereum prudenter excludatur. Itaque S. THOMAS (1) osculis honestis recte non opposuit ut mortalia nisi quae *propter* delectationem veneream fierent.

ARTICULUS II. — DE ACTIBUS INCOMPLETIS EXTERIORIBUS.

Principium unitatis specificae;

356. — Ab hoc magno **principio** exordiendum est, *in actibus exterioribus libidinosis sed incompletis, unam inesse eamque communem formalis malitiae rationem*, ita ut ideo *tantum* culpandi sint, quia *usum* dicunt, utique incompletum, *venereorum*, Ita quoque BILLUART (2), contra non paucos qui eosdem origine a facultatibus diversis specificari falso existimant. *Secundum se*, itaque, seclusa intentione et vi excitandi libidinem, actus isti reprehendendi non sunt.

Quare, qui *solus*, sive aspectu, sive tactu in seipsum, sive lectione libidinosa peccarit, peccata sua satis accusat, dicendo: « Totiens imperfecte mecum ipse luxuriosus fui »; vel: « Totiens motus carnales voluntarie habui; totiens insurgentes acceptavi ». Distinctio enim inter peccata *per efficientiam* et *per assensum*, de qua supra, n. **336**, hic servanda est.

Ac re quidem vera, cur reus imperfecti actus, magis quam reus actus perfecti, adhibita media indicare deberet ?

distinctionis specificae.

357. — 1. *Votum* tamen quo peccans solus ligatus sit,

(1) 2, 2. q. 154, art. 4 ad 2. — (2) *Summa S. Thomae, tractatus de Temperantia*, Dissertatio VI, art. 15 § 3, initio. Cf. etiam NOLDIN, *De sexto*, n. 51.

affectum specialem quo ductus fuerit, sane tacere non potest. Secluso tali affectu, coniugium sub gravi indicandum non erit, nisi ut coniugatus a mortali culpa se in his agendis excuset.

2. Quotiescumque *culpanda complicitas* intervenerit, circumstantia complicis addit peccatum *alienum*, quod proinde accusandum erit.

3. Qui actus exteriores, secundum se, inchoationem vel praeparationem dicunt actus *completi cum alia persona*, malitias specificas istius actus completi participant.

Hinc varia ista **corollaria** colligimus.

Estne sollicitudo habenda de «distillatione»?

358. — 1. Sic dicta **distillatio** seu *urethrorhoaea ex libidine* (cfr. n. **13**) in theologia morali satis frustra locum seu mentionem specialem obtinet. Est enim quaedam imperfectae luxuriae ratio, quae nullam, ob distillatum seu guttatim emissum liquorem, speciem novam inducit.

Nos fugit quo pacto R. P. Noldin, postquam scripsit: «Distillatio... a pollutione differt», de distillatione quae cum delectatione coniungitur addere potuerit: «Distillatio haec est peccatum eiusdem gravitatis et speciei atque ipsa pollutio, cum eius periculum inducat et cum delectatione venerea coniuncta sit». Cfr. *De sexto*, etc. n. 40.

Specificatio tactuum,

359. — 2. *Tactus*, *amplexus*, *oscula* libidinosa **cum aliis personis** peracta, quia definitum actum perfectum inchoant, circumstantias agentis et patientis participant. Quocirca indicandum erit utrum liber an coniugatus, an in sacris, alteruter aut uterque fuerit.

aspectuum,

360. — 3. In **aspectibus** vero, nisi simul desideria vel delectationes fuerint de peccato cum persona visa, **suffi**cere *per se* videtur ut, reticitis aliis qualitatibus, paenitens complicitatem declaret. Aspectus enim in consummatum actum de se non tendunt: id S. Alphonsus (1) probabilius existimat.

Qui tamen alter alterius peccatum participat, circumstantiam *voti* omittere non poterit. Si vero nulla fuerit complicitas personae visae, huius votum non est declarandum.

consilii pravi,

361. — 4. Qui per *invitationem* seu **consilium** alterum

---

(1) L. 3, n. 421.

ad peccandum induxerit, praevisas operis quod suasit malitias participat.

362. — 5. Qui opus libidinosum a se vel ab alio patratum verbis *serio* approbat, affectum pravum prodit qui malitia istius operis inficitur. *approbationis verae aut fictae,*

Qui *ficte* tantum approbat, praeter *mendacium*, reus est peccati contra castitatem, quatenus honori virtuti debito derogat, sed eam erubescit. Quia tamen eius bonitatem non negat, peccatum istud per se grave esse non existimamus.

De *scandalo* inde exorto, secundum adiuncta diiudicandum est.

Perinde dicendum est de illo qui ex ficticiis peccatis vanam gloriam capit. Observes vanam gloriam, potius quam ex peccati malitia, saepe ex circumstantia quaeri qua peccans se audacem, callidum, viribus validum probaverit. Cfr. quoque n. 394, 6.

363. — 6. *a*) Colloquia ex libidine de rebus turpibus habita non sunt initium peccati completi cum iis quibuscum sermones miscentur. Igitur, quod colloquentes sint soluti, vel coniugati, vel inter se cognatione coniuncti, id speciem peccati contra castitatem per se non mutat. *colloquii.*

Attamen si personam *sacram* ad votum suum violandum sic induxeris, haec circumstantia indicari sane debebit.

Praterea si, propter verba tua, positivo *pietatis* officio curandi mores, v. gr. adulescentis defueris, malitiam quoque peccati contra pietatem contrahis.

Seclusa itaque complicitate cum persona sacra vel cum persona tuis curis commissa, colloquia turpia, nisi contineant desiderium aut approbationes de obiecto, satis accusantur dicendo: Turpiter locutus sum (cum uno vel pluribus), addendo, ubi opus fuerit, consensum in pravam delectationem.

b) Immo, cum pro se quisque partem sumat in colloquiis, nisi aliqua causa fuerit verborum turpium ab altero dictorum, qui pravos sermones habet, ne quidem est formaliter complex sed est mere *scandalosus*. Scandalum autem per se, seu non intentum, soli caritati adversatur.

N. B. Observes colloquia bifariam turpia esse posse: *Quo duplici modo colloquia turpia sint.*

sive quia turpis narrationis modo libidinem in praesenti *excitant:* atque haec *obscena* pressius dicuntur; sive quia turpia *approbant* vel *praeparant*: ut si de inhonesta actione postea patranda tractatum habeas.

Tactus personae invitae.

364. — 7. Tactus *libidinosi* in personam **invitam**, gravem contra iustitiam malitiam continet, quae stupri similis est; et qualitas personae nuptae aut tecum cognatione coniunctae indicanda erit.

Articulus III. — De actibus interioribus.

Actuum interiorum duplex genus.

365. — Actus interiores huc pertinentes in duplex genus commode cogi possunt.

Alii, magis *intellectuales*, sunt physice a delectatione carnali immunes; alii, contra, carnem *in praesenti* commovent.

I. — *De actibus interioribus quatenus carnem excitant.*

De actibus qui excitant.

366. — 1. Actus qui **carnis commotiones inducunt** et *qua tales* voluntarii sunt, potius nomine interiores dicuntur quam interiores re vera sunt. Etenim propter delectationem quam hic et nunc inducunt quaeri et exerceri consueverunt. Placent ut causa delectationis. Quare sunt potius opus luxuriae *imperfectae* aut *perfectae* actu interiore excitatae et obtentae.

Quid soleat esse turpis cogitatio seu delectatio morosa.

Quomodo accusanda sit.

2. Haec est species frequentior peccati quod paenitentes accusant, quando *pravas cogitationes* confitentur; atque illud est quod, *in hac re*, nomine *delectationis morosae* potissimum insignitur.

Quare etiam, cum obiectum quod tunc imaginationi obversatur non placeat nisi ut causa praesentis delectationis, hac tantum specificatur.

Ideo haec regula tradi solita est: Qui, secluso desiderio, cogitationes turpes accusandas habent, nec obiectum nec motum turpem, nisi pollutio fuerit, accusari debent. Non *obiectum*, cum cogitationes sic intellectae, pro vario obiecto specie non varient: singulae enim non amantur nisi ut causa delectationis venereae, ad quam

solam peccantes afficiuntur; non *motum turpem*; is enim, indicata cogitatione, satis ipse indicatur, nisi pollutio fuerit.

Quare pollutionem declarandam esse addidimus.

367. — **Quaeres** hac occasione, quodnam morale iudicium de *idaeali* rei turpis repraesentatione ferendum sit.

Idealis repraesentationis moralitas, periculum.

1. Mere *notionalis*, seu sine imaginaria rei imitatione, in se nec mala est nec proxime incentiva. Sic adulteria, homicidia innocenti verbo designamus. Si otiosa seu inutilis fuerit, laudabiliter repelletur; de ea tamen scrupulus habendus non est.

Consilia varia de hac re.

2. Res autem in phantasia sicut in tabula pingi potest. De qua ficticia pictura sicut de vera ratiocinandum est.

a) *Involuntarie praesentem* obiter considerare, seclusa libidinosa intentione, grave non erit. Si iusta fuerit causa studii, etc. nullum erit peccatum.

Causa tamen imaginariam exhibitionem contemplandi vel intuendi rarior aderit quam si opus arte factum considerandum foret.

Si vero *libidinosa intentione* attentio imperata fuerit, grave peccatum committetur.

Seclusa hac intentione, *morosa consideratio* phantasiae graviter obscenae seu graviter commoventis, propter proximum assensus periculum gravi reatu inficitur, nisi iusta causa (si umquam habeatur) et positiva delectationis repudiatio periculum simul et alucinationem amoveant.

Morosa consideratio rei *leviter* commoventis, venialis in se erit, si causa defuerit.

b) Huiusmodi imagines excitare, seu voluntarie praesentes reddere, id simili ratione aestimandum est: grave erit si fiat ex libidine, aut si, propter imaginis naturam, proximae assensus occasioni te exponas; secus erit leve aut nullum peccatum, prout causa sufficiens defuerit vel rem excuset.

Activa tamen procuratio circumstantiam aggravantem inducit. Cfr. Noldin, *De sexto*, n. 61.

3. *Positiva* autem obligatio repellendi phantasmata impura et inutilia, — quamvis repudiatio ista semper laudanda et commendanda per se sit, — *gravis* non est,

Debetne phantasma impurum repelli?

nisi quatenus proximum periculum assensus in praesentem delectationem auferendum est (1). Quod periculum satis per se removeri censetur interiore actu displicentiae semel vel bis in eadem tentatione facto.

Quisnam modus suadendus sit.

Remoto hoc periculo, obligatio levis non exstat, nisi quatenus satis commode impleri possit.

Optimus autem modus is est, ut, deposita omni anxietate et implorata B. Mariae Virginis ope, mens ad alia, saniora, excelsiora, *positive* divertat.

Quid, qui tentari consueverit ?

Qui vero his tentationibus se obnoxium noverit, melius *extra* tentationem, mane vel vespere, pro solito tentationis tempore, propositum firmum eliciat ; Deum oret; ac dein, propriis negotiis intentus, cogitationes istas quasi neglegendo praetereat.

Quod si animum magis premant, saepe valde utile erit actum quempiam paenitentiae promittere vel exsequi, aut etiam actum humilitatis exercere, ut si rem viro spirituali aperias.

Caveat autem impure tentatus, caveat sedulo ne cito se reum existimet et sic animo deiciatur vel turbetur ; unde peiora accidere solent.

II. — *De actibus magis intellectualibus.*

Simplex complacentia de actione ;

368. — Ut iam de priore seu de veriore actuum interiorum genere dicamus, primo occurrit simplex **complacentia affectus**, sine desiderio seu exsecutionis voluntate. Nihil intenditur, aliquid in se amatur, Complacentia huiusmodi ex *obiecto* diiudicanda est, et moralis fit ex *solis iis notis* quibus re vera delectatio habita est. Namque in obiecto *abstracto* versatur. Quare,

1. Deliberata complacentia intellectualis de *actione turpi* huius varium reatum per se induit. Si quae tamen notae malae obiectum componentes ab affectu alienae manent, seu non positive placent, malitiam suam cum delectante non communicant. Sic complacentia de con-

(1) De voluntate quae « indifferenter » se habeat, cfr. Sanchez, *in Decal.* l. 1, c. 2, n. 13.

cubitu cum definita persona quae coniugata vel sacra sit, plerumque non erit nisi complacentia fornicationis, cum aliae notae potius per se displiceant.

de cogitatione;

2. Complacentia de *cogitatione* habita de re turpi est per se de re honesta, cum cogitatio rei turpis non sit turpis in se. Sed ob periculum phantasiae obscenae, suspecta facile evadit. Cfr. S. THOMAM, *De veritate*, q. 15, art. 4.

de modo quo res gesta est.

3. Complacentia de *modo miro, raro* quo res mala peracta sit, de elegantia sermonis turpis, de arte qua statua confecta est, ipsa quoque per se est de re indifferenti: iterum autem, propter periculum malae complacentiae, dissuadenda est.

Desiderium efficax, inefficax.

369. — **Desiderium** aliquam tendentiam versus obiectum, seu aliquam voluntatem exsecutionis in voto *efficaci* aut *inefficaci* superaddit.

Efficax voluntas propositum absolutum elicit; *inefficax* condicioni non impletae subordinata est. Est *velleitas*.

Utriusque specificatio.

Omne desiderium est motus voluntatis a simplici complacentia distinctus. Qua tale tamen, seu in *subiectiva* actus consideratione, si luxuriosum fuerit, communem cum complacentia reatum imperfectae luxuriae inducit, ita ut aggravantem circumstantiam propter intensitatem per se constituat. Cfr. dicta, n. **356**.

Obiective vero, desiderium *efficax* obiectum quale exsistit amplectitur totum; omnes eius notas simpliciter saltem, quamvis non omnes propter seipsas amat seu admittit, ita ut omnes specificas malitias obiecti contrahat.

Desiderium vero inefficax seu *condicionatum* diiudicandum est ex condicionis istius natura.

Si condicio omnem malitiam excludat, desiderium per se obiective culpandum non erit, ut si quis dicat: uterer ista si esset mea. Quidpiam tamen periculi in his desideriis inesse perspicitur.

Ac si res mala tantum sit quia est prohibita; honestum est ipsum desiderium sic conceptum: facerem si liceret.

Si autem res intrinsece inhonesta sit, affectum ab ista re omnino solutum gerere debemus, ut recto ordini sit conformis. Quare non licet, quasi dolendo de prohibi-

tione, deliberate huic voluntati adhaerere: fornicarer nisi esset prohibitum.

Quae malitiae condicione repelluntur, a peccato auferuntur. Quare, desiderium sic conceptum: peccarem nisi mulier esse nupta, consanguinea mea, sacra, malitia adulterii, peccati contra pietatem, contra religionem tollit.

Si vero apposita condicio difficultatem exsecutionis pericula poenae vel huiusmodi notas indifferentes respicit, desiderium inefficax in omni mali obiecti nota communicat.

Gaudii notio.

370. — **Gaudium**, ut a *desiderio* distinguitur, *approbationem actus praeteriti* dicit, dum desiderium ad actum *futurum* refertur.

Cur gaudium de re praesenti omittitur?

Dices gaudium etiam de actione praesenti concipi posse et frequentissimum esse. Sed gaudium istud una res moralis cum ipsa actione efficitur. Quare de ipso in theologia morali siletur.

Porro de gaudio omnino sicut de desiderio dicendum est.

Gaudium de effectu rei malae, de re mala.

De bono effectu rei malae, non autem de ipsa re mala gaudere licet. Quare gaudium non tantum de peccato formali sed etiam de materiali, saltem quando de re intrinsece mala concipitur (1), omnino illicitum est. Peccat ergo qui gaudet quod ignorans tactus pravos fecerit, sicut qui optat ut, malitiae ignarus, fornicationem facere queat.

Gaudium de pollutione nocturna.

Itaque de pollutione nocturna *naturali* non autem de *innaturali* gaudere licet: hoc omnes admittunt. Sunt tamen qui naturalem eam tantum vocant quae sine commota phantasia et voluptatis sensu producitur. Sed, ut observat Sanchez (2) « ea delectatio et membrorum commotio naturaliter pollutionem comitatur; unde ea non obstat quominus ea pollutio sit evacuatio naturalis nec sit de se peccatum ».

Innaturalis autem fuerit, quae masturbatione involuntaria per somnum facta sit. Ipsam autem carnalem pollutionis voluptatem gaudio fovere profecto non licet.

---

(1) Cfr. Sanchez *in Decal.* l. 1, c. 2, n. 15. 16. — (2) *In Decalogum*, l. 1, c. 2, n. 20. Cfr. etiam Vasquez in 1, 2, q. 74 art. 8, d. 115, c. 3, n. 7 et 9.

Ratio agendi cum paenitentibus.

371. — *Paenitentes*, excepto desiderio efficaci, species multas animadvertere non solent, ita ut eas neque contrahant.

Quare, *practice*, qui pravas cogitationes accusent, interrogentur de *assensu*, ut tentationes et assensum dimidiatum a pleno distinguere discant.

Si de assensu dubitent, plerumque, pro varia praesumptione, culpandi vel innocentes aestimabuntur. Voluntas habitualiter bona ; causa involuntaria ; immo ipsa omissio exsecutionis, praesumptionem innocentiae fundant.

Culpandae imprudentiae, actus exteriores secuti vel praecedentes, habitualis dispositio ad luxuriam, potius contrariam praesumptionem gignunt.

Si culpandi reperiantur, interrogentur de *desideriis*.

Cur aliud praeterea quaeratur, causa per se non apparet, praeter numerum, ac generalem fortasse interrogationem, utrum necne quidpiam addendum habeant. Cfr. Reuter, *Praxis confessarii*, II, 204, vel Noldin, *De sexto*, n. 62.

APPENDIX. — Sanctiones canonicae.

Sanctiones canonicae externorum peccatorum.

372. — Praeter relatas n. **319**, canonicas poenas contra raptum edictas, alii etiam canones ad tutelam bonorum morum conscripti hic memorandi videntur. Itaque:

C. 2356. « Bigami, idest qui, obstante coniugii vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt ipso facto infames ; et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate, excommunicentur vel personali interdicto plectantur. »

C. 2357. § 1. « Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas iudicaverit. »

§ 2. — Qui publicum adulterii delictum commiserint, vel in concubinatu publice vivant, vel ob alia delicta contra sextum decalogi praeceptum legitime fuerint damnati, excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint. »

C. 2358. « Clerici in minoribus ordinibus constituti, rei alicuius delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniantur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adiuncta id suadeant, praeter poenas de quibus in can. 2357, si his locus sit. »

C. 2359. « § 1. Clerici in sacris, sive saeculares sive religiosi, concubinarii, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servato praescripto can. 2176-2181 (1) ».

§ 2. « Si delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarentur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur. »

§ 3. « Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coerceantur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant.

Itaque pleraeque poenae edicuntur ferendae sententiae; gravius quidem clericos plectunt, maxime si in sacris sint aut curam animarum gerant, ipsos tamen laicos quoque afficiunt. Aliae mere supponunt delictum, aliae sententiam iudicialem legitime latam. Quare, ubi agitur de laicis, ipsa fori civilis sententia sanctione canonica roboratur.

Caput III. — De luxuria indirecta

Articulus I. — Principia.

Unde exortae difficultates.

373. — Vitiosa ratio qua non pauci gravem pollutionis malitiam demonstrare conantur id etiam effecisse videtur ut, neglecta distinctione inter pollutiones partiales et completam (cfr. n. 322), positivum officium impediendi pollutionem etiam non psychologicam plures gratis finxerint. Quod subinde ad alias involuntarias carnis rebelliones traductum, doctrinalem propositionem de luxuria indirecta mira ambiguitate et confusione replevit.

---

(1) Canones isti titulum XXXI constituunt. Modum autem ordinant procedendi contra clericos concubinarios.

Luxuria porro *indirecta* ea est quae, in se nec voluntaria nec volita, seu nec quaesita nec positive admissa, imputatur *in causa* unde, sine voluntate nostra, praevidebatur oritura. *Luxuriae indirectae notio.*

De ista luxuria, post factas expositiones et demonstrationes, brevi et claro asserto argumentum hoc modo concludere posse arbitramur.

Thesis XII.

374. — Pollutio quae, praeter intentionem et sine consensu accidit, ei tantum graviter imputatur qui eam cum peccato suo incompletae luxuriae sat proxime conexam praevidit, vel eam tunc imminentem, cessando a luxuria non impedivit. *Conclusio.*

Alius motus carnalis numquam graviter in causa imputatur.

Praevisio proximi periculi pollutionis potest ab initio exstitisse, attento ipso luxuriae actu cui indulgebatur; vel potest in ipso actu oriri, attenta commotione quae re vera per actum istum excitata est. Saepe enim excitata commotio primam praevisionem gradu excedit. Eandem in utroque casu obligationem impediendi pollutionem affirmamus; sed, in priore casu, actus propter iam notum periculum, omittendus erit, dum, in altero, ab actu coepto propter exsurgens periculum cessandum erit. Inde priorem conclusionis sententiam sic terminamus: « vel eam tunc imminentem cessando a luxuria non impedivit ». *Eius vis exponitur.*

Cetera verba explicatione non indigent.

Vis autem conclusionis haec esse satis aperte apparet, ut homo, *sincere et vere* aliud agens, nihil propter effectum secuturae pollutionis, sub gravi vitare debeat, praeter motum carnalem, graviter culpandum, quocum effectus pollutionis satis proxime conexus videatur.

Conclusio ista cadit etiam in coniuges, quibus motus carnales incompleti non sunt luxuria saltem gravis; sed quia de actibus inter coniuges supra actum est, motus istos nomine quod pro non coniugatis necessario habent,

i. e. nomine luxuriae imperfectae appellavimus. Cfr. ceterum n. 375.

Demonstratio porro est huiusmodi.

Probatio de pollutione.

1. *De Pollutione.* Quam diu nulla luxuria directa committitur, mens carni non servit; et oboritura pollutio non erit nisi corporalis, quae per accidens se habet ad peccatum, vel psychologica inferior, cuius tolerantia venialis tantum erit.

Secluso itaque proximo consensus periculo, involuntaria ista pollutio graviter imputari nequit. Perspecta enim copia qua elaboratur, ipsa seminis iactura, ut vidimus, nullius momenti est.

Ubi vero, per peccatum incompletum, essentialem ordinem quo sensus menti et homo singularis speciei subordinatus est in eodem genere violaveris et sic culpandum pollutionis initium dederis, virtus castitatis, propter ipsum terminum praevisum, istud initium consequenter vetat, ita ut praevisa pollutio ad psychologicas assimilanda sit, quae graviter vetantur.

Qui autem in actu luxurioso instantem pollutionem adverterit, certam pollutionis praevisionem ex suo actu luxurioso habet. Ac proin casus et obligatio hic mox indicata redeunt. Cfr. SANCHEZ, *De Matrimonio*, l. 9, d. 45, n. 22.

Idem hac altera forma proponi potest. Regula perpetua est: propter proportionatam causam effectus malus, qui nec intendi nec eligi potest, legitime permittitur. Examinandum ergo est quodnam officium positivum religionis, iustitiae, pietatis vel caritatis, permissioni obstet; seu quaenam cura positiva vitandi effectus imponatur. Cum autem agitur de effectu pollutionis quae nemini est damnosa, nulla curae positivae obligatio gravis probatur, nullum exsistit grave officium praeter officium ipsius castitatis. Officium autem istud est potius negativum, ut animum a luxuria sincere aversum serves. Positive illud unum cavendum imponit, ne proximae peccandi occasioni te exponas. Ergo solummodo quando isti officio per peccatum luxuriae derogatur, effectus praevisae pollutionis in gravem culpam imputari potest.

Porro *praevisio* pollutionis et ***satis proxima conexio***

tamquam condiciones generales imputationis in causa requiruntur Cfr. SANCHEZ, *De Matr.* l. 9, d. 45, n. 18-20.

Distinctio causarum quae in pollutionem influunt.

In qua re, praeter causas quae definite *leves* sunt et causas quae omnibus *graves* censentur, aliae sunt *medii generis*, in quibus subiectivae agentis dispositiones aliquantis per attendendae sunt. Exempla haec dat LEHMKUHL (1): lectio non ita leviter turpis; aspectus personae nudae eiusdem sexus deliberate continuatus; tactus in proprium corpus factus vel repetitus.

De ceteris motibus carnalibus.

2. De *ceteris motibus carnalibus*. Motus infra pollutionem, si ex luxuria imperfecta resultat, non erit nisi unum peccatum cum ista luxuria: tam specie, cum omnis luxuria incompleta eiusdem speciei sit, quam numero, cum ab una eademque voluntate procedat.

Subtiliter quidem distingui potest motus gravior qui mere permittitur et motus minus gravis qui solus, in casu, intendebatur vel eligebatur. Permissio rei malae sane minor culpa est quam intentio. Sed haec circumstantia, etsi culpam minuat, nec speciem tamen nec numerum mutat.

Si autem motus infra pollutionem causam diversam a luxuria habet, graviter imputari nequit: tunc enim, secluso consensu, ad psychologiam superiorem non pertinet. Ac sensui communi repugnat ut de motu inferiore severius dicas quam de pollutione, quae tantum propter luxuriam incompletam graviter imputatur.

Doctrina tradita confirmatur auctoritate S. ALPHONSI (2) scribentis: « Sententia communis et probabilior docet, pollutionem non esse mortalem nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae..... Cum pollutio non sit volita in se sed tantum in causa, eo gradu mala erit quo mala est ipsa causa ».

Verba ista in nostra tantum sententia clare exponuntur et propriam vim servant. Cfr. ceterum haec clarius scripta a SPORER: « Quando causa posita pollutionis praevisae, seu actus ex quo praevidetur secutura pollutio, est *peccatum mortale* in genere luxuriae, utpote per se et ex natura sua ordinatum ad rem veneream, etiam

(1) *Theol. mor.* I, 1031. — (2) L. 3, n. 484, IV.

pollutio in illa causa indirecte volita peccatum mortale erit... implicite et indirecte convincitur velle pollutionem... si veniale in genere luxuriae, pollutio venialis erit (1) ». Cfr. quoque BALLERINI-PALMIERI (2).

Paulo severior est SANCHEZ (3); atque etiam Rev. D. VAN ROEY, qui formalem reatum ex ipso notabili influxu in pollutionem repetit, statuta prius obligatione (levi tamen, ait) positiva impediendi pollutionem (4). Consequenter ipse debet tunc cum aliis luxuriam indirectam ultra pollutionis effectum extendere.

Sed si obligatio impediendi pollutionem non est nisi levis, quomodo actus qui in se non est libidinosus propter effectum non intentum pollutionis fiet grave peccatum? Id mente non assequimur.

Observes enim imperfectae luxuriae peccatum directe committi, non tantum quando expressa intentione quaeritur, sed etiam quando, sine alia causa immediata, exercentur actus, v. g. tactus nonnulli qui, in morali existimatione, carnem directe excitant: tunc motum venereum *efficere* censeris. Atque etiam alii actus, v. g. non nulli aspectus, nisi seria ratione aliter explicentur, produnt affectum libidinosum vel proximum consensus periculum inducunt, ita ut graviter, in genere luxuriae prohibeantur. Cfr. dicenda de *larvata luxuria*. Quicumque actus ibi de gravi damnantur, qua tales, etiam qua causa pollutionis prohibentur, ita tamen ut, quando excusantur, propter easdem rationes, ista causalitas et ipsi actus in se a gravi peccato excusentur.

De actibus inter coniuges.

375. — Actus qui solutis sunt luxuria imperfecta, *coniugibus* vel permissa vel non graviter prohibita sunt. Quia tamen venerei sunt et ordinem ad actum completum dicunt, ideo pollutio quae ex iis secutura praevidetur vel propter quam, si immineat, ab iis actibus non cessatur, in causa imputatur sicut dictum est nn. 274, 276, *nisi gravis excusatio habeatur*. Virtus enim quae terminum prohibet, formale eius initium qua tale etiam vetat.

---

(1) SPORER, *Theol. sacram.* p. 4. c. 3, 15, n. 646, 648. — (2) *Opus theol*, tom. I, n. 579 ss. — (3) *De Matr.* l. 9, d. 45, n. 15. — (4) De hac re cfr. SANCHEZ, *in Decalogum*, l. 1, c. 2, n. 13; BALLERINI, *Op. theol.* tom. I, 598.

ARTICULUS II. — APPLICATIONES

376. — Ob praevisam pollutionem involuntariam, actione honesta, qualis est equitatio, gymnastica exercitatio, studium scientificum, usus artis medicae, etc. nemo abstinere debet: iusta enim causa effectum tunc plane excusat. *Corollaria de praevisa pollutione ex actione honesta,*

Qui autem, dum haec exercet, instantem pollutionem advertit eamque *facile* vitare potest nec vitat, veniale peccatum propter non repressam seu sine causa toleratam rebellionem carnis et aliquod consensus periculum committere videtur. Cfr. LESSIUM, l. 4, c. 3, n. 100.

Ac sincere agendum est. In lecto quemlibet situm eligere licet. Sed qui, fere instante pollutione, tunc se ponat in ventrem, nisi aliam seriam causam allegare possit, nonne propter pollutionem id fecisse censendus est? Qua enim alia causa, medium istud certum et proximum tunc adhibuit?

377. — Actionem **illicitam** (etiam graviter) alius tamen generis ac luxuriae, v. g. ebrietas, crapula, nimius esus ciborum excitantium *cum praevisa pollutione* peragere, sine tamen pollutionis intentione, non est ex laesa castitatis virtute mortale. *ex actione illicita extra genus luxuriae,*

Videtur tamen *veniale* esse, quia « sine causa rationabili permittere pollutionem, semper videtur aliquid indecens et inordinatum (1) ».

Mortale autem foret se cum praevisione *masturbationis* peragendae inebriare, quia haec est peccatum *materiale*, quod positive sub gravi fugere debemus, nisi proportionata causa excuset.

378. — *Veniale* quoque est cum pollutionis praevisione **lectionem turpem** ob cusiositatem, secluso periculo consensus in delectationem veneream, peragere (2). De qua re S. ALPHONSUS dicit: « In praxi, id numquam concederem ». (L. 3, n. 484). *ex actione leviter turpi,*

Et quia causa notabiliter influere non censetur, SAN-

(1) SANCHEZ, *De matrim.* l. 9, d. 45, n. 21; S. ALPHONSUS, l. 4, n. 484, fine. — (2) SANCHEZ, *De matrim.* l. 9, d. 45, n. 18.

CHEZ (1) a mortali excusat eum qui in praedictis rebus venialiter turpibus perseverat, cum proximum pollutionis periculum advertit. Pollutio involuntaria supponitur. Sed cave a luxuria larvata!

ex pruritu abigendo.

379. — Quid de pollutione dicendum est quae exoritura praevidetur dum quis, tangendo et fricando, ardorem in genitalibus seu **pruritum** extingere conatur?

Secluso consensus periculo, pruritum *non venereum* sic abigere licet. Practice tamen hortandi sunt paenitentes ut tolerabilem pruritum potius ferant, praesertim cum fricatione augeri consueverit. Petant quoque a prudenti medico consilium. Medium ipsi indicabitur magis efficax et minus cum pollutionis periculo coniunctum.

Si autem *venereus* fuerit pruritus, qui in pollutionem tendat, sane, ob nullam causam voluntariam, pollutionem excitare fas est.

Verum non modica est difficultas haec discernendi, praesertim in mulieribus, quamvis casus utrique sexui communis sit.

Signa pruritus non venerei haec a BERARDI (2) proponuntur: Quando actio pruritum immediate lenit; — si interdum lenimentum sine voluptate venerea obtentum fuerit.

Signa autem pruritus venerei haec indicantur: si in ipsis verendis dolor abigendus non est; si repente, obtenta pollutione, dolor cessat; si, obtenta pollutione, invitatio ad se tangendum non iam habetur.

Et quia magis ordinarius est, pruritus non venereus praesumi potest.

Cfr. S. ALPHONSUM, l. 3, n. 483, 2. Ceterum, si pruritus utramque rationem participet, eundem quatenus non est venereus abigere, permittendo alium effectum, nemo per se prohibetur. Cfr. BERARDI, *Praxis*, n. 398, approbatum ab ALBERTI, n. 57.

De curanda partium munditie.

Pruritus non raro causam habet neglectam partium genitalium *munditiem.*

Scilicet non pauci masculi (non omnes tamen), ne nimium « smegma » sub praeputio congeratur, opus habent ut, retracto praeputio, ab ipso praeputio et corona glandis adhaerens materia abigatur. Quod fit lotione quae prudenter sed sine anxietate vel animi turbatione peragenda erit. Ad vitandum pollutionis periculum, melius erit ut, qui commotionem timet, id peragat fere vestitus,

---

(1) SANCHEZ, ibidem, n. 19. — (2) *Praxis confessarii*, t. 2, n. 786

quam cum, ex depositis vestibus, phantasia maiorem excitationis occasionem habet; et pannus linaceus supra ponatur.

Immo omne pollutionis periculum aberit, teste ANTONELLI (I, n. 194), « Si ante lotionem membrum fortiter coartetur per digitos prope basim », idque donec lotio perfecta sit: « coartatio enim impedit affluxum sanguinis ac ideo erectionem ». « Quod ad mulieres, pergit idem auctor, oportet lotiones externas (in vulva) agere, utendo panniculo valde levi; et numquam debent abstergere per confricationes; sed tantum apponendo pannum et leviter manu illum comprimendo pluries, donec abstersio sit totalis; quia alias, scilicet confricando, augetur organorum calor et irritatio, cum periculo proximo voluptati consensus. » (*Medicina past.* t. 1, n. 192.)

Quid indulgeri possit iis qui nervis laborant.

380. — De iis ipsis qui in partibus genitalibus intolerabilem *nervorum irritationem* patiuntur quae *per pollutionem* sedatur, et qua ferme coguntur ad quosdam tactus et motus qui pollutionem inducunt, haec LEHMKUHL (1) scribit: « Sane non licet actionem ullam ponere quae *ex se* istum effectum provocat, ut facile est tactus et fricatio; sed neque puto, in illo miserando statu, hominem debere ita constrictum esse atque ab omni corporali motu, qui sane causa efficax pollutionis nullatenus ex se censetur, studiose abstinere: ut mutare situm in lecto, crus cruri supponere, etc. modo *ne sic intendat* pollutionem, neve consensus periculum grave subeat. Nam si quae actio levis pollutionem causat, haec non ex illa actione sed ex peculiari agentis dispositione non voluntaria ortum ducit: ut autem hanc actionem si *ex se* vere leviter influere censetur, studiose declinet, sub gravi propter miseram illam condicionem subiectivam postulare, meo iudicio severius est. Omni tamen modo homo ille curare debet ut rem in se detestetur, Deumque imploret ne se cadere permittat. »

Sed ob practicam difficultatem quam paenitentes habent haec intellegendi, *Confessarius* hac generali indicatione contentus sit, ut abstineant a tactibus qui pollutionem directe procurent; eosque de cetero in bona fide relinquat.

Caveat tamen ne praepropere casum admittat, neque ipse actum permittat quo pollutio directe inducitur.

---

(1) *Theol. mor.* I, 1042.

Quare suadeat etiam paenitentem ut *timoratum medicum* adeat consultum: Atque ipse caute et prudenter consilia det. Facile enim in his rebus imprudentia consilia dantur a Confessariis qui libris decepti sunt.

Praecipue de situ quem eligere possint.

381. — Quid de iis dicendum est qui nervis ita male affecti sunt ut longas horas, immo *noctes*, *insomnes* ducunt donec *pollutio* producta sit? Possuntne ii, in lecto eum *situm* eligere quem cum pollutione coniunctum norunt (1)?

Patet illis non magis quam aliis *directam* pollutionis effectionem licere.

Ac per se laudandi erunt qui, etiam in istis adiunctis, pollutionem *positive* fugiunt: castitatis insignes sunt cultores et veri martyres.

Loquendo iam de situs electione quae saltem honesta sit:

1. Si simul dolorem experiuntur qui illo situ, independenter a pollutione, lenitur, electio situs nullatenus damnanda est, cum iustissimam causam habeat.

Si situs quoque maxime naturalis sit quem quis sanus eligeret, vel quem ipsi, ante morbum, eligere consueverant, nulla vitandi istius situs obligatione tenentur.

Difficultas maior est cum nihil praeter praevisionem sedantis pollutionis electionem istius situs explicare videtur.

Si pollutio mere naturalis foret, infirmus situm cum pollutione coniunctum simpliciter propter somnum eligere non prohiberetur. Permissio enim pollutionis foret mere passiva; quae non imputatur. Namque nulla est obligatio positiva impediendi pollutionem naturalem (non est mala); ac proximum consensus interioris periculum abesse supponimus. Sed pollutio non est sola corporis dispositione sed etiam ex adiunctis exterioribus, voluntarie per electionem situs adductis, oriri solet. Situs v. g. erit decubitus in ventrem, qui compressionem corporis in lectum

(1) Observes conexionem istam minus propter situm corporis qua talis quam propter contactum cum rebus exterioribus, utputa linteis haberi, ita ut pollutio nequeat cum naturali evacuatione aequiperari.

affert. Quare situm istum eligens active ad pollutionem concurrit. Eam ergo saltem active permittit. Sed activa permissio honesta non est nisi propter finem qui pollutionem non praesupponit, sicut, in casu, pollutio condicio praevia somni esse dicitur. Quia tamen conexio speciali corporis dispositioni debetur, finis ille seu ratio excusans permissionem facile aderit. De hac excusatione ergo sincere habenda sollicitudinem gerere debemus.

N. B. Motus carnalis inferior, melius neglegitur.

De iis qui extraordinariis mediis opus habent;

382. — Redit huc opportunitas consilii ut probus et peritissimus medicus operam cum patre spirituali iungat.

Idem consilium est dandum est iis qui, experientia docente, sine ieiuniis, humicubationibus et aliis huiusmodi paenitentiis extraordinariis, quibus ipsa valetudo in discrimen adducitur, tentationibus superandis se impares sentiunt. Quamvis obligationem usurpandi media ista extraordinaria non habeant, maxime laudandi sunt qui arduam istam virtutis semitam terunt; simul tamen iuvandi sunt ut iugum Domini ipsis sine virtutis detrimento levetur.

De iis quibus castitas per accidens nociva est.

Sunt quoque rarissimi qui, omnino per accidens, propter morbidam corporis habitudinem, ex servata continentia ad eum statum adiguntur ut, ipso rationis usu privati, in hospitia fatuorum includi debuerint. Nisi honesto matrimonio iuvari queant, de ipsis etiam valet illud : « Potius mori quam foedari ». Remedia tamen petenda sunt ab optimo medico, qui per aptas suggestiones, etiam, si videatur, hypnoticas (1) suave et simul forte dominium voluntatis restituere conabitur.

De iis qui noctu tantum peccatum saltem materiale faciunt.

383. — Hac occasione quaeres quid pronuntiandum sit de iis qui per diem ne quidem tentantur, *noctu* vero, in *statu vigiliae*, ut putant, *se manu polluunt*.

Resp. In primis id sedulo investigandum est, utrum perfecte an imperfecte tantum vigiles fuerint. In comperto enim est gravem reatum induci non posse per actionem a semisomno factam. Semisomnus enim non est satis sui compos ut plene de rebus agendis deliberare possit. Mirae itaque rationes quae menti occurrunt, v. gr. « se contentos esse quod nunc sine peccato sibi satisfa-

(1) R. P. Gemelli, *Non moechaberis*, quamvis, p. 164, parum propensum se affirmet ad remedium hypnotismi, methodum tamen interdum necessariam esse fatetur, p. 228.

·cere possint », vel alia signa defectum plenae conscientiae demonstrabunt.

quid si vigiles fecerint.

Qui vigiles fuerint, praesumendi potius sunt libere fecisse quod fecerunt. Nec immunitas diurna innocentiam nocturnam per se probat. Ipsa enim consuetudo masturbationis nocturnae tentationes per diem auferre potest. Calor praeterea lecti et otium decumbentis favent pravis phantasiis, a quibus diurni labores mentem distrahunt et avertunt. Quod porro se penitus aliter affectos sentiant per diem, id nihil mirum in se est: ii quoque qui culpas prorsus voluntarias interdiu committunt, finito aestu, facta detestantur, et novum peccatum quasi impossibile interdum existimant.

Quaedam tamen adiuncta probare possunt culpam omnem vel saltem gravem abesse, ut si masturbatio ista conectatur cum circumstantia involuntaria, si promptitudo exsecutionis, quies conscientiae, actum potius mechanicum demonstrent. Qui post luctam tentationi cesserit, vel defatigatus pugna ac turbatus animo egit: quod argumentum erit excusationis; vel satis praesens animo nec turbatus fecit: et tunc ipsa lucta indicium est deliberationis.

Ratio agendi confessarii.

Non ita raro *confessarius* anceps manebit. Practice tunc communionem vel missam non praemissa confessione regulariter non permittet, ne reverentia erga SS. Sacramentum minuatur, ne minor etiam conatus fiat contra tentationem; benignius tamen interpretabitur impedimentum sufficiens ut quis, praemissa saltem ferventi contritione, ad sacram dapem gustandam accedat.

In universum, utrumque cavebit: ne nimia facilitate paenitentem neglegentem vel audaciorem reddat; ne nimia severitate animum deprimat.

Notes demum, eo quod in quibusdam specialis commotionis adiunctis, quis actu pravo abstinuerit, non ideo convincitur idem libere in aliis adiunctis fecisse.

De pollutione praevisa ex actione mortaliter turpi.

384. — Actus **turpis mortalis, cum** satis conexae **pollutionis praevisione** exercitus, speciali malitia contra naturam ob istam previsionem inficitur (1). Quod peccatum

(1) Sanchez, *De Matrim.*, l. 9, d. 45, n. 21.

tunc committitur, cum actus sub hac praevisione exercetur, nullatenus autem pendet ab effectu, idest a vere secuta vel non secuta pollutione.

Eodem reatu culpandus est qui in actu turpi perseverat cum pollutio instat, quamvis eam prius non praeviderit (1).

385. — Restat ut de **pollutione nocturna** dicamus. *De pollutionis nocturnae imputatione.*

1. Sicut iam monuimus, pollutio, quae in somnio manu efficitur peccatum materiale est; quae autem ultro, ex abundantia seminis vel alia causa fluxit, ne quidem peccatum materiale vocandun est (2). Numquam autem nocturna dormientis pollutio secundum se rationem peccati formalis induit (3).

2. Imputabitur autem quae per *medium efficax* ante somnum intendatur. Sive re vera acciderit sive non, idem peccatum commissum est, quod sic accusatur: Efficax medium adhibui ad nocturnam pollutionem producendam.

Qui autem medium inefficax adhibuit ut eam obtineret, propter pravam intentionem graviter etiam peccat.

Hactenus quae constant.

3. Solent autem severe iis imputare pollutionem nocturnam qui sine huius pollutionis intentione, per culpandos actus luxuriae interioris vel exterioris, puta prava diei phantasmata, pollutioni nocturnae causam dederint.

Dubitari tamen potest num inter diurnas cogitationes et actiones ac somnia noctis, nexus sufficiens sit ut reatum pollutionis in causa luxuriosa voluntaria inducat. Nobis nexus nimis tenuis et accidentalis videtur. Observarunt enim ea phantasmata potius per noctem recurrere quibus mens per diem aliquantisper sed non nimis occupata fuerit, ita ut defessa non fuerit. Quare qui per diem moraliter totum obscena volverit, minus efficacem pollutionis causam posuisse videtur quam ille qui ea modice admiserit vel qui ea repulerit.

Quocirca, qui nocturnam pollutionem expertus est,

---

(1) Sanchez, ibidem. — (2) Sanchez, *in Decal.* l. 1, c. 2. n. 20, ubi etiam approbat Vasquez perinde dicentem de pollutione accidentali quae per diem ex causa oritur quae vitari non debuit. — (3) S. Thomas, 2, 2, q. 154, art. 5.

nisi eam intenderit, de eius causa sollicitus esse non debet. Quod si illam intenderit, ipsa intentio efficax aut inefficax, non autem ipse pollutionis effectus accusandus erit.

De loco citato S. Alphonsi.

386. — Allegatus locus S. Alphonsi quo dicit « pollutionem non esse mortalem nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae », sic interdum explicatur ut causae per se mortales in genere luxuriae dicantur esse actus « qui in ratione actus externi essent grave peccatum contra castitatem si ex affectu libidinoso orirentur (1) ». Sed hoc minus quadrat cum ratione quam S. Doctor addit: « Cum pollutio... sit volita... tantum in causa, eo gradu mala erit quo mala est ipsa causa ». Nam si actus causans non est in se culpandus, *non est* causa mala sed tantum *esset* si ex affectu libidinoso manaret. Attamen, postea, S. Doctor severiora dicta Roncaglia approbat. Quare S. Alphonsum ut nobis plene consentientem allegare non possumus (2).

CAPUT IV. — De actibus impudicis et luxuria larvata.

Articulus I. — Notiones et regulae generales.

Ratio dicendi et momentum huius capitis.

387. — In suis tractatibus de sexto et nono praecepto, solent theologi caput quoddam *De impudicitiis* inscribere, ubi varios actus, *ipsa externa specie luxuriosis affines*, tamquam leviter vel graviter culpandos notant, ita tamen ut genuina reprehensionis ratio saepe ab ipsis non detur nisi confuse. Inde magis concordia probatorum doctorum quam intrinsecis argumentis sententiae (ceterum verae) fundatae videntur; inde de ipsa sententiarum veritate non ita pauci dubitare coeperunt, hodie praesertim, cum auctoritate minus fidatur et de intrinsecis rationibus magis audacter inquirere et interrogare soleant.

Quare, ut bonis et sanctis moribus consulatur, rationes istas perspicue tradere expedit. Binae autem sunt quae in responsis istis componuntur: necessitas *fugiendi occa-*

(1) Cfr. R. D. Standaert, Collationes Gandavenses, t. 4, p. 45. — (2) Cfr. tamen Ballerini-Palmieri, tom. 1. n. 592.

sionem proximam assensus pravi seu luxuriosi, et obligatio *vitandi* omnem *directam luxuriam*, quamvis *reconditam* et *dissimulatam* seu *larvatam*.

Sic causam explicavimus cur caput istud scribamus, quod ad prudentem animorum directionem maxime usu venire putamus.

Luxuriae larvatae notio.

388.— Itaque **luxuriam larvatam** appellamus *actus vere a libidine profectos* ac proin *directe luxuriosos*, sed *honestiore quadam specie dissimulatos*, ita ut ipse peccans erronea conscientia facile decipiatur.

Et re quidem vera, in lubrica ista materia, in qua dici nequit quo libido non se proripiat, occaecatio conscientiae, voluntatis infirmas, fragilitas proximi satis nos monent oportere ut ab alucinatione, a consensus periculo, a scandalo proximi, nobis sedulo caveamus.

Ac magno pretio habenda est *pudicitia*, quae, dum hanc provinciam procurat, ipsam essentialem castitatem tuetur ac promovet.

Ad suspectas autem, imprndentes et malas demonstrationes in quibus sibi fucum faciunt, homines *amore* quopiam *sensuali* et aliis *praetextibus* abduci consueverunt.

Praetextus adduci solita.

389. — **Praetextus** sunt plerumque: studium scientificum, opus quodpiam misericordiae, sive curandi corporis, sive solandi, immo, spiritualiter iuvandi animam, sive dissipandi ignorantiam, timiditatem, scrupulos. Sunt itaque rationes quae, in certis adiunctis, verae et bonae esse possent, cum allegantur autem colore suo minus rectas intentiones obducunt. Maxime autem ab iis qui amore sensuali trahuntur adhiberi consueverunt.

Oportet itaque ut homo, virtutis studiosus, firmum propositum ab initio concipiat intimae sinceritatis, quo nullus his praetexibus locus paretur. Quod si de insolita agendi ratione usurpanda vel conservanda dubium oriatur, consilium prudentis confessarii exquiratur.

Amoris sensualis periculum.

390. — **Amor sensualis**, qui sympathia quadam corporali fundatur, tam periculosus est, tam facile ad carnalem descendit, ut, nisi ex imposita moderatione vel adhibitis cautelis ipsa eius vehementia minuatur, qui talem deliberate fovent tractari possint ut qui in proxima et

voluntaria gravis peccati occasione constituti sunt. Cfr. S. Alphonsum, *Praxis confessarii* n. 65.

Inter quosnam frequentissimi sint

Amores isti frequentissimi sunt:

1. Inter iuvenes diversi sexus (*flirt*): tunc non raro in amaram et damnosam puellae deceptionem desinunt, Puellae perennem sperant flammam et nuptias, iuvenis tantum ludere voluit. Ex huiusmodi consuetudine, virgo quasi moraliter deflorata recedit: semel tantum cor hominis vere et plene amat.

2. Inter adulescentes eiusdem collegii convictorum vel conservatorii puellarum. Hic tamen duplex genus distinguendum est. Sunt qui mere ex quadam petulantia aut vanitate, quasi per modum cuiuspiam ioci, amorem imitari volunt: quod, quamvis improbari debeat, minus grave per se aestimandum est; dum alii amore libidinoso vere ardent.

Ratio agendi confessarii.

Utrumque genus a confessariis firmiter impugnandum est; qui autem posteriori modo affecti sunt, magis stricte in proxima peccati gravis occasione versari censendi sunt. Quod maxime verum est de grandioribus qui *activas* partes in his rebus sumunt. Affectus enim saepe deest in iuniore qui, promissione interdum temporali allectus, se amari sinit.

Maxime autem amicitiae istae seu potius amores sensuales detestandi sunt:

1. Inter sacerdotem vel religiosum et personam diversi sexus vel adulescentem eorum curae commissum, propter scandalum. Ex quo sensualis affectus deliberate admissus est, actio spiritualis fit sterilis. Quare in primis procurandum est ut relatio directionis spiritualis, si qua fuerit, abrumpatur. Atque ipsa minor existimatio qua exinde ordo sacerdotalis vel religiosus habetur, praesertim si, ut nimis frequenter accidit, quaedam indecora fiant, iam pro gravi scandalo habenda est.

Quid de amoribus platonicis sentiendum sit.

2. Inter alterutrum coniugem et extraneam personam cui cor tradere videtur, dum corpus coniugi linquit. Amores isti *platonici* tolerari nequeunt: nota spiritualis adulterii inficiuntur. Amantibus sunt valde periculosi; coniugi autem sic derelicto per se causa sunt gravis et iusti moeroris; contrarii sunt pietatis officiis quae matri-

monium sequuntur et bonae institutioni prolis. Quare, etsi manualia theologiae moralis istud infidelitatis genus silentio praetermittunt, id obiective grave aestimamus.

Actiones consideratae.

391. — Normae theologorum. — 1. *Obiectum.* Normis de quibus nunc agimus theologi catholici, satis inter se concordes, utuntur ut moraliter aestiment actiones quae, nisi concupiscentia carnalis saeviret, indifferentes forent, nunc autem *impudicae* vocantur, quatenus *quempiam, saltem materialem, excessum a pudore* dicunt.

Actiones istae, ut blandae et gratae, homines decipiunt, ut incentivae, homines corrumpunt, ut signa minus recti affectus, homines scandalizant, propter quas rationes, sub gravi vel levi peccato prohibitae sunt.

Quaenam actiones graves ut exteriores censentur?

Illud praeterea probe notandum est. Actus qui *ut mortales* damnantur, simul, quando ex libidine fiunt, graves *in ratione actus exterioris* esse censentur. Quod, ubi de complicis absolutione agitur, attendendum est in actibus mutuis complicitatem inferentibus.

Aestimationis principia.

2. *Rectae aestimationis principia.* *a*) Ab hoc initio proficisci licet. Quo magis ipse actus exterior speciem praefert libidinosae demonstrationis, seu directae et apertae luxuriae propinquus apparet, eo magis error animi, assensus motui carnali exorituro, seductio aliena timenda sunt. Aucta autem libidinis vi, tentatio simul quoque augetur. Observandum tamen hic est homines iisdem actibus inaequaliter commoveri. Cfr. n. 274, et quae supra de actibus mediae rationis dicta sunt, n. 374 1.

Ubinam maius vel minus periculum sit.

Quo magis, contra, iusta atque honesta causa nostram agendi rationem explicaverit, eo facilius a fraude, deceptione seu alucinatione, a culpa, a scandalo tuti erimus.

Quo minus porro actio ab ordinariis, a consuetis recesserit, eo facilius honestam explicationem habebit.

Partes corporis honestae, minus honestae, inhonestae.

b) Ad aestimationem iustam faciendam, theologi partes corporis *honestas, minus honestas* et *inhonestas* distinguere consueverunt. Formalis ratio distinctionis haec esse videtur, ut *honestae* sint quae, in regione de qua sermo est, inoffenso pudore omnibus exhibentur: tales, apud nos, sunt manus, vultus, pedes; — *minus honestae*, quae ex usu recepto et iusta consuetudine tegi consueverunt: pectus, dorsum, crura, brachia, saltem ex parte; *inhones-*

tae demum quae *ubique*, ex naturali pudore, vestibus obducuntur: partes genitales et his proximae.

Notio est ergo aliquantisper relativa.

Regularum summa;

c) Regulae porro *summatim* sic proponi possunt: Qui, sine aequa causa, id efficit unde *per se* seu quasi directe, vel pollutionem vel delectationem pollutioni satis proximam experiatur, *practice* et *per se*, propter verum motivum agendi de quo alucinatur, vel proximum periculum, consensus in delectationem, *graviter* peccare censetur.

criterium generale;

Id tamen non impedit quin, nondum monitus, bona quadam fide a gravi peccato excusari potuerit.

Talis autem efficacia in gravem motum carnalem, partim relativa seu varians in variis personis, in re *vere impudica* et in *morosa ratione* qua aspicitur, tangitur tractatur, aditur, inesse maxime censetur.

prudens applicatio

d) Normarum vis et sapiens usus haec tradi possunt: Normae istae theologorum continent *praesumptiones*, ad quas iudicia nostra et actus nostros *per se* exigemus, nisi prudens casuum particularium consideratio maiorem vel minorem severitatem postulaverit.

Applicatio ad appetitus morbidos.

392. — Normae praestituuntur *personis sanis*. Quomodo autem traducendae erunt ad illos qui paresthesia sexuali laborant? (Cfr. n. 35-38.)

Quaestio de imputatione actuum.

I. — In primis, quaerendum nobis est quatenus pravi eorum actus ipsis **imputandi** sint.

Primo loco satis insistere non possumus in circumspectionem qua legere et multo magis in usum deducere oportet opera quae, plerumque sub diverso respectu ac nostro ab anthropologistis scripta, quaestiones de imputatione scientifice proponunt. Temerario huiusmodi librorum usu non pauci errores in administrando paenitentiae sacramento commissi sunt.

Originem infirmitatis distinguere non sufficit.

Sane, aliae perversiones appetitus propriis vitiis seu peccatis, aliae hereditati tribuendae sunt, ita ut congenitae sint; ac non raro ambae causae concurrunt, ita ut culpae compleverint quod natura inchoaverat.

Verum hac facta distinctione, de origine quidem perversae propensionis, ac fortasse de facilitate vel difficultate eam corrigendi edocti sumus; nondum tamen omnis

quaestio de imputatione actuum quos aegroti faciunt soluta est.

« Cum vero, opportune observat ANTONELLI loquendo de masturbatione (1), non nulli ex his morbis aut incommodis voluntatem penitus non tollant, dum, contra, non nulli ex ipsis voluntatem adeo perturbant ut patientes inhabiles fiant ad libere agendum, liquet primo casu non facile cognosci posse quantum voluntatis sit in actibus turpibus patratis. » Itaque ipsa perversio *tali gradu* existere potest quae libertatem non tollat. Tentatio obiectum mutavit, proprium v. g. sexum potius quam alienum appetit; vim tamen inexsuperabilem non habet. Quod si inciderit, eodem modo quo tentationi « normali », isti irregulari obsisti potest et debet.

Attendenda sunt gradus perversionis,

Praeterea, etiam cum impulsus invincibiles fuerint in his vel illis adiunctis, num qua necessitate tunc trahuntur aegroti, eadem compelluntur ad adiuncta ista adeunda vel subeunda?

facilitas fugiendi occasionem,

Demum, imputatio vario gradu *minui* potest, neque omni imminutione sufficiens ad peccandum etiam graviter libertas supprimitur. Quod evenit, quando ipsae facultates superiores non sunt impeditae, sed obstaculum in sensu residet. Sic concupiscentia minuere liberum dicitur, quamvis copiam peccati plerumque subsistere sinat.

imminutio et suppressio imputationis.

Quocirca, bene intellegimus, in foro *exteriore*, ubi *delictum* perfectam virium integritatem postulat, reos a poenis absolvi (2) quotquot vitio congenito affecti demonstrantur; sed in foro *interno*, ubi res non tantum in suo complexu, et per definitiones generales, sed cum suis notis « individuantibus » considerari possunt et debent, obligationes quas etiam morbide affecti habebant et cognoscebant praetermittendae non sunt. Occasiones porro quibus ad malos actus impelluntur consulto adire vetantur, immo easdem sine nimio incommodo etiam declinare debent.

Discrimen inter forum externum et internum.

Quam difficilis sit discretio in his rebus, his factis confirmare

(1) *Medicina pastoralis*, II, n. 253. — (2) Reservata quaestione modi quo societas ab huiusmodi periculosis hominibus se protegere queat.

liceat. Peritissimo professori medicinae, qui in imputationibus perpendendis ex officio versatur, tres casus proposuimus in quibus de sufficienti agentis libero arbitrio, valde dubitabamus. De nullo prudens iste vir ausus est affirmare agenti libertatem defuisse. Alius vero medicinae professor bis ad nos misit hominem quem testabatur nimia libidine exagitari quam ut caste vivere posset. Ambo tamen postea difficultate non nimia vexari convicti sunt.

Nihil profecto huiusmodi fugit R. D. Gemelli. Ea tamen verba habet quae, quotiescumque de organicae constitutionis infirmitate agitur, imputationem nimis absolute negare videntur, et sic ansam erroris praebent, quasi omnes « fetichistae », « masochistae », a culpis venereis immunes pronuntiandi sint. Cfr. quae habet v. g. pp. 234. 237. 238.

Bene igitur teneamus istud, etiam actus ex perversione vel inversione instinctus sexualis manantes *per se* imputari posse.

Positivae infirmorum obligationes.

II. Ut iam de **obligationibus** dicamus eorum qui insolita ratione aut carnaliter commoventur aut, contra, frigidi manent:

1. Venereae delectationes mediis insolitis non magis quam solitis quaeri vel intendi a non coniugatis possunt Et proxima peccandi occasio omnibus fugienda est.

2. Distinctione autem inter stricte veneream delectationem et sensibilem carnalem isti infirmi iuvabuntur, ut qualitatem subiectivi affectus et gravitatem obligationis perpendere possint. Sensibilis nondum est *in se* gravis.

3. Debentne autem, propter specialem suam commotionis promptitudinem, abstinere actione quae aliis licet vel saltem non graviter prohibetur ? Profecto, magnopere hortandi sunt ut *sine anxietate* istud procurent. Id dicimus saltem *per se*. Namque incommoda fugae etiam perpendenda sunt. Et, secluso alucinationis et consensus periculo, id sub gravi praecipi posse non videtur, cum quia praeceptum positive vitandi motus carnales non demonstratur, tum quia re quae aliis licet abstinere iam durum est.

4. Si quaedam quae alios commovent ipsos in condicione perfectae frigiditatis linquunt, his abstinere tantum debebunt quatenus ratio scandali vel lex positiva id requirant. Haec itaque erunt istius status privilegia.

Explicatio aviditatis qua lubrica audiuntur, etc.

393. — In *legendis* vel *audiendis* vel *tractandis*, etiam ob iustam causam, rebus lubricis, solent homines aviditatem quandam experiri, quae partim quidem rei novitate vel raritate et inde profecta curiositatis excitatione explicari potest, simul tamen instinctum sexualem et praesentem hominis infirmitatem demonstrat. Quare viro cordato accepta esse nequit, quamvis propter illam actione utili abstinere non debeat.

Ratio agendi.

Opinio Ballerini.

De hac satisfactione haec sapienter dicit BALLERINI (1): « Indicium est sensitivum seu inferiorem appetitum in iis aliquod pabulum habere, atque adeo in id inclinari infirmitatem hominis, at non est certum indicium hac de causa deliberate delectari, seu inde esse delectationem deliberatam atque adeo peccari.

« Haec quippe delectatio partis inferioris et quae oritur ex re ipsa quae appetitum sensitivum sollicitat et allicit, non excludit delectationem ex alia causa profluentem; et approbatio voluntatis... potest esse circa posteriorem delectationem, prima illa reiecta; quod tamen non impedit quominus infirma natura magis inclinetur ad huius modi quam alias materias versandas ».

Quid de obsessione mentali huius modi?

Perinde dicendum est de mentali seu phantastica obsessione qua plures repleri consueverunt, cum in hoc rerum genere aliquid vel agendum vel exhibendum habent. Obsessio ista fere sicut obsessio impurae imaginis tractanda est. Nihil formaliter et deliberate ei concedendum est; non omnis partialis concessio tamquam gravis habenda est; non requiritur, ut postquam semel vel bis voluntate repudiata est, aviditas seu affectio ista constanti et repetita saepe positiva repulsa cohibeatur; opportunum erit ut mens ad alia utilia, grata, divertere conetur, nec anxiam sollicitudinem de re gerat.

(1) BALLERINI-PALMIERI, tom. 1, tr. 4. n. 541.

Articulus II. — De actibus impudicis singulatim sumptis.

§ 1. — *De verbis et scriptis.*

Verba tenera

394. — 1. Verba tenera, sive ore prolata sive scripta: *Optima* sunt inter coniuges, inter parentes et filios, inter fratres; immo inter amicos, quando nobili *amicitia* non autem *amore* dictantur;

Honesta sunt inter sponsos;

Reprehendenda et periculosa sunt inter alios, si amorem futilem, vanum, sensualem exprimunt;

Certo *graviter culpanda* sunt inter personas quae libidinose sè amant. Inter has personas colloquia protracta, non necessaria, iam grave periculum faciunt (S. Alphonsus, l. 3, n. 422).

obscena.

2. Colloquia, narrationes protractae de *rebus graviter obscenis*, v. gr. de seminatione, de modo copulae, inter solutos facta, per se pro graviter illicitis habenda sunt, praesertim inter iuniores et si res describuntur. Consuetudo tamen et affinia studia vim huiusmodi colloquiorum extenuare potest.

3. *Verba separata* aut *dicteria turpia*, qualia v. gr. a messoribus et a mulionibus proferuntur, mortalia non existimantur. Plerumque enim haec ludicre proferuntur.

Iactantia in hac re.

4. Qui *ob iactantiam* sua turpia peccata narrat, peccato scandali facile peccat; et si, ut pronum est, complacentia in proprio peccato et quasi nova eius approbatio adfuerit, erit novum peccatum, cuius gravitas et accusanda species obiecto definitur. Cfr. dicta, n. **362**.

Cantilenae.

5. Cantilenas *graviter obscenas* coram aliis canere erit grave, saltem ex scandalo: secus si solus cantaveris et magis ad melodiam attendas (Palmieri, *Opus theol.* tom. 2, tr. 6, n. 989).

Quare numquam excusari posse arbitramur qui in *theatro* vel in aula publica turpia canunt quae, qua talia, plausu excipientur.

Attamen, quod ad proximam cooperationem quae actione vel cantu tribuitur comoediis non absolute graviter turpibus sed notabiliter inhonestis, « excusant eum

qui actione ipsa vel cantu concurrat, secluso affectu pravo, propter valde gravem penuriam in qua aliter versaretur ad breve tempus, SANCHEZ, PONTIUS, CASTROPALAUS, TAMBURINI, *In decal.* l. 5, c. 1, § 4, n. 28: modo, quantum possit, temperet lasciviam (1) ». Cfr. quoque n. 408.

Quid, de audientibus?

Quod ad *audientes* attinet, nisi res turpis ipsis in se placuerit, aut nisi excitando, animando, talis colloquii vel eius continuationis auctores fuerint, aut nisi, propter personam quam gerunt, auctoritatem qua vestiuntur illud impedire debuerint aut saltem facile potuerint, ipsis non ut grave peccatum imputatur, quod, ex quadam erubescentia et timore humano, reprehensione abstinent, vel immo subrident, maxime si potius locutionis artificio quam ipsa re turpi risus excitetur (2). Ut patet, nullo modo peccabunt, si iustam causam habeant tolerandi res, eo, v. g. quod vituperium alios ad peiora dicenda vel agenda moveret.

Sed conentur saltem quadam silentii ratione talia improbare. Fieri quoque potest ut ex personali condicione, v. g. eius qui sacerdos fuerit, speciale scandalum oriatur, nisi se ab his sermonibus aversum esse testetur.

Quid in officinis praestandum?

6. Observes denique in *officinis* et *officiis* ubi iuvenes plures congregantur, tam commune esse periculum huiusmodi confabulationum, ut loci mutatio vix profutura sit. Quare confessarius potius commendet, *graviter id urgendo*, operariis, scribis, ne ista provocent, neve in iis notabilem partem habeant. Praeterea, observata personarum qualitate et auctoritate et naturali fortitudine, ipsis animos addat ut haec non formidolose et timide sed *firmiter* et simpliciter declinent.

Remedium autem plenius petendum est vel ab officinae magistro, officii capite, si ea polleat auctoritate qua valeat ad haec efficaciter cohibenda; vel ab consociatione bonorum qui plures sint in eadem officina et se mutuo adiuvent ad hac corripienda et tollenda.

---

(1) SANCHEZ, *De Matrimonio*, l. 9, d. 45, n. 37; LEHMKUHL, I, 1034, approbatus a PALMIERI, tom. 2, n. 990. — (2) LEHMKUHL, I, 826. Cfr. S. ALPHONSUM, l. 3, n. 427.

Conscriptio librorum pravorum.

395. — 1. Qui scribunt, vel *promiscue omnibus* vendunt libros vel ephemerides incitantes *ad libidinem*, vel bonis moribus infensos, mortaliter peccant, quia certo futurum est ut plures exinde mortaliter peccent.

Venditio.

Nec tolerari potest ut in cauponis et locis publicis, ephemerides obscenae exponantur.

Vendentes ex gravissima necessitate, ad breve tempus, excusari possunt.

Lectio.

2. Sine causa sufficiente, quam studia litteraria vel commercium cum litteris praebere possunt, legere *libros turpes*, etiam ex sola curiositate, erit, etiam secluso proximo periculo, saltem *veniale*, quia in remotum certe periculum incurritur.

Si vero, ut communiter libri prorsus obsceni, ad delectationem carnalem proxime disponunt, id, in personis solutis, potius *mortale* aestimandum est. Excipi ergo possunt qui ob aetatem vel consuetudinem huiusmodi periculum non committunt.

Raro tamen iusta causa legendi libros *omnino obscenos* aderit, atque a lectionibus etiam leviter inhonestis iuniores valde avertendi sunt: ipsi anthropologistae testantur ea fomenta esse libidinis. Et protracta lectio saepe in libidinosam desinit.

Atque ab operibus romanensibus in universum puellae et feminae maxime avertendae sunt, ne vitam chimaericam sperent vel, vanis somniis deditae, tempus et vim moralem perdant.

Observanda quoque est lex ecclesiastica quae ipso iure damnat cum libros « qui bonos mores data opera impugnant », tum libros « qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent » (c. 1399, Codicis canonici).

Adulescentes qui, curiositate moti, verba quaedam obscena in vocabulariis quaerunt ut eorum significationem melius norint, communiter non peccant nisi leviter. Sic etiam NOLDIN, *De sexto*, n. 59.

Gestus.

396. — Quod de verbis dictum est, ad *gestus* minus decoros fere traduci potest, cum haec etiam signa sint. Cfr. PALMIERI, tom. 2, tr. 6. n. 990, in fine.

§ 2. — *De aspectibus.*

Vis aspectuum et nuditatis.

397. — **Aspectus** minus directe quam tactus libidinem excitant, faciliusque excusationem iustam habent. Haec de aspectibus observanda veniunt.

1. *Nuditas propria* minus per se commovet. Per se culpa vacat quae sine ullo affectu vel complacentia in nuditate habetur, vel quae, secundum morem patrium, rationabilis censetur. Coram aliis per se melius erit ad morem patrium se accommodare; solus, amans perfectae castitatis, sine anxietate, vitabit nuditatem omnem ad quam affectus quidam feratur, seu quae sensui placeat, etiam non venereo: haec ne admittatur sine causa.

3. Ut iam de peccato quod *aspectus impudici* per se continere censentur dicamus:

De aspectu proprii corporis.

a) Aspectus nec studiosus nec morosus *proprii corporis*, etiam partium inhonestarum, ex curiositate vel levitate, veniale per se non excedit.

De aspectu corporis alieni,

b) *Obiter* aspicere, ex aliqua levitate, ioco, partes minus honestas personae etiam diversi sexus, veniale *per se* reputant.

Contra, per se, a mortali non excusant virum qui, in nostris regionibus, fixis oculis in nudatum feminae pectus intendat.

c) Aspectus *nudae personae* alterius sexus, vel etiam eiusdem sexus, si amore sensuali ametur, aut si aspiciens propensus sit ad excessum homosexualem, sicut aspectus *concubitus humani*, a mortali excusari posse non videtur, nisi distantia aut modus (obiter) periculum valde minuerit.

De aspectu brutorum.

d) Aspectus *concubitus animalium* per se veniale non excedit.

e) De aspectu *picturae*, etc. cfr. n. 400.

N. B. Ut iam observavimus, aspectus partis inhonestae corporis ceterum tecti, multo minus carnem excitat quam aspectus personae cuius sola verenda tecta sint.

Quid medicis liceat.

398. — Utiles aspectus *medicis* licent. Caveant tamen ne utilitatem fingant, vel occasione abutantur ad libidinem suam fovendam. Quare etiam commendandum est, ut persona alterius sexus fidam habeat comitem, maxime parentem, ut matrem, sororem.

Quid pictoribus et sculptoribus liceat.

399. — Quid de **pictoribus et sculptoribus** dicendum est? Alii aliis severius de istis dicunt. Nostrum non est de necessitate quam ars colenda creet iudicium ferre. Neque ii sumus qui de ista re aestimationem communem mutare possimus. Quatenus opus sit, ars iustam causam affert; atque ipsa praevalens opinio necessitatem magistratibus et academiarum rectoribus creat ut haec tolerent. Aliunde serius finis studendi, periculum minuit. Cfr. quoque ALBERTI, n. 99.

Utilis ratio agendi

Quare utilius et efficacius id conabimur:

1. Apud *academiae rectores*, ne ultra quam necesse putetur, personae exhibeantur; — ne personae diversi sexus simul exhibeantur; — ne scholares diversi sexus misceantur; — ut in exhibendis personis cautiones possibiles admittantur: v. g. ne persona coram pictoribus vel sculptoribus vestes exuat (1); ut oculi velentur; ut tegantur verenda, saltem ad affirmandum pudorem; si privatim fiat, ut honestus testis eiusdem sexus adsit; etc.

2. *Singulis pictoribus, sculptoribus* ea praecipienda sunt quae occasionem proximam in remotam convertant.

Numquam indulgeri potest ut obscena vel quaedam lubrico modo pingant vel conficiant, excepta fortasse extrema necessitate (2). De picturis aut sculpturis non obscenis sed satis nudis, adiuncta perpendenda sunt personae petentis, loci exhibitionis, detrimenti sustinendi si negentur; scandali, efficaciae denegationis, etc. Sponte enim timoratus pictor vel sculptor numquam ea conficiet quae pluribus occasio sunt tentationum et peccatorum.

Pingere seu conficere imaginem personae turpiter ab eo amatae qui imaginem conficiendam postulat, modo artifici constet de turpi amore, non licebit citra grave peccatum, nisi ex causa gravis omnino penuriae similisve necessitatis. Nam est res quae valde foveat turpem amorem; ast cum res *in se* non sit mala, neque necessario malum usum habeat, cooperatio, etsi propinqua, materialis tan-

---

(1) Libidinem magis excitat mulier cum vestes exuit quam cum vestibus iam exuta conspicitur; magis quae ambulat quam quae immobilis sine vestibus considet. — (2) LEHMKUHL, I, 827, 4.

tum est, modo ne formali petitioni finis turpis obsequium praestetur (1) ».

Perspicitur autem res nudas honeste pingi ad studia scientifica v. g. artis anatomisticae.

Quid de photographica imagine.

3. Dicta de *pictoribus* valent de iis qui **photographicas** imagines conficiunt. Aliquanto benignius de iis responderi potest, quatenus operam minus diuturnam praebent, et, quod ipsi negant, facillime ab aliis concedetur.

Quid de personis quae a pictoribus conducuntur.

4. « Cum ipsa actio in se non sit graviter turpis, et periculum pravi consensus potius e malitia inspicientium quam e natura rei oriatur, aequo severiores sunt praedicti auctores dum peccati gravis arguunt *mulieres* quae se ita nudas conspiciendas exhibent (2) ».

Id recte dicitur quod ad ipsam exhibitionem. Verum declinare practerea debent omnem *formalem* cooperationem ad res indecoras pingendas, sculpendas. *Materialis* cooperatio, secundum regulas generales, pro gravitate causae et mali ratione, excusari poterit. Cfr. NOLDIN, *De sexto*, n. 60.

De aspectu picturae, statuae.

400. — Aspectus **picturae, sculpturae nudae,** ex causa, ex modo repraesentationis, ex obiecto aestimandus est.

Plus pictura quam sculptura stimulos carnis acuit. Facta vivido modo, pictura vix minus quam res naturalis excitat. In his ipse usus plurimum potest : « Ab assuetis non fit passio ».

S. ALPHONSUS (3) non damnat de mortali qui, v. g. in horto, exponat statuam feminae, tectis solum pudendis, licet haec minime positive probanda sint.

De musaeis.

N. B. *De musaeis visitandis* cfr. consilia data n. **183.**

§ 3. — *De tactibus, osculis, etc.*

De tactu pudico.

401. — 1. **Tactus** qui vulgo **pudicus** censetur, ut prehensio manus, amplexus, osculum secundum patrium morem, ex solo pravo agentis affectu, qui, etiam in dubio, praesumendus non est, improbari potest. Nec valde incenti-

---

(1) LEHMKUHL, I, 827, 3. — (2) GÉNICOT, I, 407. — (3) L. 2, n. 56.

vus est, causaque iusta habetur spontaneum carni motum permittendi.

Si tamen de vere pravo affectu agentis *constiterit*, etiam huiusmodi tactus admitti non potest, nisi iusta causa damni proprii aut agentis (qui repulsa infametur) cooperationem excuset. Itaque facilis excusatio a gravi istius cooperationis culpa praesto est. Cfr. dicta de sponsis, n. 295 fine.

De osculis ex affectu datis.

2. Neque incentiva sunt oscula ex **pietatis** affectu inter parentes et posteros data et reddita.

3. **Misericordia**, alter nobilis affectus, etiam prudenter (cavendo ab alucinatione) exprimi potest per oscula quae ad terminum a venere plane diversum diriguntur.

4. Magis incentiva sunt oscula, etiam honesta, quibus **amor** significatur. Horum honestas ex amoris honestate aestimanda est. *Obiter*, cito facta, etiam deficiente causa, *venialia* tantum putantur.

Oscula reprehendenda.

Nimis frequenter, *in os* praesertim seu labia, repetita **oscula, nimis producti amplexus**, quia carnem graviter commovent nec causam inter solutos habent, de gravi arguuntur, nisi motus carnalis positive reprimatur, et, si pollutio magis instet, ab his cessetur.

Graviore etiam reprehensione notatur osculum *columbinum*, quo alterius lingua alterius ore excipitur.

5. Oscula itaque practice absolute prohibenda sunt iis qui, cum inter se tractatus matrimoniales non habeant, ea ex sensualitate tantum exercere possunt; maxime autem iis inter quos suspectus vel minus honestus amor exsistit; et, etiam propter scandalum, inter sacerdotes et personas extraneas.

Ratio agendi confessarii.

Ex regulis generalibus; **confessarius** colliget quid, dum omnia obtinere conatur, interdum aliqua bona fide peractum tolerare possit; maxime cautus et severus sit cum agitur de iis personis quae perfectam continentiam profitentur.

Oscula ex loco data.

6. Oscula ex aliqua veniali vanitate, **loco**, curiositate, levitate, petulantia, obiter facta, venialem culpam non excedunt.

Tactus proprii corporis.

402. — Tactus **inhonestarum partium** *proprii corporis*, ex **curiositate** aut levitate factus, veniale non excedit, se-

cluso tamen scandalo et periculo consensus venerei. Si studiose et morose fiat, tunc gravius reprobatur, quia graviter per se incentivum iudicatur (1).

Si naturali aliquo et non malo fine fiat, ne veniale quidem erit: ut si fricatione pruritum non venereum exstinguere volueris. De pollutione forte exoritura, cfr. dicta nn. 379. 380.

Etiam *paenitentiae* positivae suspectae esse possunt. Sunt ergo personae quae, propter ipsam puritatis custodiam, cilicia deponere et disciplinas omittere debent. Abstinentiae, ieiunia, varii actus abnegationis in hanc suspicionem non incurrunt. *Paenitentiae.*

403. — Tactus partium **minus honestarum** *alieni* corporis, obiter factus, mortalis non censetur. Plerumque autem mortalia sunt oscula in huiusmodi partibus aut in minus usitatis impacta, quia ex libidine manant vel eam proxime inducunt (S. Alphonsus, l. 3, n. 417). *Tactus alieni corporis.*

Tactus **inhonestarum partium** alterius corporis, ex petulantia vel curiositate obiter factus, citra affectum et periculum consensus venerei, a mortali excusari potest, saltem si persona eiusdem sexus sit, et occasio quaedam, v. g. simul natantium vel se lavantium, petulantiae locum dederit. (Sanchez, *De matrimonio* l. 9, d. 46, n. 12.)

Similiter excusant *ancillas* quae tangunt *pudenda parvulorum* quos vestiunt, quia haec aetas minus movet. Ab his tamen tactibus frequentandis sedulo deterrendae sunt, ne pueri pravam se tangendi consuetudinem assumant. Maxime autem reprehendantur quae infantes in verendis titillent. Ceterum obiective grave est titillationem venereaam cuius infans capax est excitare.

Ceteri tactus nudi partium inhonestarum alterius corporis, maxime si diversi sexus fuerit vel personae dilectae, a mortali excusari nequeunt. (Cf. Sanchez, l. c.; Tamburini, *Explicatio decalogi*, l. 7, c. 8, § 1, n. 6, fine; § 2, n. 3. 4.)

Immo tactus in verenda *alterius sexus supra vestes*, etiam obiter facti, valde suspecti sunt, quamvis stricte de mortali damnari posse non videantur (Sanchez, *De*

(1) S. Alphonsus, l. 3, n. 419.

matrimonio, l. 9, d. 46, n. 11; PALMIERI, tom. 2, tr. 6, n. 982, qui in severiorem sententiam S. ALPHONSI, l. 3, n. 420, propendet).

Tactus brutorum.

404. — Tactus genitalium **brutorum** per se venialis censetur. Si usque ad effusionem seminis perducatur, satis severe respondet S. ALPHONSUS: sed denique tandem affectus agentis considerandus est.

Quid liceat medicis.

405. — Ab omni peccato ob necessitatem excusantur *medici*, *chirurgi*, qui in arte sua exercenda, corpora aliena etiam in partibus inhonestis tangere debent. Nec obstat involuntaria pollutio. Occasionem quidem proximam peccati in remotam convertere debent. Quod ipsis facilius est, cum fine honesto et gravi moveantur, atque implorato Dei auxilio fidentius niti possint.

Oportet tamen ut in his scrutationibus et in ratione faciendi modum non excedant. Cf. CAPELLMANN, *De sexto praecepto*, in fine.

Qui tunc formaliter peccant, in occasione necessaria communiter versantur (1). Ac difficillime eosdem ad artem suam deserendam, etiam si possint, adduxeris. Quare satius erit nimis libidinosos ab arte periculosa exercenda efficaciter avertere dum studiis operam dant, vel melius etiam antequam studia ista elegerint. Quo enim magis ab arte exercenda remoti sunt, eo minus necessaria occasio esse videtur, atque eo facilius persuadebuntur.

De medicis femineis.

406. — Plures iam hodie mulieres lauream artis medicae consecutae sunt. Quod personis sui sexus succurrant in his rebus in quibus aeque ac viri peritae et idoneae probantur, id ad maiorem modestiae cultum conferre potest. Verum, cum recens et incerta adhuc sit experientia, non improbandae sunt aegrotae quae medicorum operam sibi postulant.

Quaestiones speciales de mammis.

407. — Ob nobile opus praebendi ubera proli, **mammae** matris duplici quaestioni locum dant.

De mammarum praeparatione.

1. Pio isti officio providus Deus delectationem quandam coniunxit, quae delectatio, secundum canonem generalem saepius inculcatum, honestatem operis participat,

---

(1) S. ALPHONSUS, l. 3, n. 488.

ita ut cum a coniuge tum a vidua vel non nupta acceptari possit.

Si autem, quod interdum accidit, delectatio stricte venerea oboriatur, mulier sua nobili actione propterea abstinere non debet; extra tamen statum coniugalem, positive ei assentiri vetatur. Verum, seclusa spontanea interrogatione paenitentis, confessarius huiusmodi scrupulos melius non excitabit.

De mammarum praeparatione.

2. Solent hodie non paucae uxores, praesertim honestioris condicionis, nimis arida, post partum, servare ubera, ita ut sufficienti copia lactis ad alendam prolem deficiantur. Defectui isti, si praevidetur, medici iam ante partum quadam uberum praeparatione occurrere satagunt, idque duplici modo : instrumento (vulgo *tire-lait*) quo, aeris aspiratione ubera trahuntur et artificiali ratione quasi suguntur; et variis manu peractis contrectationibus (*massage*). Nullum priori modo incommodum annectitur; posteriorem autem excitationes sexuales comitantur. Quae, quamvis, qua mere concomitantes, honesto fine, etiam in personis solutis, secluso consensu, excusentur, melius tamen ac prudentius vitantur. Quare, nisi alter modus seria utilitate praestet, prior potius adhibeatur.

§ 4. — *De comoediis.*

De comoediis, quod ad histriones

408. — 1. Qui **comoedias turpes exhibent** peccant mortaliter, quia sunt ruina proximi. Proportionata necessitas, secundum principia generalia, materialem cooperationem excusare poterit. A repraesentatione tamen comoediae valde turpis nullum lucrum regulariter excusat. Summum tolerari possit ut ad vitandam gravissimam necessitatem, et remoto periculo impurae delectationis, semel vel iterum quis in ea partem habeat, donec alia vivendi ratio diligenter conquisita inveniatur (1). Cf. dicta supra, n. 394.

Si autem quis debeat (ut non raro) ipsam obscenam significationem tono vel gestu illustrare et sic plausus

(1) Cf. S. Alphonsum, l. 2, n. 56; et Tamburini, *Decal.* l. 5, c. 1, § 4, n. 28, conferendum cum l. 7, c. 8, § 5, n. 1.

excitare, haec nobis directa esse videtur provocatio mali, quae numquam excusari potest.

Quod ad magistratus.

2. Ipsi *magistratus* qui illas permittunt *per se* graviter peccant. Excusari tamen aliquando poterunt, si ad maius malum impediendum illa non puniant et tantum tolerent. In magnis civitatibus, vix fieri potest ut, secundum morem receptum, quaedam exhiberi non permittant. Sed proprie turpia numquam admittere debent vel possunt, si auctoritate valent ad illa impedienda.

Magistratus itaque catholicus ita malum minuere conabitur, ut irrisionem vitet suae auctoritati noxiam ; rursus tamen dici nequeat bonos mores sub magistratibus catholicis nihil proficere.

Quod ad spectantes.

409. — *Interesse* sine necessitate comoediis *valde turpibus* eaque spectare quae de se valde commovent, per se grave censetur, nisi quis expertus sit se his rebus parum moveri.

Non valde turpibus ex curiositate interesse erit veniale, nisi grave scandalum aut proprium periculum rem gravius tibi interdixerit. Omnis culpa aberit, adhibitis cautelis, si iusta causa fuerit assistendi : ut si famuli, filii, uxores, nisi comitarentur, gravem indignationem domini, patris, viri passuri sint ; aut si officio publico interesse quasi cogaris ; aut si vera utilitas sit catholico viro haec satis cognoscendi ne, cum detrimento actionis suae, nimis in propria regione peregrinus videatur.

Observes autem magis lascivis choreis quae saepe inseruntur quam ipsis fabulis sensus excitari ; atque in frequentandis theatris saepe accidere ut periculum, magis quam a rebus exhibitis, ab aliis personis astantibus aut a sociis quibuscum adeuntur proficiscatur. Ideo consulendum per se est ut uxor virum comitetur, potius quam is solus ludos scenicos spectatum adeat.

Hoc genus chorearum lascivarum etiam in « *circis* » exhiberi consuevit. Nec modesto vestitu utuntur puellae quae equestres ludos participant. Quare saepe non est mitius de his spectaculis quam de theatris iudicandum : spectantibus non raro magis incentiva sunt.

Quod ad cooperantes.

410. — Qui pecunia huiusmodi comoediis, non tamen qua turpibus, favet, materialem praebet cooperationem

quae ex regulis generalibus aestimanda est. Cf. PALMIERI, *Opus theologicum*, tom. 2, tr. 6, n. 994.

N. B. Consilia de adeundis vel non theatris, cf. supra, n. 204.

§ 5. — *De choreis.*

De choreis per se et in concreto.

411. — 1. **Choreae** secundum se nec malae sunt nec actus libidinis sed laetitiae. Cf. S. THOMAM in c. 3 Isaiae.

2. In concreto tamen periculosae sunt nec laudari possunt.

Ob iustam ergo causam, ut sunt consuetudo, status proprii decentia, iussio parentum, eas ducere aut iis interesse, nisi probabile periculum peccati fuerit, non erit illicitum. Cf. PALMIERI, *Opus theologicum*, t. 2, tr. 6, n. 995.

Cavendum tamen erit ne participentur ludi isti choreales quibus significatio impura satis aperta est. De his severius dixerimus quam de quibusdam saltationibus, ut *Valse*, quas quidam rigorose prohibent. Quamvis enim in his personae femineae nimis quasi in manibus virorum versentur, consuetudo atque etiam necessitas attendendi ad rythmicos motus vim excitandae libidinis minuunt, ita ut honeste exerceri possint. Cf. dicta supra, n. 203.

Quid de choreis publicis sentiendum sit.

3. Choreae quae omnibus promiscue proponuntur magis improbandae sunt quam quae selectis personis reservantur. Utrum autem in choreis « popularibus » platearum plura peccata committantur an non quam in choreis divitiorum, id ambigi potest. Vestitus populi magis modestus est; licentia verborum et actionum, magis audax.

Immo ruri annuales choreae satis innocenter interdum exercentur; atque, ubi usus est, timendum est ne, iis suppressis, graviores, illa die, excessus committantur. Quare BERARDI eas in sua regione nullatenus improbat.

Quid de choreis larvatis sentiendum sit.

4. In choreis *larvatis*, occasio ruinae facilior aderit. Etiam tunc tamen adiuncta et condiciones personae perpendenda sunt. Cfr. PALMIERI, tom. 2, tr. 6, n. 995.

De argumento isto multus est BERARDI, *De occasionariis* n. 165-170.

De choreis puerorum.

5. In quibusdam locis instituuntur choreae *puero-*

rum utriusque sexus. Istae laudandae non sunt. Namque alienae a genuina educatione, quamvis venereae concupiscentiae inde abesse praesumantur, non valent nisi ad fovendum mundanum vanitatis spiritum.

Quid autem suadendum sit, cfr. supra n. 203.

§ 6. — *De vestitu.*

De vestitu.

412. — 1. De vestitu *minus modesto*, sive in choreis sive extra choreas, haec pauca satis erunt.

Iudicium.

Graviter peccant qui huiusmodi usibus originem dant; facilius a gravi excusantur qui ad usum iam receptum mere se accomodant. Quod etiam de nudato pectore valere admittit S. Alphonsus (1). Ipse tamen sapienter addit: « Ceterum non dubito quod sententia, ut supra relata, cum magna discretione oportet ut prudens confessarius utatur, ne indulgeat nimiae mulierum licentiae, quae libidinem involvet, cum pie viventes non sic incedant.... Non dubito quod huiusmodi indecens mos enixe a praedicatoribus et confessariis, quantum fieri potest, coercendus est et extirpandus ».

Semper autem id urgendum est, ut vestitus simul ad morem et ad modestiam aptetur.

2. Immo, nostris diebus, ut voto S. Alphonsi fiat satis, nimia ista servitus qua mulieres christianae pedissequae sunt sartorum et meretricum in vestibus adhibendis, excutienda videtur, et ope consociationis id procurandum est, ut qui novas vestium rationes inveniunt, ipsa lucri spe impellantur ad vestes quae simul formosae et modestae sint excogitandas et propagandas.

---

(1) L. 2, n. 54. 55.

Caput V. — De virtute Pudicitiae.

Pudicitiae notio.

413. — Sicut, post introductionem, a virtute castitatis initium dicendi fecimus, sic liceat nobis eidem virtuti finem istius tractatus reservare.

Multis his artibus quibus vera luxuria sibi viam sternit vel iam ingressa se dissimulat contraria est virtus **Pudicitiae**, quam castitatis propugnaculum appellare possumus.

Pudicitia nobis, sua inclinatione, suadet, ut omnem luxuriae significationem devitemus, et in aspectibus, osculis, tactibus omnem suspectam delectationem fugiamus, sed potius castitatem et continentiam manifestemus et profiteamur.

Nobis suadet ut illud praestemus, sive soli sive coram testibus, quia « spectaculum facti sumus angelis et hominibus (1) ».

meritum

Pudicitia ita ad castitatem pertinet ut ab ea, qua virtus, non distinguatur (2).

Nobili eius studio omnis castitas firmatur, angelica praeparatur.

PARERGON

QUO PACTO CONFESSARIUS SE GERERE DEBEAT.

Varia consilia.

414. — In causis castitatis et oppositae luxuriae, Confessarius, licet falsa proferre non possit, ita tamen prudenter agere debet ut, quantum possit, periculum labendi a paenitentibus avertat; praesertim cum de levi vel gravi peccato, de plena vel imperfecta tantum imputatione certo pronuntiare saepe difficillimum sit; ac temeraria condemnatio ad desperationem, improvida haesitatio ad vix sanabilem anxietatem, inconsulta excusatio ad funestam audaciam animus non raro perduxerit. Quare formidolosos firmis responsis quietet, simul tamen paenitentes, maxime *clericos* et *iuniores*, ad tutiora sectanda

(1) I ep. ad Cor. 4. 9. — (2) 2, 2, q. 151, art. 4.

efficaciter inducat, secundum illud (1): « In hac materia sexti praecepti, oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem ».

Paterna vero severitas, quae temerarias actiones arcet, benevolentiam erga personas minime excludit.

Ut tamen propriae securitati et perfectioni consulat, confessarius sedulo attendat ut eius affabilitas supernaturalis maneat, nec in aliqua re seipse quaerat.

Ita quoque se comem et benignum exhibebit, ut nulli sensuali affectui apud alios det locum.

Ne ignoret sub intensae pietatis velamine latere posse paranoiam religiosam, quae in morbida sed vehementissima concupiscentia radicatur. Ne ignoret personas esse quibus, ad experiendam voluptatem, satis est de rebus sexualibus cum alio loqui. Huiusmodi ergo personae, praesertim innuptae feminae, infimas satisfactiones in ipso paenitentiae tribunali quaerere possunt.

« Quapropter confessarius maxima cautela et vigilanti prudentia agere debet cum huiusmodi personis, eo magis quod fanatismus religioso-eroticus mulierum, innuptarum praesertim, profundas radices in femineo corde immittit, quae sat difficile postea removentur. Nisi maxima vigilantia, cautela et prudentia adhibeatur, fama sacerdotis maximum detrimentum capere potest. Cum hae mulieres occurrunt, sunt cito ad medicum mittendae (2) ».

Coniugibus eum vitae tenorem suadebit quo alter altero contenti vivant atque in mutuo amore et existimatione crescant. Quamquam ad perfectiora consilia illos perducere non negleget.

Alios autem ad haec praecipue hortabitur:

Ut quaecumque mira, insolita sunt in his rebus fugiant.

Ut si gravis causa sit aliquid videndi, legendi, tractandi quod sensum commovere queat, simplicem, non anxium agendi modum servent.

---

(1) S. Alphonsus, *Homo apostolicus*, tr. 9, n. 34. — (2) Antonelli, II, 222. 223. Cf. quoque Gemelli, *Non moechaberis*, pp. 43. 44. 55.

Ut, excepta iusta causa, quam minime in his versentur, et speciosos praetextus fortiter repellant.

Ut, etiam in actione necessaria, affectus minus puros et motus carnis vitare studeant.

Ut sinceritatem et robur animi maximi faciant et sibi comparent.

Ut memores sint dignitatis humanae et amoris quo Christus animam fidelis sibi desponsavit.

Ut sublimiora studia impense foveant.

Ut caelestem eucharistiae cibum, ea qua par est devotione, frequentissime gustent.

Ut, tenera etiam devotione erga purissimam Virginem, non tantum horrorem peccati sed apostolicum castitatis amorem in se foveant, cuius S. PAULUS egregium documentum tradidit.

Hoc modo delicatam et iucundam puritatem inculcabit; christianosque instituet de quibus iam saec. II° ATHENAGORAS: « Cum spem aeternae vitae habeamus, oblectationes huius vitae contemnimus » (1).

SUPPLEMENTA

Delectatio generalior.

415. — Ad n. 24. Generalior ista attemperatio de qua ibi sermo instituitur, potissimum sequitur delectationes saltem vehementiores et plene conscias.

Neganda quidem non est efficacia quam possident ipsae sensationes qua tales adducendi in aliis facultatibus motus quosdam reflexos: sic, dum manducamus, ultronea quaedam habetur productio seu secretio salivae.

Processus autem maxime notabilis et a nobis attendendus is est, ut ex sensatione (quo nomine philosophi recentiores appellant etiam dolorem et voluptatem, *le plaisir*) resultet definitus quidam affectus, in primis affectus bene vel male se habendi (*sentiment de bien-être ou de malaise*); et affectus iste determinet generaliorem corporis vel in

(1) *Legatio pro christianis*, n. 32 (M. P. G. 6, 966).

corpore harmonicam attemperationem. Immutationes corporis physiologicae hae fere sunt: palpitatio cordis magis vel minus fortis et frequens; varia localis pressio (*pression*) sanguinis (*par vaso-motion*); anhelitus magis minus amplus et frequens. Immutationes istas comitantur hinc inde intensior aut remissior tonus musculi (*ton musculaire*); varia per corpus distributio potentiae electricae; varia nervorum affectio et actio (*différences d'innervation*), etc.

Coenesthesia.

416. Ad n. 25. — § 1 accuratius sic proponetur: 1. Ista corporis attemperatio satisfactiones exteriores comitari atque easdem etiam, si praevisae et expectatae sint, antecedere potest. Apta autem corporis dispositio ad pleniorem fruitionem rerum delectabilium nos praeparat.

Non absimili ratione remedium quodpiam afferri potest *cryptorchismo*, *eunuchiodismo* (statui quasi eunuchorum), immo ipsis eunuchis et senibus aliqua fortasse potentia restitui.

Inversionis sexualis remedium.

417 ad n. 37. — **Inversio sexualis** cuiuspiam rationis corrigi posse videtur extirpatione saltem partiali testiculorum hominis infirmi, laborantis paraesthesia sexuali, et transplantatione testiculorum sanorum, seu partis eorum in subiectum infirmum. Observatum enim est excitantia elementa (dicta « *hormones* »), quae ad secretionem internam pertinent, esse in se diversa pro feminis et pro maribus; atque « hormones » unius sexus alterius sexus « hormonibus » impediri et sopiri. Cfr. Dr. Hirschfeld, *Künstliche Verjüngung; Künstliche Geschlechts-Umwandlung.*

Estne delectatio specialis.

418 ad n. 91. — **De speciali ratione delectationis venereae** iuvat haec distinctius proferre. 1. Quatenus sensatio sumitur concreta cum iucunditate, seu delectatio consideratur ut incorporata in sensatione, istud *unum quid* formaliter differt a delectationibus quas aliae sensationes iucundae visionis, auditus, tactus afferunt. 2. Si autem sumamus ipsam fruitionem subiecti (fruitionem dico sensibilem, non gaudium magis spirituale), secundum hodie probabiliorem sententiam, variae fruitiones (*jouissances*) ut sic sumptae et quasi separatae a causa, variant quidem inaequali participatione corporis et animi (corpus maiores partes habet in satisfactione gustus quam in satisfactione visus; maxima est corporis participatio in vene-

rea satisfactione) ; variant quoque intensitate ; sed omnes fruitiones ad unam communem generice seu specifice rediguntur, ita ut moralis specificatio *ex causa* derivanda sit.

Matrimonium in hodierna Russia.

418-*bis*. Ad n. 116. — In hodierna republica Russiaca, tam tyrannice oppressa factione « Bolschevik », placita «liberi amoris » sanctionem legalem obtinuerunt novo Codice, cuius altera sectio, quinque constans capitibus, iuri matrimoniali destinatur. Itaque matrimonium, omni nota religiosa spoliatum, nec ius aliquod dat coniugibus nec officium aliquod cohabitationis imponit, nec communitatem bonorum inducit : solam creat obligationem alendi indigentem coniugem. Causae autem iustae perfecti divortii sunt consensus mutuus, atque etiam optata ab alterutro coniuge separatio. Quam vere S. Paulus scripsit : « Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae » (Rom. 6, 20)!

Revelatio mysteriorum vitae.

419 ad n. 199. — **De modo et methodo revelandi mysteria** vitae. Ad prudentem methodum hoc etiam pertinet ut non proponantur quae phantasma copulationis sexualis suggerent. Itaque sermo fiat potius de coniunctione nemaspermatum cum ovulo femineo quam de coniunctione partium sexualium seu penetratione membri virilis in vaginam.

In erudita relatione de isto argumento, R. P. Hurth S. I. opportune distinguit *educationem sexualem*, quae simpliciter commendanda est, et *revelationem sexualem*, quae non potest esse nisi pars, prudenter exsequenda, prioris educationis.

Usus matrimonii dubii.

420. ad n. 235. — **De usu matrimonii dubii** quae ibi scripta sunt supponunt nullum intervenire impedimentum criminis, quo matrimonium certo fiat nullum ; nec facultatem parti innocenti esse concessam alias, certas nuptias iungendi, quia praesumptio pro validitate prioris matrimonii praesumptionem pro nullitate alterius matrimonii inducat, quae praesumptio libertatem restituat parti quae nullo priore vinculo teneatur.

Essentialis malitia pollutionis.

421. ad n. 327. — **De essentiali malitia pollutionis** haec praeterea observanda veniunt.

Non adeo inter se differre videntur, quod ad rem, qui essentialem malitiam pollutionis ponunt in usu completo

venereorum privato relatione ad speciem, et qui eandem reponunt in delectatione male quaesita.

Utrique enim profitentur ordinem cuius privatio principaliter attendenda est, esse ordinem ad speciem.

Priores autem contendunt, quod, secundum principia S. Thomae, delectatio sequitur naturam operationis, ita ut non operatio propter delectationem sed delectatio sit mala propter operationem, ac proin in ipsa delectatione, ut sic, ratio malitiae reperiri nequeat; — quod delectatio, utpote subiectiva affectio subiecti, nullum immediatum ordinem ad speciem habere queat: est semper bonum hominis quod delectatur; sed delectatio regulatur operatione, quae hic est bono speciei regulata; — quod abusio delectationis non sit sola malitia pollutionis, quia iste abusus mere poneret inordinationem in ipso subiecto, cuius ratio passione vinceretur.

Haec autem negari non posse videntur.

Posteriores vero assumunt principium S. Thomae: peccata specificantur moraliter, ex bono commutabili ad quod peccans se convertit. Iam vero bonum hic est delectatio. Neque hoc dubium cuiquam esse posse videtur.

Quare ambae sententiae hoc modo componi posse videntur, distinguendo gravitatem peccati et eius specificationem. Quia peccans quaerit delectationem, peccatum est contra castitatem et refertur ad Temperantiam. Privatio autem est ordinis ad speciem quem habere debet operatio cui coniuncta est delectatio. Et ex ista privatione, habet pollutio principalem suam malitiam. Si foret principaliter abusus delectationis qua talis, non tolleret nisi ordinem hominis in seipso.

Si vero existimes controversiam huc spectare, utrum pollutio mala sit quia *delectatio* quaesita privetur relatione ad bonum speciei, an quia *operatio* ex qua delectatio capitur hac relatione privetur, hoc posterius tenendum arbitramur.

Quocirca, sublata delectatione, usus completus venereorum extra concubitum graviter vetitus manet propter privationem ordinis ad speciem; sublato autem usu venereorum, delectatio privatur sua regula proxima, et aliunde iudicanda erit bona vel mala.

Confirmamur auctoritate S. THOMAE. Quando 1, 2, q. 34 art. 1, c. concludit: « Delectationes bonorum operationum sunt bonae, malarum vero malae », quando 2, 2, q. 154 art. 4, malitiam luxuriae imperfectae inde demonstrat, quod « consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, et non solum consensus in actum », sane ipse non ponit in ipsa delectatione sed in actu inordinato primariam malitiae rationem. Quare 2, 2, q. 153 art. 3, peccatum luxuriae repraesentat ut abusum venereorum, non ut abusum delectationis.

Notanda quaedam de psychologia sexuali.

I. — *Notiones quaedam de vita psychica inferiore seu animali.*

Sensatio, affectus, appetitus.

422. — 1. In vita psychica superiore seu rationali, recta philosophia, recedens a placitis Cartesianis, duplicem tantum facultatem agnoscit: intellectum et voluntatem, seu cognitionem et appetitum rationalem; tertiam vero quae vocabatur *affectiva* seu affectus (*le sentiment*) alii ad intellectum alii ad voluntatem pertinere censent.

In vita porro psychica inferiore, tria occurrunt quae speciatim observantur: *sensationes* seu apprehensiones sensitivae; *affectus* iucundus vel iniucundus inde resultans; et *appetitus* seu tendentiae prosecutivae vel aversativae. Tria ista etiam moderni ad duo revocant. Ipsi autem magis quaerentes quid *simplex* seu irreductibile, quid *compositum* videatur, ambo haec ut simplicia exhibere solent: sensationes et affectus, dum appetitum in utraque priora elementa resolvi posse contendunt. Rursus autem philosophia classica, magis ad facultates actuosas respiciens, omnia potius refert ad *apprehensionem* et *appetitum*. In delectatione vel affectu contrario interveniunt: *a*) Coniunctio cum bono vel malo, ut proxima causa affectus grati vel ingrati; *b*) Perceptio istius coniunctionis; *c*) Consequens complacentia vel displicentia. Estne autem formaliter delectatio vel affectus contrarius in apprehen-

sione aut in appetitu: de hac re disputant scholastici et ipse S. THOMAS variasse videtur. Cfr. *De veritate*, q. 26, art. 4 ad 4; *In tertium Sent.* d. 15, q. 2, art. 3 sol. 2; *Summa theol.* I. 2, q. 35, art. 1. De hac re Cfr. FROEBES, *Lehrbuch der experimentellen Psychologie*, I, 24. 197. 198; II, 425, n. 2.

2. Ut de singulis elementis pauca dicamus: *Sensationes* tres genere distinguuntur, secundum physiologistas: sensationes *externae*, sic dictae ex earum obiecto seu causa per quam determinantur, v. g. per contactum; — sensationes *cinestheticae*, i. e. eae quibus potissimum instruimur de situ et motu sive ipsius corporis sive membrorum in sua mutua relatione (cfr. FROEBES, op. c. I, p. 145); — sensationes *organicae*, quae internorum organorum mutatione excitantur et nos docent statum organismi, maxime autem nos commonefaciunt de perturbatis functionibus vitae vegetativae utputa de male decoctis cibis, obstructione viscerali, de fame, siti, defatigatione.

3. *Affectus* seu *status affectivus* designat statum et condicionem subiecti in seipso, seu modum quo se habere experitur, unde dicimus: *me habeo* (*mi sento*) *bene vel male*.

Affectus cum sensationibus coniungi consuevit, sive eas comitetur sive ex iis resultet: sic sensus iucundae satietatis quem experitur homo sanus qui, intra limites temperantiae, bonos cibos et suavem potum sibi assimulavit. Potest quoque independenter a sensationibus subsistere. Sic, imperante voluntate, vel dominante causa magnae laetitiae, aliquis in medio dolore sensibili *bene se habere* seu affectum existimare potest, sicut, contra, morales dolores efficaciam sensationum iucundarum impedire possunt. Itaque inter affectum et sensationes vigent leges associationum et mutui influxus.

Plerique hodie, saltem cum sermo fit de psychologia inferiore, duos tantum specifice diversos affectus distinguunt: iucunditatis vel incommodi (*jouissance*, *bien-être*, ou *malaise*, *indisposition*). Non pauci tamen, cum WUNDT, plura paria affectuum agnoscunt: excitationis et quietis; contentionis et relaxationis.

Vehementiores affectus efficiunt physiologicas mutationes organorum internorum, quae mutationes rursus efficiunt sensationes et his conexos affectus partiales. Sic

animi moeror tollit famen, affert cruditatem stomachi, quae et ipsa affectum nostrum mutat.

Plures affectus partiales (secundum non paucos physiologistas, etiam qui sint contrarii) confluere solent in resultantem summam quae affectus *totalis* dicitur. Totalis autem affectus ex conspiratione omnium sensationum organicarum manans, seu affectus nostri corporis complexive sumpti, dicitur affectus *generalis* seu *communis*.

4. *Appetitus* est actus quo subiectum fertur in bonum apprehensum (praesens vel absens). In appetitu inferiore tendentia, est spontanea ; cui, ex instinctu succedit, spontanea quoque, prosecutio vel fuga exterior : directiones instinctivae sunt in homine minus definitae.

II. — *Quaenam elementa psychica pertinent ad actum stricte sexualem seu venereum.*

423. — A. *In vita psychica inferiore seu animali.* *Actus sexualis in vita animali.*

Stricte sexualem seu venereum vocamus quemlibet actum quem natura destinat et reservat, relatione immediata vel mediata, propriae amborum sexuum coniunctioni (de functione sexuali animalium inferiorum non agimus), vel quamlibet actuationem apparatus genitalis, quae, ex fine operis, tendit ad prolem procreandam. Sunt ergo actus completi : copula naturalis et innaturalis ; et actus incompleti : in viro voluptuosa erectio et agitatio membri ; in muliere delectabilis erectio clitoridis et vaginae contractio.

Itaque : 1. Sensationes venereae sunt : *a*) Sensatio *externa*, quando ipso contactu, in glande, clitoride, labiis pudendi, vagina, ore uteri, excitatur titillatio propria organi sexualis (non mere sensatio caloris, duritiei, etc.) — *b*) Sensationes *cinestheticae* quae in actum venereum diriguntur vel ex impulsu stricte sexuali oriuntur, v. g. ex phantasmate obsceno. Non est ergo sexualis mera sensatio erectionis membri qua de eius situ instruimur. — *c*) Sensationes *organicae* adductae sanguine quo cavernosa corpora penis, clitoridis opplentur, quae cum seminis (saltem late dicti) emissione coniunctae sunt. *Quinam actus sint venerei.*

Estne affectus venereus?

2. Quod ad *affectum* spectat, iam supra diximus, secundum magis probabilem sententiam, non haberi, in vita animali, affectum specifice proprium, si sumatur separatim a sensatione.

Observatur autem mere iucundus in actu completo; in actu vero incompleto compositus affectibus partialibus, aliis iucundis aliis ingratis, ita tamen ut dominans seu praevalens sit affectus cuiuspiam molestiae et tensionis, cui non est satisfactum.

Appetitus venereus

3. *Appetitus* venereus sponte amplectitur ut satiativum, actum completum; si non est completus vel prorsus deficit, ultro fertur, per *instinctum sexualem*, ad eundem complendum vel aptis actionibus procurandum.

Quid delectatio venerea.

424. — *Corollarium.* Quid est **delectatio venerea**? Est *status psychicus* adductus sensatione venerea seu stricte sexuali et coniuncto affectu. Consequens motus appetitus sensibilis versus istam delectationem, ipsum appetitum superiorem sollicitat.

Vis phantasiae.

425. — *Scholion.* Omnes sensationes venereae phantastice etiam repraesentari possunt; et tunc eundem quem sensationes externae effectum producere.

B. *In vita rationali superiore.*

Partes vitae superioris.

426. — 1. Cognoscuntur, cognitione reflexa, tum bonum delectationis venereae, tum bonum honestum, eiusque exigentiae. Haec locum dant deliberationi de consensu vel repudiatione obortae sensationis et producti affectus.

2. Appetitus superior praesentem delectationem studiose amplecti potest, vel eidem non consentire: quo casu numquam est plena vel totius hominis. Sensationes et affectum conexum directe cohibere, saltem ex toto, imperio voluntatis, homo non potest. Antequam autem ortae sint, poterit physico medio, v. g. ligatione, impedire ne sanguis affluat et sic ne reflexae agitationes membri fiant. Phantasticam cooperationem saepe, non semper, prohibere potest, maxime divertendo imaginationem ad alia consideranda.

III. — *De instinctu sexuali.*

A. *In animalibus non rationabilibus.*

427. — Instinctus sexualis nomine venit innata propensio ad actus sexuales. Dispositio ista generatim est habitualis seu latens ; in actum transit ope stimulorum qui externi vel interni esse possunt. *Quid instinctus sexualis.*

Quinam sint, iam in corpore libri dictum est, atque iterum dicemus infra.

Observes autem in animalibus non omni anni tempore adesse proximam potentiam actus venerei et conexae excitationis.

Quando vero interna secretio ea facit ferventia seu calida, tunc, si adest stimulus externus, v. g. odoris corporis alterius sexus, impelluntur ad contrectationes quae orgasmum inducunt, quo simul resolvunt statum affectivum praecedentem qui est cuiusdam tensionis seu turgescentiae. Atque etiam extra externas occasiones, instinctus, mediante associatione innata, excitat phantasma manipulationum quae circa organa sexualia alterius sexus peragenda sunt.

Theoria igitur satis recepta tria distinguit quibus instinctus sexualis componatur : *turgescentia, contrectatione, detumescentia.*

In animalibus non rationalibus, praeterea, instinctus sexualis est determinate tantum ad actus venereos, seu in propriam delectationem ex copula percipiendam. Atque est irresistibilis, quatenus animal ei proprio marte resistere nequit: soli extrinseci timores impulsum vincere possunt.

B. *In Homine.*

428. — 1. Instinctus sexualis etiam in homine adest ; sed minus definitus. *Duplex* enim distingui potest; alter, *stricte dictus*, qui immediate fertur in delectationem carnalem, mediante copula obtinendam : corpus ad corpus admovet ad delectationem veneream obtinendam. Alter personam versus personam movet, seu quaerit personam alterius sexus propter characteres sexuales secundarios, i. e. propter qualitates psychicas et somaticas alterius se- *Duplex ratio instinctus sexualis.*

xus, cuius conversatio ideo fit amoena. Verum hoc studium personae remote disponit ad delectationem veneream. Simul cum persona, prope adest corpus; familiaris usus mox excitat ipsum appetitum carnalem. Quae omnia sapienter ordinata sunt ut matrimonium inter homines esset re vera non mera coniunctio corporum, sed per universaliorem unionem, ad corporalem fruitionem disponeret et adduceret.

Varii stimuli.

429. — **De instinctu stricte sexuali.** Stimuli instinctus stricte sexualis distinguuntur *normales* seu consueti vel hominibus communes, et *abnormes* qui quorundam sunt proprii. Sunt deinde *specifici*, si fere non alium usum habent nisi actuandi instinctum sexualem; dum *communes* appellantur qui etiam aliam utilitatem habent.

Stimuli normales et specifici sunt *psychici* vel *non psychici* seu mere materiales. Posteriores influxu chemico centra nervorum afficiunt et independenter ab omni subiecti conscientia operantur: sic *aphrodisiaca* pharmaca, et maxime « hormones » interne secreti, et quorum influxui pollutio nocturna potissimum ascribenda videtur. A non nullis additur ipsa pressura (*la pression*) glandulae quae elementis exscreandis abundet.

Stimulus *psychicus* non movet nisi cognitus. Ut vim suam exserat, praeter obiectum excitando appetitui idoneum, seu sapidum, istudque cognitum, requiritur in subiecto aptitudo ad subeundam istam incitationem, et subinde agendum in obiectum, seu ad patiendum, quam *sensibilitatem* vocare possumus: Dicitur « *receptivitas* et *reagibilitas* ».

Variant satis istae subiectivae aptitudines. Sunt qui toto aliquo genere stimulorum nullatenus afficiuntur, dum apud alios stimulus certis notis peculiaribus compleri debet: alii nuditate, alii coloribus excitantur; alii, praeter nuditatem, postulant definitas corporis formas a quibus alii abhorrent. Stimuli, itaque, sunt *relativi*, non adeo tamen ut desint quibus communis vis concitatrix assignari queat, quae, ante experientiam, praesumenda sit efficax futura. Tales sunt, sensatione externa perceptae vel interne repraesentatae, functiones sexuales, ipsae

partes sexuales, addita quadam corporis nuditate, actus praeliminarii copulae.

2. *Receptis stimulis*, succedit *status* quidam *affectivus*, satis complexus, compositus elementis iucundis sensationum sexualium, et iniucundis excitati et distenti organi et non satiatae appetitionis venereae: istud physiologice, hoc psychologice inducit statum affectivum ubi praevalet molestia et iniucunditas. *Status affectionis.*

3. Hinc nascitur *appetitus* plenae satietatis quae completis affectibus iucundis et remotis aliis obtinebitur. In hunc finem phantasiae, mediante instinctu, et rationi, mediante experientia, faciendae apparent manipulationes circa organa sexualia, maxime alterius sexus, ad quas faciendas subiectum vehementer impellitur (*Appetitus contrectationis*). Inde crescit excitatio ex additis novis stimulis, et pervenitur ad *akmê* seu apicem excitationis. Tunc summa ordinis inferioris obtinetur voluptas, et simul cum seminis vel quasi-seminis profusione resolvitur *orgasmus*, quo nomine venit totus processus summae commotionis carnalis, constans sensationibus, affectibus, mutationibus physiologicis. Impulsus autem naturalis removendi tensionem organorum vocatur appetitus *detumescentiae*: ei satisfit in ipso orgasmo. *Appetitus.*

430. 4. — Observes igitur, quod notabile est, *instinctum venereum*, qua talem, non ferri in procreandam prolem, sed in propriam delectationem experiendam. *Quo tendat instinctus venereus in homine.*

Nexus autem inter stimulos, sensationes, affectus, appetitum, et impulsum ad exsecutionem seu actus exteriores, non est ex arbitrio humano sed ex conexione naturali et ingenitis associationibus instinctus.

5. *Instinctus venereus* in homine est imperio facultatum rationalium varie subiectus. Ductus intellectu et voluntate, quae, propter unitatem compositi humani, etiam ad haec quaerenda propendent, potest homo stimulos sexuales consulto quaerere, retinere, augere etiam artificiose, diutius servare, modis insolitis excitare quorum cupido in brutis non habetur. Homo enim, contra ac brutum, simul sentit quam impar sit ipsa completa satisfactio carnalis procurandae felicitati. Quare stimulus perficiendi sensationem in ipso excipitur studio augendi

ipsam satietatem. Ac potest etiam stimulis et ipsi affectui negare assensum, mentem ad sublimiora avocare, antecedente cogitatione minuere stimulorum efficaciam, et fugere deliberate occasiones excitationum.

Instinctus sexualis late dictus.

431. — **De instinctu sexuali late dicto.** Personae etiam diversi sexus possunt nobili amicitia devinciri: sic ab affectu filiorum ad ambos parentes et parentum ad prolem soletconsideratio stricte sexualis longius abesse. Sed quando alter sexus formaliter quaeritur, tunc amor fundatus in characteribus sexualibus est necessario, ex parte saltem, sensualis. (Atque etiam in nobili affectu ad personam, non sanguine proximam alterius sexus, aliquid sensuale facile subintrat.)

Instinctus sexualis late dictus fit etiam actuosus ope stimulorum qui maxime sunt psychici (qui non agunt nisi cogniti).

Stimuli isti inducunt statum affectivum, similem atque in instinctu venereo. Habetur iucunditas, si praesens est persona in quam fertur subiectum et locus datur commercio cupito. Si alterutrum desideratur, praevalebit affectus tensionis et molestiae, cum propensione ad quaerendam plenam satisfactionem. Affectus vehementior affert mutationes physiologicas, sensationes cum conexis affectibus; non tamen in organis genitalibus, saltem per se. Si autem transire incipit in appetitum carnalem, statim aderunt mutationes in his organis. Observes tamen istam propensionem carnalem posse esse involuntariam et repudiatam.

Appetitus tendit, ut diximus, ab obtinendum affectum communem et totalem iucunditatis; ad eundem, si adest, retinendum et complendum. Impellit proinde ad actus internos et externos quibus perficitur unio cum persona amata. Quo magis autem vicinitas personarum fit vicinitas corporum, eo magis attentio dirigitur in qualitates typicas *corporales* (criteria secundaria sexus), et unio inter personas eo magis se manifestat signis corporalibus ut sunt oscula, amplexus continuati, mulsiones etc. E contra, quo magis receditur ab instinctu carnali, eo magis ad qualitates psychicas attenditur, et signa corporalia familiaritatis plus minusve negleguntur.

Haec non paucis consiliis prudentibus viam parant. De actione facultatum superiorum nihil speciale addendum est. Hae possunt cum res id suadet, prudenter impedire ne propensio fiat carnalis, ne motus carnales forte suborti acceptentur, personas inducere ut omni sensuum satisfactioni valedicant, atque ipsum commercium non valde utile prudenter abrumpant.

ERRATA ET ADDENDUM

432. — P. 17, lin. 8, GOUBERT, lege : JOUBERT.

P. 382, lin. 36, ex loco... loco, lege : *ex ioco... ioco.*

Ad n. **241, 2. Quid**, si, ne uterus inficiatur « microbiis » vaginae, adhibeatur « condom » parvo meatu ita foratum, ut sinat partem seminis in vaginam effluere, dum retinet alteram partem artificialiter in uterum proiciendam? Neque hunc modum permitti posse existimamus, quia non licet homini in aestu carnali, *directa* voluntate partem seminis extra vas naturale effundere, seu dimidiatam pollutionem facere. Verum exiguis quibusdam texturis in vagina depositis et quae semen purum servent, eadem immunitas a contagio obtineri posse videtur.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Action populaire de Reims. L'éducation de la pureté. Faut-il parler? Comment le dire? Simples notes à l'usage des parents et des éducateurs. Paris, 1920.

ADHÉMAR (D') (Vicomtesse). *Nouvelle éducation de la femme*, Paris, 1898.

AERTNYS (Ios. C. SS. Red.). *Theologia moralis secundum doctrinam S. Alphonsi de Ligorio*, ed. 8. Tornaci, 1913.

ALBERTI (I. R. D.). *De Sexto et Nono praecepto et usu matrimonii*, ed. 2, Romae, 1914.

ALBERTONI e STEFANI, *Fisiologia dell'uomo*, ed. 3, Milano, 1908-1913.

ALPHONSUS DE LIGORIO (S.) *Theologia moralis*, ed. GAUDÉ, Romae, 1905-1912.

— *Homo apostolicus.*

ANNALES DE LA SOCIÉTÉ SCIENTIQUE DE BRUXELLES, Louvain.

ANNALI DI OSTETRICIA, GINECOLOGIA, E PEDIATRIA, Milano.

ANNIBALE (D') (Ios. Card.). *Summula theologiae moralis.* ed. 4, Romae, 1890-1897.

ANTONELLI (R. D.), *Medicina pastoralis in usum confessariorum et curiarum ecclesiasticarum*, ed. 4, Romae, 1920.

— *De conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium*, Romae 1900.

— *Pro conceptu impotentiae et sterilitatis ad matrimonium. Animadversiones in opus P. Eschbach, Disputationes, etc.* Romae, 1902.

— *De mulieris excisae impotentia ad matrimonium*, Romae, 1903.

ANTONINI (S. O. Pr.). *Summa s. theologiae, iuris pontificii et caesarei.*

ARENDT (GUL. S. I.). *Relectio analytica super controversia de impotentia feminae ad generandum*, Romae, 1912.

AZPILCUETA (MART.), Doctor Navarrus, *Manuale confessariorum.*

BALLERINI (ANT. S. I.). et PALMIERI (DOM. S. I.). *Opus theologicum morale in Busembaum medullam*, ed. 3, Prati, 1898-1901.

BAUDRY-LACANTINERIE, *Cours de droit civil*, Paris, 1888.

BELLARMINUS (ROB. Card. S. I.). *Disputationes de Controversiis Fidei.*

BERARDI (AEMIL.). *Praxis confessariorum seu universae theologiae moralis et pastoralis tractatus theoretico-practicus*, ed. 2, Bononiae, 1887, 1891.

BILLUART (O. Pr.). *Cursus theologiae universalis. Tractatus de ceteris virtutibus iustitiae annexis.*

*** *The declining Birth-Rate, its causes and effects* (Being the Report of and the chief evidence taken by the National Birth-Rate commission, instituted, with offi-

(1) Quamvis, ex allegatis scriptoribus, plures alii a fide sint alieni, observandum tamen putamus, BLOCH, FOREL, LALANDE, NYSTRÖM, pertinere ad scholam « Naturalistarum », quam omnino improbamus.

cial recognition, by the National Council of Public Morals, for the Promotion of Race Regeneration, Spiritual, Moral and Physical), London, 1916.

Bloch (Ivan). *La vita sessuale dei nostri tempi nei suoi rapporti con la civiltà moderna.* Trad. del Dott. Prof. Mario Carrara, ed. 4. ital. Torino, 1912.

Bohn (G.) *La naissance de l'intelligence,* Paris 1909.

Bonacina (Mart. Episc.) *Opera moralia.*

Bonaventura (S. O. Fr. M.) *Commentarii in Magistrum Sententiarum.* — *Breviloquium* (ed. ad Aquas Claras).

Boruttau (Prof. Dr. H.). *Fortpflanzung und Geschlechtsunterschiede des Menschen.* Leipzig, 1916.

Bourgas (Michel) *Le droit à l'amour pour la femme,* Paris, s. d.

Bourget (Paul). *Un divorce,* Paris s. d.

Bucceroni (Ian. S. I.). *Institutiones Theologiae moralis secundum doctrinam S. Thomae et S. Alphonsi,* Ed. 6. Romae, 1914 et 1915.

— *Casus Conscientiae propositi a C. de Lugo, a P. Beniamino Elbel, a P. Ioanne Petro Gury aliisque auctoribus resoluti a P... Accedunt plures casus resoluti a SS. Rom. Cong.* ed. 6, Romae, 1913.

Bureau (Paul). *L'indiscipline des moeurs.* Paris 1920.

Busembaum (Herm S. I.). *Medulla theologiae moralis.*

Caietanus (Thomas de Vio Card. O. Pr.) *Summula casuum.*

— *Commentarii in Summam S. Thomae.*

Capellmann (C). *Medicina pastoralis.* ed. 11, Acquisgrani, 1896.

Capellmann-Bergmann - Lehmkuhl (Trad. Fr. de Bénéjac). *La médecine pastorale,* d'après la 15e édition allemande, Paris, s. d.

Capellmann-Bergmann, *Pastoralmedizin,* ed. 18. Paderborn, 1920.

Carrière (Ios.), *De Matrimonio,* Parisiis.

Castillon (Pierre S. I.). *Éducation de la pureté,* Paris, s. d.

Chauvin (A. S. I.). *De la préservation morale de l'enfant. Faut-il l'instruire pour le préserver?* Paris, 1912.

Collationes Brugenses. Brugis.

Collationes Gandavenses. Gandae.

Collectanea S. C. de Propaganda Fide, ed. 2, Romae 1907.

R. Cornely, Ios. Knabenbauer, Fr. de Hummelauer, etc. e S. I. *Cursus Scripturae Saerae,* Parisiis, 1885-1912.

De Becker (R. D.) *De Sponsalibus et Matrimonio,* ed. 2, Lovanii, 1903.

De Smet (R. D.) *De Sponsalibus et Matrimonio,* ed. 3, Brugis, 1920.

Ernst (E). *Elternpflicht,* Kevelaer, s. d.

Eschbach (A. R. D.) *Disputationes physiologico theologicae,* ed. 2, Romae, 1901.

— *De novo quodam sterilitatis conceptu,* Romae, 1902.

Féré (Charles). *L'instinct sexuel, évolution et dissolution,* ed. 2, Paris, 1902.

Ferreres (I. B. S. I.). *De vasectomia duplici, necnon de matrimonio mulieris excisae, cum appendice de casu quodam clinico,* ed. 2, Matriti, 1913.

— *Compendium theologiae moralis,* ed. 8. (prima post Codicem), Barcinone, 1917-1918.

Foerster (F. W). *Jugendlehre,* Berlin, 1906.

— *Sexualethik und Sexualpaedagogik,* Münster, 1907.

Fonssagrives (I.) *L'éducation de la pureté,* éd. 4, 1905.

Forel (Aug.). *La Question sexuelle exposée aux adultes cultivés, Paris,* 1906.

— *La Questione sessuale esposta alle persone colte,* Trad. Rühl (Car.), ed. 2, Torino, 1914.

Francotte (Xav.), *De quelques*

points de morale sexuelle dans ses relations avec la médecine. Louvain, 1907. (*Annales. de la Société scientique.*).
— *Causeries sur des questions d'hygiène morale.* Liège, 1919.
FRANZELIN (IOANN. B. Card. S. I.) *Tractatus de sacramentis in genere,* Romae, 1873.
FREISEN (R. D.) *Geschichte des Kanonischen Eherechtes bis zum Verfall der Glossenlitteratur,* ed. 2, Paderborn, 1893.
IOSEPH FRÖBES, (S. I.) *Lehrbuch der experimentellen Psychologie.* Freiburg im Breisgau, 2 vol. 1915-1920.
FUNK. *Patres Apostolici.* Tubingae, 1901.
GASPARRI (PETR. Card.). *Tractatus canonicus de matrimonio,* ed. 1, Parisiis, 1891; ed. 3, Parisiis 1905.
GATTERER (M. S. I.). un KRUS (FR. S. I.). *Die Erziehung zur Keuschheit,* Innsbruck, 1910.
GAULTIER (PAUL) *Les maladies sociales,* Paris 1913.
GEMELLI (O. Fr. M.). *Non moechaberis,* ed. 4, Florentiae, 1912.
GÉNICOT (E. S. I.) - SALSMANS (Ios. S. I.) *Theologiae moralis Institution.*, ed. Bruxellis, 1919-1920.
GILLET (M. S. O. Pr.). *Innocence et ignorance: éducation de la pureté,* Paris, 1912.
GONZALES TELLES (E.). *Commentaria perpetua in singulos textus quinque librorum Decretalium Gregorii IX.*
GULBERT (Mgr.), *La Pureté,* Paris, 1910.
GUITTON (S. J.). *De la chasteté,* Lyon,, Paris, s. d.
Dr. MAGNUS HIRSCHFELD, *Künstliche Verjüngung, Künstliche Geschlechtsumwandlung,* Berlin, s. d.
HOORNAERT (ANDRÉ) *Les durs réveils.* Causeries familières et loyales sur les sanctions physiques des plaisirs de rencontre, Bruxelles, 1921.
HOPPENOT (J. S. J.). *Petit catéchisme du mariage,* Paris s. d.
HUARTE (GAB. S. I.). *De Ordine et Matrimonio,* Romae 1913.
HÜRTH (FRANZ, S. J.) *Sexuelle Aufklärung* (extra commercium).
JORDAN (E). *Religion et Natalité,* Paris, 1919.
KANT (EMM.). *Rechtslehre. Das Eherecht.*
KNOCH (*A*). *L'éducation de la chasteté,* éd. 3, Liège, 1914.
KRAFT-EBBING, *Psychopathia sexualis.* Stuttgart, 1903.
LALANDE (ANDRÉ). *Essai de catéchisme moral,* Paris.
LAURENT (FR.). *Principes de droit civil,* Bruxelles, 1876-1878.
LAURENTIUS (Ios. S. I.). *Institutiones iur. can.* ed. 2, Friburgi-Brisgoviae, 1908.
LAYMANN (PAUL. S. I.). *Theologia moralis.*
LECONTE (A. R. D.). *De l'ovulation spontanée de l'espèce humaine, dans ses rapports avec la théologie morale,* Louvain, Paris, 1873.
LEDESMA (PETR. O. Pr.). *De magno sacramento matrimonii.*
LEHMKUHL (AUG. S. I.). *Theologia moralis,* ed. 11, Friburgi-Brisgoviae, 1910.
LESSIUS (LEONARD. S. I.). *De Iustitia et Iure ceterisque virtutibus cardinalibus.*
LÖWENFELD (L.) *Sexualleben und Nervenleiden. Die nervösen Störungen sexuellen Ursprungs,* ed. 3, Wiesbaden, 1903.
LUCIANI. *Fisiologia dell'uomo.* ed. 3, Milano, 1908-1913.
LUGO (I. DE, Card. S. I.). *De iustitia et iure.*
— *De Sacramento Paenitentiae.*
LYTTELTON, *Training of the young in the law of sex,* London.
MARC (CL. SS. Red.). *Institutiones morales Alphonsianae,* ed. 15, Romae 1917.
MARGUERITTE (P. et V.) *L'élargissement du Divorce,* ed. 2, Paris, 1909.
MARCONSINI (FED.). *Matrimonio e Maltusianismo,* saggio religioso medico-morale (Mercier-Desplats-Vermeersch), Torino, s. d.

MARRO (ANT.). *La puberté chez l'homme et chez la femme*, trad. ex. italica lingua, a MEDICI, Paris 1901.

MENDOUSSE (P.). *L'âme de l'adolescent*, Paris, 1909.

MERCIER (D. Card.). *La Psychologie*, ed. 5, Lovanii, 1889.

MERCIER-DESPLATS-VERMEERSCH, *Pour l'Honnêteté conjugale*, Louvain, 1909.

MEULENAERE (DE) (O.). *Code civil allemand et loi d'introduction, traduits et annotés*, Paris, 1897.

MEYER (EMMA). *Vom Mädchen zur Frau; Ein zeitgemässes Erziehungs und Ehebuch*, Stuttgart, 1912.

MOLL. *Handbuch der Sexualwissenschaften*, Leipzig, 1912.

MONACO (NIC. S. I.). *Praelectiones metaphysicae specialis*, Pars. II, Romae, 1917.

NAST (A.). *Mariage et préjugés*, St. Étienne, 1906.

NICOLAY (J.). *Les enfants malélevés*, Paris, 1896.

NOLDIN (H. S. I.) *De Sexto Praecepto et De usu Matrimonii*, ed. 14, Oeniponte, 1913.

NYSTRÖM (A.). *La vie sexuelle et ses lois*, Paris, 1910.

OBICI MARCHESINI. *Le amicizie di collegio*, ed. 2, Roma, 1903.

OIETTI (BEN. S. I.). *Synopsis rerum moralium et iuris pontificii, alphabetico ordine digesta*, Romae, 1909-1914.

PALMIERI (DOM. S. I.). *Tractatus de Matrimonio christiano*, Romae, 1880.

PAYOT (JULES). *L'éducation de la volonté*, éd. 13, Paris, 1902.

PIRHING (HENR. S. I.). *Ius canonicum*.

POLICLINICO (IL.). *Sezione medica e Sezione pratica*, Roma.

PRAT. *La théologie de S. Paul*, Paris, 1908.

RAYMUNDUS A PENNAFORTE (S.) (O. Pr.). *Summa*.

RAZON Y FE *Matriti*.

REAL-ENCYCLOPAEDIE FÜR PROTESTANTISCHE THEOLOGIE UND KIRCHE, Leipzig, 1877-1886.

*** *De Regimine Principum* (inter opera S. THOMAE).

REIFFENSTUEL (ANACL. O. Fr. Min.). *Ius canonicum universum*.

RENAULT (A.). *Comment préparer les enfants au respect des questions sexuelles?* éd. 2, Paris, s. d.

REVUE DU CLERGÉ FRANÇAIS, Paris.

REVUE PHILOSOPHIQUE DE LA FRANCE ET DE L'ÉTRANGER, Paris.

REVUE SCIENTIFIQUE, Paris.

ROHLEDER (D.r med. HERMANN). *Monographien über die Zeugung beim Menschen*. 1. Band. *Normale, pathologische und künstliche Zeugung beim Menschen*, ed. 2. Leipzig, 1918.

RONCAGLIA (CONST. O. Matris Dei). *Universa theologia moralis*.

ROSSET (MICH. Ill. Ep.). *De Sacramento Matrimonii*, tractatus dogmaticus, moralis, canonicus, liturgicus et iudiciarius. S. Ioannis Maurianae et Parisiis, 1895-1896.

ROUSSEAU (J. J.). *Émile ou l'Éducation*, Paris, 1793.

RUIZ AMADO (S. I.). *La educación de la castidad*, Madrid.

Collegii Salmanticensis Cursus theologiae moralis.

SANCHEZ (TH. S. I.). *Disputationum de sancto Matrimonii sacramento libri decem*.

— *Opus morale in Praecepta Decalogi*.

SANTI-LEITNER (R. D.). *Praelectiones iuris canonici*, Ratisbonae 1886.

SCHMALZGRUEBER (FRANCISCUS, S. I.). *Ius ecclesiasticum universum*.

SCOTUS (DUNS, O. F. M.). *Commentarii in Magistrum Sententiarum*.

SEBASTIANELLI (GUL. R. D.). *Praelectiones iuris canonici*, ed. 2, Romae, 1905-1906.

SPORER (PATRIT. O. Fr. Min.). *Theologia moralis, decalogalis et sacramentalis*.

STALL (SYLV.) (Sex-Series). *Ce que tout jeune garçon devrait savoir*.

— *Ce que tout jeune homme de-*

vrait savoir. — Ce que tout jeune fille devrait savoir. — Ce que tout homme marié devrait savoir. (Ex anglico sermone conversi), Paris et Genève.

NEDERLANDSCHE KATHOLIEKE STEMMEN. Zwolle.

SURBLED (GEORGES). *La vie à deux. — Hygiène du mariage,* 1901.

SYLVIUS (FR.). *In Summam S. Th.*

TANCREDUS. *Summa de Matrimonio.*

THOMAE (S.). *Summa theologica.*

— *Quaestio disputata, De anima.*

— *De malo.*

— *De veritate catholicae fidei contra Gentiles, libri quattuor.*

TOURNIER (CH.). *La coéducation des sexes. — Son immoralité et son illégalité,* Paris, s. d.

URRABURU (S. I.). *Institutiones philosophicae.* T. IV, *Psychologiae,* pars I. Vallisoleti. 1894.

VAN ROEY (E. R. D.). *Quaestio specialis de sexto decalogi praecepto,* Arimini, 1906.

VASQUEZ (GAB. S. I.). *Commentarii in summam S. Thomae.*

VERMEERSCH (A. S. I.). *Un grave péril moral,* Tournai, 1909.

— *La peur de l'enfant dans les classes dirigeantes,* Louvain, 1909.

— *Le problème de la natalité en Belgique* (Science et Foi), Bruxellis, 1910.

— *De prohibitione et censura librorum,* ed. 4, Romae, 1906.

— *De Religiosis et Missionariis Periodica,* Brugis.

WAFFELAERT (III. Ep.). *Tractatus theologici de virtutibus cardinalibus,* L. III: *De Temperantia,* Brugis, 1889.

WARLOMONT. *Discussion du rapport du Dr. Francotte. De quelques points de morale sexuelle. — Annales de la Société scientifique de Bruxelles,* 1906-1907.

WERNZ (FR. XAV. S. I.). *Ius Decretalium,* t. 1-3, ed. 2, Romae, 1905-1908; t. 4, ed. 2, Prati, 1911, t. 5 et 6, Prati, 1913-1914.

ZUNZ und LOEWY. *Lehrbuch der Physiologie des Menschen,* Leipzig, 1909.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

Numeri = *numeri marginales, nisi praeponitur p.*
Asteriscus annotationes significat.
Lineola interducta (—) = *vocabulum in principio positum.*

Ablutio uterina, vaginalis, 45. 264.
Abortus excusatio quaesita, 132; interrogatio, 303; praevisio impeditne usum coniugii, 225. 239. vetitum, 312.
Abstinentia ab usu coniugii ad dotem obtinendam, 256, 5; ad vitandam prolem, 238. 247. 251. 259. 260, 3; — ante communionem, 239; — initio matrimonii, 239; — mutuo consensu, 247; — per duos menses post matrimonium, 254.
Academiae artium rectores, 399.
Acatholici *honestiores*, 102. 119-132. 165,2.
— *naturalistae*, 100. 116. 117. 165 1.
— et revelatio rerum sexualium, 187. 188. 190.
Actus *coniugalis*, 13. — debitus, 244-255; honestus, 223-242; certo impotentis, post matrimonium, 60; dubie impotentis, 60; optabilis, 41. 109. 243; sanus, 41;
— impudici, 283. 387. 391. 394-412.
— in pollutionem in fluentes, 274. 276. 277. 295. 374-382. — vide *Copula*.
— venereus, 423.
Adulter ius cohabitandi et petendi debitum amittit, 249. 256.
Adulterii affectus in actu coniugali, 240, 2; notio et specificatio, 313. 315, 4; praemunitio, 206-208; suppressio. 215.
Adulterium duplex, 313,3 — « morale », 116.
Aesthetici cultus utilitas pro castitate, 183.
Aestus carnalis, 12. 13. 429. — simultaneus vel non utriusque, 240, 3.
Aetas critica, 56. — nubilis, 55. — pubertatis, 54. — requisita pro matrimonio, 25. — sterilitatis pro femina, 56.
Affectus (psychologice), 422.
Affectus ad rem inhonestam, adulterinus in usu coniugii, 240, 2; in aspectibus, 360; in bestialitate, 347; in pollutione, 337. 346; in sodomia, 345. — pollutionis, 332. — sensualis, 40. 355. 390. — simplicis complacentiae, 368.
Affinitatis effectus, 315; specifica a consanguinitate distinctio, 315.
Algolagnia passiva, 38.
Alphonsi (S.) sententiae, 280. 284. 297. 379. 386.
Alucinatio vitanda, 17. 387. 388.
Amans, amicus, 40.
Amens petens debitum, 248.
Americae Septemtr. leges de divortio, 127. 286; scholae mixtae, 179; neomalthusianismus, 261.
Amicitia, 40.
Amor coniugalis, 41. 46, fine; 114.
— graecus, lesbeus, sapphicus, 37.
— liber fundans coniugium, 116. 117. 418 bis.
— nobilis, utilis, 178. 210.
— platonicus, 390, 2.
— sensualis, 390. 414.

Amor sexualis, 2. 4. 5. 11. 41. Quo pacto ab amicitia distinguatur, 40. Quo ferat, 61.
Amores vani adulescentium, 177, 5. 179. 390.
Amoris vis in appetitum sexualem, 15. 71. 210.
Amplexus, 17; inter coniuges, 271. inter solutos, 360. 401; inter sponsos, 291. 293. 295. 297.
Ancillae, 215, 1; 403.
Androgyni, 31.
Anesthesia, 36.
Angliae fecunditas, 209; foedus neomalthusianum, 261; lex de meretricibus, 212; lex matrimonialis, 121. 127; scholae mixtae, 179.
Anima feminae in C. Matisconensi, 98.
Anorchidia, 30, 1.
Apostolatus utilitas paedagogica, 176. 205. 414,
Appetitus (psychologice), 422.
Appetitus sexualis, 4. 5. 423. 429. 431. — *venereus*, 6. 11. 14-19. 91. 423. 429 — perversus, 35-39. — quosnam paret triumphos et clades, 221. Iudicium de appetitu sexuali et venereo, 221.
Approbatio ficta actus mali, 362. 394; seria, 362.
Artium academiae. 399; musaea, 183.
Aspectus libidinosi, 360 — impudici, 180-183. 241. 397. 398. 400. Quid pro coniugibus, 283.
Aspermatismum, 71.
Associationis lex physiologica, 25.
Atrophia testium, 30, 1.
Audientes verba, colloquia minus pudica, 394.
Auditus vis in commotionem carnalem, 17, 3.
Aureola, 154. — doctorum et praedicatorum, 155. 157. — martyrum, 155. 157. — virginum, 155-160.
Austriae ius de impotentia, 68. — lex matrimonialis, 121. 5 — fecunditas, 209.
Aversio impediens excitationem, 15. 71.
Aviditas audiendi, legendi, etc. impudica, 393.
Azoospermia, 76.
Balneum (post) actus coniugalis, 239, 6.
Baptismus non tollit bigamiam, 114*.
Belgii fecunditas, 209.
— instituta ad iuvandos operarios in Gallia laborantes, 256, 5.
— ius de impotentia, 68*; lex matrimonialis, 121. 127. 128. 286.
Benedictio coniugis, 114*.
Bestialitas, 37. 39. 347. 349.
Bigamia, 114*.
Bimestris optio superioris iuris, 254.
Blennorrhagia, 47.
Bolschevismus: matrimonium. 418 bis.
Caelibatus comparatio cum matrimonio, 136; honestas, 166; puri disciplina, 202-205; sacerdotalis impugnatio, 100, p. 94; 101.
Canales deferentes, 7, 1.2; efferentes, 7, 1; eiaculatorii, 7, 2.
Canalis urethralis, 7, 6.
Canonicae sanctiones luxuriae, 319. 372.
Cantus minus pudici, 394. 408.
Carcinoma durum, 48; molle, 49.
Caro una, 13. 82. 106. 111. 223.
Carsamatia, 51.
Castitas angelica, 162-164; caelibum, 135-136; matrimonialis, 109. 113. 136. 137; vidualis, 114. — vide *Continentia*.
Castitatis cultus physicus, 171. 175; psychologicus, 172. 173. 176-178. — custodia extra coniugium, 202-205; intra coniugium, 206-209. — disciplina, 42-101. — obligatio aequalis pro utroque sexu, 112. 208.
Castitatis praestantia naturalis, 94; supernaturalis et christiana, 95-98. — virtus, 91. 92. 93. — vide *Continentia*.
Castratio, 51. 53.
Catholici et divortium civile, 131. 286. 288; et matrimonium civile, 124. 125. 285. 301*.
— magistratus, 131. 286. — patroni causarum, 131. 287. — procuratores civiles, 287.
Catholicorum maior puritas, 177: opiniones de revelatione rerum sexualium, 190.
Causa gravis excusans, 224. 225. 242. 250. 251. 266. 275. 276. 295.

Causae commotionis carnalis, 11. 14-19.
Causicidi, 131. 287.
Centra commotionis carnalis, 14.
Cerebri partes in appetitu sexuali, 14.
Choreae, 202. 203. 206. 409. 411.
Christi amor commendandus virginibus, 148, p. 147; 164. 173. 177. — beneficia collata castitati, 95-97. — membra quomodo simus, 97,2. — repraesentatio ab homine puro, 173.
Christianismus et castitas, 95-98; et femina, 98; et matrimonium, 110-112. Explicatur Eph. 5,22-33, 111. — et virginitas, 144-149.
Christianorum castitas, 95-98. 162-164; fornicatio et peccata impura, 309; imago et munus, 221; matrimonium, 66. 111. 220; viduitas, 114; virginitas, 144. 154.
Cibi relatio ad appetitum sexualem, 17.
Cinestheticae sensationes, 24, 422. 423.
Circumcisio, 50. 53.
Clitoris, 8, 1. 9.
Codex canonicus, 55. 68. 122. 242. 249. 254. 256. 301. 314-316. 318. 319. 372. 395.
Coenesthesia, 25. 416.
Cogitatio turpis, 366. 368. Quomodo accusanda, 368.
Cognatio legalis, 317; spiritualis, 316.
Cohabitationis obligatio, 256.
Colloquia tenera, minus pudica inter coniuges, 280. 283; inter solutos, 394; inter sponsos. 295. 394; turpia. 363. 394. — vide *Verba*.
Coloniarum mores, 213. 301 *.
Commotionis carnalis causae, 11. 14-19.
Communio (S.) et castitas, 177. 414; et peccatum carnale, 314; et usus matrimonii, 239.
Comoediae, 204. 206. 394. 408. 409. 410.
Compensatio adulteriorum. 249.
Complacentia in re impura, 366, 368.
Complicis absolutio, 391.
Conceptio et consummatio matrimonii, 78. 81. 82. 87.
Concilium *Toletanum* I, 101 3; *Matisconense*, 98; *Tridentinum*, 144. 147.
Concubinatus, 101. 117. 213. 301. — in coloniis, 213.
Condom, 45. 88. 262.
Confessarii agendi ratio in affectibus sensualibus, 390. 401; in materia venerea, 414. — peccatum cum paenitente, 320.
Confessarius coniugium, 262, 5; 270. 414. — iuvenum 196. 199. 390 iuvenum in officinis, 200. 394. — nervis laborantium, 380.
— luxuriose peccantium, 337. — peccantium interne, 371. — peccantium noctu, saltem materialiter, 383. — peccantium solitarie, 219.
— sponsorum, 199. 295. 299. 401.
— quo titulo corrigat fraterne, 270.
Congregationis (S.) *Concilii* responsa, 60.
— *S. Officii* responsa, 59. 241 *.
— *de Sacramentis* responsa, 59.
Coniugum actus mutui completi, 223-255: incompleti, 257-277. — actus venerei separati, 273-284. — affectus, 210. — delectatio de copula praeterita, 280. 282. — dignitas christiana (Eph. 5, 22-33), 111. — obligatio vitandi pollutionem, 274-278. — pactiones, 232. vota, 233.
Consanguineorum matrimonia, 43.
Consanguinitatis specifica distinctio ab affinitate, 315.
Conscientiae rectitudo curanda, 177.
Consilia *generalia*, 414.
— pro *adulescentibus*, 172. 173. 176. 200. 207; pro *caelibe*, 202; pro *coniugibus*, 41. 45 fine. 109. 206-209. 215. 243-246; pro *masturbatoribus*, 219; pro *parentibus*, 134. 172. 175. 193. 207; pro *puellis*, 193.
Consilium *continentiae*, 42, fine. 146. 147. 149; *matrimonii*, 207; libidinosi actus, 314. 361; unctionis ante fornicationem, 321.
Consummatio matrimonii, 77-87.
Continentia et valetudo, 42-382.
Continentiae aestimatio christiana, 138-164; neo-pagana, 165; ratio-

nalis, 135-137. 166. 167; — consilium in matrimonio, 113.
Continentiae donum, 146 b, 149, 2; notio 93.
— relativa difficultas, 210. — utilitas in matrimonio 206. vide *Castitas; Virginitas.*
Cooperatio ad nuditatem, 400; ad theatra, 408. 410. — coniugis cum peccante coniuge, 233. 255. 262-268. — cum civili matrimonio et divortio, 131. 285-287. — cum se polluente, 338. 346. — cum turpiloquio, 394. — cum violante votum, 314.
Copula apta generationi, 59. 63. — coniugum, 223-255. — dissuadenda, 225, 6. — matrimonium consummans, 77-87. — perfecta, 223. - propter solam delectationem, 226.
— *peccaminosa:* adulterina, 313. — cum affini, 315; cum cognata legaliter, 317, aut spiritualiter, 316; cum consanguinea, 315: cum daemone, 348; cum paenitente, 320; cum persona quacum honestas publica, 315; cum persona voto ligata, 314; cum sponsa aliena, 298; cum subdita, 320. — fornicaria, 300. 303-311; incestuosa, 315; in loco sacro, 242 314; innaturalis, 343-348; in vase indebito, 269; onanistica, extra matrimonium, 303. 312. 349; intra matrimonium, 257-299; sacrilega, 314.
Copulae capacitas, 58-60. 76: interruptio, 242. 312; modus, 240. 373.
Copulam (ad) ius abdicari potest, 232.
Copula-theoria, 106.
Copulatio, 12. 13.
Corpora cavernosa, 7, 7.
Corporis partes honestae, inhonestae, minus honestae, 391. — praeparatio ad castitatem, 171. 175.
Corpus, membrum Christi, 97, 2. 309. — Templum Spiritus Sancti 97 2
Curiositatis sedatio, 182. 185. 194.
Cryptorchidia, 30, 1.
Daemone congressus cum, 348. 349.
Damnum obstans copulae, 224, 2; 225; excusans a reddendo debito, 250.
Daniáe fecunditas, 209; lex de illicitis commerciis, 212.
Debitum *coniugale*, vide *Actus coniugalis.*
Deferentectomia, 52. 73. 84.
Defloratio virginis, 161. 318, 3.
Delectatio mixta, 23. 27; morosa, 176 4. 366; pure sensibilis, 22; sensibilis carnalis, 27. 392; sensibilis generalior 24. 355. 415; sensibilis media, 26. 27; sensibilis spiritualis, 27; varia, 22-27; venerea, 91. 418. 424.
— coniugum, 226. 259. 267. — lactantis, 407. — legentium, audientium res lubricas, 393. — sponsorum, 293. 294.
Delectationis distinctio a felicitate, 172, 2; repudiatio. 163. — Licetne agere propter solam delectationem? 226.
Desiderii accusatio, 371; notio, 369; specificatio, 337. 369.
Deus derogans legi naturali, 310.
Dies ubi minor spes fecundationis, 10. 247. 251. 259. 620 3.
Distillatio, 13, 2; 358.
Divitum officium erga pauperiores coniugatos, 256, 5.
Divortium civile, 126-132. 286-289.
Doctoris aureola, 155-157.
Dotis exigentia et usus coniugii, 256, 5.
Dubia de liberi usu arbitrii, 383; de matrimonii valore 235; de potentia, 60. 229.
Ebrius petens debitum, 248.
Epididyma, 7, 1-3; 88.
Episcopi peccatum, 320.
Epispadia, 30, 1; 72.
Eucharistiae (SS.) usus pro castitate, 177, 2; 414—impeditne actum coniugalem, 239.
Eunuchi notio. 51; pollutio, 328; semen, 84; matrimonium, 59. 60, p. 60; 73; usus matrimonii, 228. 417.
Exhibitionismus, 38.
Exteriores actus incompletae luxuriae, in *se*, 356. — Eorum varia species, 357-364. — Quinam graves, qua tales, 391.
Fecundatio, 10. — artificialis, 85

88. 241. 432. — ex semine alterius viri, 241, 3. vide *Dies*.
Feminae aestimatio christiana, 98. 112; aetas critica, 56; nubilis, 55: impotentia, sterilitas, 59. 60. 73. 76; loca voluptatis, 9; masturbatio, 168. 278. 328. 341; mundities, 379; neurasthenia sexualis, 34; operationes chirurgicae, 53; organa sexualia, 8. 30, 2; pollutio, 13, 2; 278. 324. 328. 332; pubertas, 54; pudor, 20; sodomia, 344; sterilitas, 59. 60. 76; venereus motus, 28. 423; vitia structurae, 30, 2.
Feminae medici, 406; — scriptores, 100, p. 94. 95.
Fetichismus, 38.
« **Fibromiome** », 42.
Fides *bona, mala* pro usu matrimonii, 235. 262, 267. 270.; pro peccato, 380.
Filius, vide *Prolis*.
Finis amoris sexualis, 2. — copulam honestans, 224. 226. — in actibus incompletis coniugum, 272. — matrimonii, 60. 62. — vitandi prolem, 238. 262.
Fluxus *menstruus*, 10. Eius explicatio opportuna, 195. — impeditne actum coniugalem, 239, 3.
Fornicatio, 300. 303. 311. — nis *gravitas*, 304-308. 310; peior in christianis, 309. interruptio, 312.
Frigiditas, 58.
Galliae *fecunditas*: 209. — ius de impotentia, 68; lex matrimonialis, 121. 127. 286.
Gaudium, 370. — de effectu, de pollutione, de re mala, 370.
Generis humani dignitas, 97, 2.
Germaniae fecunditas, 209. — ius de impotentia, 68. — lex matrimonialis, 121. 123. 286.
Gestatio extrauterina, 8, 5.
Gestus impudici, 396.
Glandulae *Cowper*, 7, 5. — *Bartolini*, 8, 2. 13, 2. — *Littre*, 13, 2.
Glans penis, 7, 7; 9.
Gonocoque, 47.
Gravidităs et actus coniugalis, 41. 239.
Gustus relatio ad appetitum sexualem, 17.
Gynandrae, 31.
Haeretici virginitatis detractores, 144.
Helvetiae ius de impotentia, 68; lex matrimonialis, 121.
Hermaphroditae, 31.
Hiberniae lex matrimonialis, 121. 128, p. 129.
Hispaniae ius de impotentia, 68; lex matrimonialis, 121. 128, p. 129.
Historia aestimationis virginitatis, 144; controversiae de potentia. 58. 59; civilis matrimonii, 121; civilis divortii, 127; sententiae de gravitate luxuriae, 352; silentii vel revelationis rerum sexualium, 187.
Hollandiae fecunditas, 209; foedus neomalthusianum, 261; matrimonium civile, 121.
Homosexualis, 37. 39.
Honestas publica et copula, 315, 3.
Hungariae fecunditas, 209; ius de impotentia, 68.
Hygiastica, 41.
Hymen, 30, 2,; 75. 139.
Hyperesthesia, 36.
Hypo-padia, 30, 1; 72.
Hyposthesia, 36.
Iactantia de peccatis, 362. 394.
Idea de re turpi, 367. 368.
Ignorantia rerum sexualium an et quomodo depellenda, 191-201; peccati delectationis morosae, 176.
Illegitimae prolis locus in civitate, 167.
Imagines impurae, exteriores, 399. 400; interiores, 367.
Impedimentum dubium, 60. 229-235. — impotentiae, 58-69. Licetne scienter cum impotente contrahere matrimonium? 68, p. 71.
Impotentiae notio, theoria, 58-69bis, varia genera, 70; variae causae, 71; varii casus, 72-75; dubium, 60; probabilitas, 60.
Impotentis copula, 228. 230. Quid, si dubites? 229. — Quid, si temporalis impotentia? 230. — matrimonium, 68. — usus matrimonii, 228.
Impuberis pollutio, 328.
Impudici actus quinam? 387. 391.

Qua obligatione vitandi. 391. Quid pro coniugibus? 283.
Imputatio in materia sexuali, 392.
Incestuosa copula extra matrimonium, 315. — intra matrimonium, 234.
Incontinentiae damna, 44, p. 37*.
Indissolubilitas matrimonii, 105. 106.
Infantium aureola, 159; paradoxismus, 36; passiones, 172; pollutio, 328.
Infirmi nervis affecti, 34. 71. 246. 380-382; paresthesia laborantes, 74. 392.
Ingressus in religionem et copula, 254.
Instinctus, 3. — sexualis, 427-431.
Intentio vitandi prolem, 238. 262. 264.
Inversio appetitus, 37. 417.
Irrumatio, 274, 3; 345.
Italiae fecunditas, 209; ius de impotentia, 68; lex matrimonialis, 121. 128, p. 129.
Labia *magna, parva vulvae*, 8, 1. Osculum in labia, 17, 1; 295.
Lactatio et actus coniugalis, 41. 239, 2; et lues venerea, 48, p. 42; et suspecta delectatio, 407.
Laparotomia, 53.
Lectio librorum, 184. — turpis, 185. 378. 395. Quid, pro coniugibus? 283.
Libri de rebus sexualibus, 187. 193. 199.
Ligaminis impedimentum dubium, 235.
Lite mota de valore, licetne uti matrimonio? 236.
Locus sacer, quisnam, 314.
Lotio uterina, vaginalis, 45. 264.
Lues venereae, 47-49. — an explicandae, 197.
Lupanaria, 212.
Lusitaniae ius de impotentia, 68; lex matrimonialis, 121.
Luxuriae canonicae sanctiones, 319. 372. — *imperfectae* et *perfectae* distinctio, 324. 351.
— *imperfectae* descriptio, 351. — divisio in exteriorem, 356-364; interiorem, 365-371. — gravitas, malitia intrinseca, 352-354. — specificatio, 222. 357-364. 368-370.
— *indirectae* notio, 373; reatus, 374.
— *larvatae* notio, 388. — vide *Copula*.
Magistratus et theatra, 408. — et leges de matrimonio et divortio civili, 285-287.
Mammarum excitatio libidinosa, 9. 341; functio, 8, 6. 9. 42, p. 35; praeparatio pro lactatione, 407.
Maria Virgo (B.) colenda propter castitatem, 97. 164. 173. 177. 367.
Maritus, vide *Viri*.
Masochismus, 38, 38*.
Masturbatio, 322; nocturna, 370. 383. — nis cura, 17, 1; 216-220; damna, 44; frequentia, 168; genera, 44. 216; modi, 44. 340. 341. — vide *Pollutio*.
Matisconense Concilium, 98.
Matrimonii *aestimatio* christiana, 110. 112. 208; neo-pagana, 115-131. — *aetas*, 54. 55. — *bona*, 66. 111. 307, 2. — *capacitas*, 59. 60. — *comparatio* cum caelibatu, 136; cum virginitate, 145-149. — *consilium* prudens, 118. 134. 207. 219. — *consummatio*, 77-87. 105. 240 fine. — *definitio*, 4. 256. — *minor voluntas* propter consuetudinem cum altero sexu, 179. 295. — *indissolubilitas*, 105. 106. 128. — *institutio* et *leges* naturales, 104-108. — *intentio*, quonam momento habenda, 124. 285. — *natura*, 61-63; religiosa, 108. — *obiectum*, 61-63; *ordo, finis*, 60. 62. — *significatio* figuralis, 111. 114; sacramentalis, 111. 309. — *usus* completus, 223-255; incompletus, 271-277; onanisticus, 257-269; usus prudens, 109. 113. 208. 243. Quid, si matrimonium dubium, 235-237. 420. — *violatio* multiplex, 168. An consummatio, potentia, usus licitus distinguenda sint, 240 fine.
Matrimonium *civile*, 120-125; 285. 286. 301*,
— consanguineorum, 43; dubie impotentis, eunuchi, mulieris castratae, senum, 59. 60; hominum eiusdem cutis, gentis, 43.
— *consummatum*, 77-87. 105. 106. 240, fine.

Matrimônium *dubium*, 235-237.
— *iteratum*, 114.
— *optabile*, 118. 134.
— praevalens alteri, 237.
— Votum ante, inter, — 233.
Matrix, 8, 3.
Meatus urinarius, 8, 1.
Medici, 41. 42. 71, p. 73*; 207. 219. 225, 1; 398. 405.
— feminae, 406.
Medullae spinalis partes in appetitu sexuali, 14.
Membrum virile. 7, 1; 9. 13, 1: 30, 1.
Mendacia fugienda. 173. 194.
Menses (per duos) copulae negatio, 254.
Mentula, 7, 7; 9. 13, 1, 30.
Meretricium, 302.
Meretricis confessio, 302; raptus, 319; tolerantia, 212.
Modestiae cultus, 176. 184. 413.
Moechus petens debitum, 249.
Molles, 37. 344.
Mollities, 322.
Monogamia, 62. 105.
Morbus gallicus, 48; venereus, 47-49. An explicandus, 197.
— obstans copulae, 224, 2; 225.
Morum misera condicio, 168; in coloniis. 213. — publica tutela, 211-213.
Motus venereus, 28. 423. — directe voluntarius, 352. 354; indirecte voluntarius, 373. 374.
Mulier, vide *Femina*.
Mundities curanda, 171; quomodo, 379.
Musaea artium an et quomodo invisenda, 183.
Narcistae, 37.
Naturalismus, 100. 101. 116-118. 165.
Necrophilia, 348, 2.
Necrospermia, 76.
Nemaspermata 7, 1; 10, 1; 56.
Neomalthusianae artes, 45. 133. 209. damnosae, 45 fine. — rationes refutatae, 133. 259-261.
Neurasthenia sexualis, 34. 71. 246.
Neuropathia sexualis, 32-34.
Nervis infirmi, 220. 246. 279-382.
Norvegiae fecunditas, 209.
Notitia rerum sexualium, 189. 191. 201. An procuranda? 189-200.
Novae-Zelandae neomalthusianismus, 261.
Nudum, 180. 181. 397-400.
Nuptiae secundae, 114.
Nupturientes instruendi, 199.
Nymphae, 8, 1.
Nymphomania, 36. — puerperalis, 239.
Obligationis (vinculi) opportunitas, 117. 306.
Obscena colloquia, 394; scripta, 395.
Obscenum, 180. 181.
Obsessiones sexuales, 393.
Oculorum moderatio, 184. 213.
Odoratus vis in commotionem carnalem, 17, 4.
Officii absoluta inviolabilitas, 97, 1; 133. 206.
Olfactus vis, in commotionem carnalem, 17, 4.
Onanismus extra coniugium, 303. 312. 349. — coniugalis, 257-269.
Operatio caesarea, 53, 6. — nes, 50-53. 70. 245.
Organa generationis, 7. 8. 13. Eorum vitia, 30.
Organicae causae impotentiae, 71.
Orgasmus, 12.
Osculá inter *coniuges*, 271; inter *solutos*, 359; inter *sponsos*, 291. 293. 295. 297; licita vel non, 401; in labia, 17, 1; 295.
Ovaria, 8, 5; 30, 2. — orum excisio, 53; quoniam licita? 245.
Oviductus, 8, 4. 5.
Ovulatio, 10. 54. 56.
« **Oxyures** », 175.
Pactio non utendi coniugio, 232.
Paedagogiae sexualis notio, 191. 201; opportunitas, 168; ratio, 163. 171-178. 180-201.
Paederastia, 37, 37*, 344.
Paenitentiae imprudentes, 38. 101. 402. Quid si necessariae virtuti? 382.
Paenitentiariae (S.) responsa, 263. 270.
Papillae mammarum, 9.
Paradoxismus, 36.
Parentes sponsorum, 296. *Parentum* officia, 134. 172. 175. 196. 199. 242.
Paresthesia, 37-39. 74. 392.

Parochi peccatum, 320.
Partum (post) actus coniugalis, 239, 4.
Passiones domandae, 172.
Pater spiritualis peccans, 320.
Pathologia sexualis, 29-39.
Patroni causarum, 131. 287.
Pauperum sollicitudo, 174. 200. 256, 5.
Peccatorum explicatio an opportuna, 196. — luxuriae divisio, 222. — relativa gravitas, 304. 312. 342. 349.
Peccatum *mortale*, quid, 258. 305. 353. — utentis vase indebito, 269.
Penis. 7, 7; 9. 13 1; 30, 1.
Per accidens, per se, 63. p. 65. 66.
Pessarius, 45, 6; 262, 3; 268.
Petitio debiti coniugalis, 224. 244. — post abdicationem iuris, 253; post adulterium, 249. 256; post incestum, 234; post promissam abstinentiam, 232; post votum castitas, 233.
Phantasiae vis in appetitum sexualem, 16.
Phimosis, 30, 1; 175.
Photographi, 399.
Phtisis et usus coniugii, 225.
Pictores, 399.
Pollutio, 322. — affectiva, 332. — feminae, 324. 328. 333. 341. — indirecte voluntaria, 274. 374. 376-384. — mutua, 338. 346. — naturalis, 330. 370. — necessaria ad capiendum somnum, 381. — nimis frequens, 32. 34. 330. — nocturna, 32. 330. 331. 383. 385.
— **nis** gravitas, 323-326. 329. 334; relativa, 342. — malitia essentialis, 327. 421; intrinseca, 324. 329. — *specifica* distinctio a luxuria imperfecta, 324; varietas, 328. 335-341.
— nocturnae explicatio opportuna, 195.
— specialis affectus eiusque signum in pollutione, 337. vide *Masturbatio*.
« **Porro** », 53.
Portugalliae ius de impotentia, 68. — lex matrimonialis, 121.
Possessio status coniugalis, 235.
Potestatis publicae partes in matrimonio, 107. 108.
Praeputium, 7, 7; 379.
Praesumptio consummationis matrimonii, 78. — potentiae ad matrimonium, 60.
Praetextus luxuriae larvatae, 389.
Prandium (post) actus coniugalis, 339, 6.
Priapismus, 33.
Procuratores civilium causarum, 287.
Prolis damnum, obstans copulae, 224, 2. — condicio vel numerus excusans a debito reddendo, 251. — legitimae et illegitimae distinctio legalis, 167.
Prostata. 7, 4.
Pruritus, 379. 380.
Psycho-analysis, 6.
Psychologia infantis, adulescentis, 180. 182. — *sexualis*, 422-431.
Psychopathia sexualis, 35-39.
Pubertas, 54.
Pudicitia, 413.
Pudor, 420.
Raptus, 318. 319.
Redditio debiti coniugalis, 324, 2; quandonam negari possit, 248-255. 267.
Renuntiatio iuris ad copulam, 232. 233. 253.
Reservati casus adulterii, 301; bestialitatis, 347; concubinatus, 301; sodomiae, 343; stupri, 318.
Revelationes sexuales, 186-201. 419.
Romani iuris definitio de matrimonio. 4. 256; lex de concubinatu, 101, 3; 117. 301; de eunuchorum vel spadonum matrimonio, 59.
Rotae (S.) declarationes de nullitate matrimonii; 128, p. 129. 130.
Sacerdotes et leges de matrimonio vel divortio civili, 131. 289.
Sacrilega copula, 314. 344; pollutio. 339.
Sadismus, 38. 38*.
Sanctio efficax, quaenam, 334.
— nes canonicae, 319. 372.
Saphica passio, 37.
Satyriasis, 36.
Scholae mixtae, 179.
Scientiae incapacitas apud nigritas adulescentes, 325, p. 324*, rerum

sexualium utilitas, 189. 191. 201.
prudens communicatio, 191-200.
Scotiae lex matrimonialis, 121.
Scriptores rerum minus pudicarum vel turpium, 395.
Scripturae (S.) loci explicati: *Apocalypsis*, 14, 3-5: 158. — *Ev.* S. Matth. 19, 10-12: 146. — *Ep.* 1 Cor. 6, 9. 10: 306; 6, 15-20: 309; 7, 1-9; et 25-38: 146; *Ep.* Ephes. 5, 22-33: 111. — *Ep.* Gal. 5, 21: 306.
Sculptores, 399.
Seminatio ad ostium vaginae, 86. 228*. 240.
Seminis expulsio, 312. 329. — iactura, 240.
Senis copula, 228*. 240; matrimonium, 90. 63; paradoxismus, 36; pollutio, 328; sterilitas, 56.
Sensationes, 422. — venereae, 423.
Sensus interni vis in appetitum sexualem, 16.
Sensuum exteriorum vis in appetitum sexualem, 17. — praeparatio ad castitatem, 163. 172. 176.
Separatio cubiculorum, 208, 215, 1; 256, 6. — tori, 130, p. 128. 129; 249. 288.
Serbiae fecunditas, 209.
Sermones inhonesti, 362. 363. 394.
« Sex-Series », 187. 199.
Sinceritatis cultus, 173. 184. 185.
Situs decumbentis, 376. 381. — utentis coniugio, 240.
Smegma praeputii, 7, 7; 379.
Sodomia, 37. 343; imperfecta, 345. — ae gravitas, 349. — varietates specificae, 344.
Somnus, ex pollutione, 381; post prandium, 171. — protractus, 176.
Spadonis matrimonium, 59.
Sperma, 7, 1.
Spermatorrhea, 32. 34. 71.
Sponsa, 295.
Sponsalium efficacia, 298. — utilitas, 291.
Sponsi de futuro, 290-299. 394.
Sterilitas, 58. 60. 69 bis. 73. 76. — artificialis, 45. 53, 5; 231. 262. — iniuriosa, 245. Impeditne copulam, 228. 231.
Stuprum, 318. 364.
Sublimatio, 367, 3.
Superioris peccatum, 320.
Symbolismus sexualis, 38.
Syphilis, 48.
Tactus inter coniuges, 271-277. — inter sponsos, 292. 294, 297. 401. — alieni ad pollutionem efficiendam. 338.
— libidinosi, 359. 364. — liciti vel non, 401-405.
— mammarumpraeparandarum, 407.
— quid influat in commotionem carnalem, 17.
Templum Dei quomodo sinus, 97, 2. 309.
Tempora sacra, 113*.
Temporis anni vis in appetitum sexualem, 19.
Tentationes interiores, 367.
Testes seu testiculi, 7, 1; 30, 1; ficti, 51. Eorum perpetua functio, 42, p. 35.
Theatrum, 204. 206. 394. 408.
Theologi et leges de matrimonio civili et divortio civili, 131. 289.
Thesis I, de impotentia, 61. 62.
— II, de virginitatis excellentia, 145-149.
— III, de virginitatis virtute, 151-153.
— IV, de honestate caelibatus perpetui, 166.
— V, de civili loco mulieris quae ex fornicatione peperit, et filii illegitimi, 167.
— VI, de usu onanistico coniugii, 257-261.
— VII, de completa voluptate a coniuge separatim quaesita vel admissa, 278.
— VIII, de coniugum actibus libidinosis imperfectis et solitariis, 280-282.
— IX, de fornicationis malitia, 304-311.
— X, de pollutionis malitia, 324-326.
— XI, de omnis luxuriae malitia, 353-354.
— XII, de luxuria indirecta, 374. 375.
Tolerantia concubinarum in coloniis, 213; meretricum, 212.
Tolerantiae civilis limites, 130, p. 123. 124.

Transformistae, 5.
Treponema pallidum, 48.
Tribades, 37.
Tridentinum concilium, 144. 147.
Tubae Fallopianae, 8, 4. 5.
Ubera, 8, 6; 9. 42, p. 32; 407.
Ulcus durum, 48, **molle**, 49.
Una caro, 13, 4; 82. 106. 111. 223.
Unctio antiseptica ante fornicationem, 321.
Unguentum antisepticum, 48, p. 40*; 321.
Uniones sexuales temporaneae, 301.*
Urethrorrhoea ex libidine, 13, 2; 358.
Uterus, 8, 3; 13. 1; 30, 2.
Uxor onanista, 262. 264. 268. — viri onanistae, 262. 263. 265-267.
« **Vaccinationis** » sexualis utilitas, 180. 182. 184. 185.
Vagina, 8, 2; 9. 13, 1; 30, 2. Ad — ae ostium seminatio, 86. 228*. 240. — ae modica penetratio, 240, 2.
Vaginalis lotio, 45. 264.
Vaginismus, 75. 240.
Valetudo, 41.
Vana gloria de peccatis, 362. 394.
Vas deferens, 7; 1. 2.
Vasectomia, 52. 73. 84. — iniuriosa uxori, 245.
Velatio virginum. 143.
Vendens libros etc. turpes, 395. — unguenta antiseptica, 321.
Venereus affectus, 423; **appetitus**, 91; 423; **morbus**, 47-49. — vide *Appetitus*.
Verba pudore permissa vel non, 394; quaesita in vocabulariis, 395. — vide *Colloquia*.
Veretrum, 7, 7; 9. 30, 1.
Vesiculae seminales, 7, 3. — *Graaf*, 8, 5.
Vestes, 21.
Vestitus, 21. 412.
Virga, 7, 7; 9. 13, 1; 30.
Virginitatis catholicae laus et pretium, 144-149; scripturistica commendatio, 146.
— amissio 141; claustrum, 139; defloratio, 161. 318, 3; notio, 139-141; speciale praemium seu aureola, 154-161.
Virginum aureola, 154-161; consecratio, 143.
Viri frigiditas, 58. — impotentia 72. 73. — locus voluptatis, 9. — officium, si uxor onanista, 264. 268. — onanismus. 262. 263. 265-269. — operationes chirurgicae, 52. 245. — organa sexualia, 7. 30. — potestas irritandi vota, 233, 3. — sterilitas, 76. — vota, 233.
Virtus naturalis, 90. 90*.
Visus quid influat in commotionem carnalem, 17, 2; moderandus, 181. 183. 184. 413.
Vitae generis ordinatae et laboriosae utilitas, 171. 176.
— *mysteria* an et quatenus revelanda. 186-201.
— *purae* praeparatio generalis, 170-174; specialis, 175-178; conservatio, 202-209; restitutio, 214-220.
— vis in appetitum sexualem, 18.
Vitia appetitus et organi sexualis, 29-39.
Vocis vis in affectum sexualem, 17, 3.
Voluptatis loca. 9.
Votum copula violatum. 314; luxuria imperfecta violatum, 357. 360; pollutione violatum, 335; sodomia violatum, 344.
— castitatis coniugum, 233.
Vulva, 8, 1.
Zoospermata, 7, 1; 10. 56.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BV4647.C5V4 C001
DE CASTITATE ET DE VITIIS CONTRARIIS ED
3 0311 00037 3980

BV
4647
.C5V4
AUTHOR
33517
Vermeersch, Arthur, 1858-
TITLE
De castitate et de vitiis contrariis.


3 0311 00037 3980